

















(2) SEIDEL (Bruno)

Liber morborum incurabilium ...

~~1637~~.

1662

# IDEA MEDICINÆ VETERVM.

IOH. BEVEROVICIVS concinnavit.




LVGD. BATAV.
Ex officina Elſeviriorum.

cIↃ IↃc XXXVII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



*Clarissimo, & Amplissimo viro,*

# ADOLFO VORSTIO,

Medicinæ Doctori ac Professori, Lugdunensis Academiæ Rectori Magnifico,

IOH. BEVEROVICIUS S. D.

HErculem [1] Prodicus dicit, cum primum pubesceret, (quod tempus à natura ad deligendum, quam quisq; viam vivendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem: atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, quum duas cerneret vias, alteram voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset. *Mihi, cum adolescens olim è disciplina summi & clarissimi Vossii ad capiendum uberiorem ingenii cultum me contulissem in Academiam vestram, serio deliberandum fuit, quem potissimum studiorum cursum sequi vellem; quodque è duobus, quæ proponebantur,*

[1] *Xenophon 2. Memorab. Cicero 1. Officior.*

*altero Iuris, altero Medicinæ, eligere præſtaret. Illud probabat optimus parens ὁ μακαρίτης, majorum exemplo atque fortuna. Hoc præferebat animi formator, & tantum non alter parens, quem dixi, Voſſius, rationibus tempori accommodatis. Quibus motus, medicæ arti me addico, publicas lectiones clariſſimorum virorum Pavii, Vorſtii, Heurnii frequento, privatis exercitationibus interſum, & jam Italiam ſpirans, præſide parente tuo, vate Heinſio noſtro, profectus ſpecimen publica diſputatione edo. Neq; tamen amore omni literarum abjecto, & in Medicinam transfuſo, caſtra Muſarum deſero. Sed præcipuos earum ſacerdotes, Heinſium Taciti, & Cunæum Suetonii interpretes audio. Quinetiam animum aſſidua Medicorum lectione laſſum, literarum delitiis ex intervallo reguſtatis, ſubinde recreo, ut ad priora mox ſtudia rediret alacrior.* [1] Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus.

Apes

[1] *Seneca Epiſt.* 84.

Apes (ut ajunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quicquid attulere disponunt, ac per favos digerunt. *Itaque*

*[1] Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,* [1] *Lucretius lib. 3.*
*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

*Quare*[2] ne opera & oleum philologiæ nostræ periret, *quæcunq; apud utriusque linguæ poëtas, philosophos, historicos, oratores, philologos, artem medendi tangere videbantur, inter legendum noto, congero, & dispono,*[3] non ut aliquid iis novi adjicerem, sed ut ea, quæ in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione & distributione sub uno aspectu ponerentur. *Ne autem alicubi malè cohærerent variorum authorum verba, essetq;, quod dicebat Caligula,* [4] arena sine calce, *glutinum hic illic, sed quam potui parcè, de meo admiscui,*[5] quo in unum diversa coalescerēt. *Raró ex Hippocrate Galeno, vel Celso quid adduxi; nec nisi cū reliquis affine esset, aut iis illustrādis*

[2] *Cicero 2. ad Atticum.*
[3] *Q. Cicero de petit. Consul.*
[4] *Suetonius in vita.*
[5] *Senec. cit.*

*magnopere faceret. Quod & de recentioribus dictum sit. Ita nata ex non medicis Idea Medicinæ veterum; quam hoc nomine donavi, quod nulla artis parte omissa, referat quicquid de singulis antiquitus creditum sit.* [1] Summæ *enim* authoritatis esse debet, in quod uno ore plurimæ consentiunt gentes, *& qui in iis ingenio & doctrina maximè excellunt.* [2] Nam persequi, quod quisq; unquam, vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis jactantiæ est; & detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. *Græcorum verba Latinè tantum posui: tum ne libellus ultra enchiridii molem excresceret, tum ne tardarent lectorem, cui Græca non leguntur. Versibus tamen, quod versi fere genio suo defraudentur, propriam linguam servavi. Hæc cum tibi, Vir clarissime, & ingenii atque doctrinæ principi Heinsio, non improbari viderentur, mihi quoque jam minus displicebant. Certe repugnare equidem ausus non fui, quin flagitantibus mitteren-*

[1] *Cicero.*

[2] *Plinius 7. Nat. hist. 37.*

*terentur, typographo tradenda. Quandoquidem igitur vestro impulsu, quicquid hoc opellæ, in lucem dederim; æquum est, ut in vestram quoq; recipiatur clientelam. Alter mihi doctor, alter doctoris filius. Alterius meritis cultum filii debeo: alteri, ex Hippocratis juramento, ob paterna merita, fraternum amorem. Qualis cum inter vos quoque sit, licet uni inscribam, utriusque patrocinium mihi polliceor. Vale ordinis nostri decus, diuque vive ad Academiæ gloriam*

[1] *Laus Asclepia, duplicisque Phœbi,*
*Qui plectrum ferit, & potens medendi*
*Fatorū dominas ministrat herbas.*

[1] *D. Heinsius in albo Vorstii Patris.*

Dordrechti v. Cal. Febr.
cIↄ Iↄc xxxvii.

In Ideam Medicinæ, ex auctoribus non Medicis, ab Ampliss. viro Iohanne Beverovicio, Senatore ac Medico Dordrechtano, elegantissime concinnatam.

*E Medicis certam Medicinæ ponere legem,*
*Antehac ars Medicis omnibus una fuit.*
*Certam è non Medicis Medicinæ ponere legem,*
*Vnius, posthac non imitanda, fuit.*

ALIVD.

Ἰητρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
Εἶπεν Ὁμηρείη νητρεκέως σοφίη·
Πάντων δ' ἰητὴρ ἀντάξιος, ὃς καὶ ἀπείρους
Τὸ πρὶν ἀκεστορίης, ἤρμοσ' ἀκεστορίῃ.
Εἰς Ἀσκληπιάδας τε Μαχαονίδας τε φυέντας,
Οὔτ' Ἀσκληπιάδας οὔτε Μαχαονίδας.

Εὐβιάδης.



IOH. BEVEROVICII
IN
# MEDICINAM VETERVM
## ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ
DE
Medicæ Artis conſtitutione.

### *Medicinæ origo, definitio, ſubjectum, finis, diviſio, Medici officium.*

Morborum, & Mortis cauſſa remota.

[1] *Lactant. 2. de orig. err. 13.*



DEVS [1] hominem ad ſuam ſimilitudinem fictum, poſuit in Paradiſo, id eſt, horto fœcundiſſimo & amœniſſimo, quem in partibus Orientis omni genere ligni arborumq; conſevit, ut ex earum variis fructibus aleretur; experſque omnium laborum Deo patri ſumma devotione ſerviret. Tum dedit ei certa mandata, quæ ſi obſervaſſet, immortalis maneret: ſi tranſcendiſſet, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una, quæ fuit in medio Paradiſi, non guſtaret, in qua poſuerat intelligentiam boni ac mali. Tum criminator ille invidens operibus Dei, omnes fallacias & calliditates ſuas ad dejiciendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum ſumeret: & per eam ipſi quoque homini perſuaſit, ut tranſcenderet Dei legem. Tum Deus ſententiâ in peccatores datâ, ejecit hominem de Paradiſo, &

mors eum secuta est secundum Dei sententiam. Sic facta est vita hominis temporalis, & [2] per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: & sic in omnes homines mors pertransiit, eo quod omnes peccaverunt.

[2] *Paulus 1. ad Rom. 5.*

[3] Mors *igitur* non naturæ conditio est, sed pœna peccati.

[3] *Augustin. de prædest. & grat. 3.*

*Quod Poëtæ sub fabularum involucris furto Promethei adscribunt.*

[4] *Horat. 1. od. 3.*

*[4] Post ignem æthereæ domo*
*Subductum, macies, & nova febrium*
*Terris incubuit cohors:*
*Semotique prius tarda necessitas*
*Lethi corripuit gradum.*

[5] *Hesiod. lib. opera & dies.*

[5] Πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Νόσφιν ἄτερ τε κακῶν, καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
Νούσων τ' ἀργαλέων, αἵ τ' ἀνδράσι γῆρας ἔδωκαν.
Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.
Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα
Ἐσκέδασ'· ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά.
Ἄλλα δὲ μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται.
Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ, ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
Σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα Ζεύς.

*Prius namq; in terra vivebant familiæ hominum*
*Seorsim a malis & absq; iis, & sine difficili labore,*
*Morbisq; molestis, qui hominibus senectã afferunt.*
*Statim enim in afflictione homines consenescunt.*
*Sed Pandora manibus vasis magnum operculum*
*cum dimovisset*
*Dispersit, hominibus autem machinata est curas*
*graves.*
*Alia verò innumera mala inter homines errant.*
*Plena enim terra est malis, plenumque mare.*
*Morbi autẽ hominibus tam interdiu, quam noctu*

*Vltro*

*Ultro errant, mala mortalibus ferentes*
*Tacite: nam vocem exemit prudens Iupiter.*

*Rectè itaque* [1] Vita dicitur fatale esse debitum, quod contraxerunt majores nostri, sitque à nobis persolvendum.

Mors certa.
[1] *Plutarch. Consol. ad Apoll.*

[2] *Longius aut propius mors sua quemque manet.*

[2] *Propert. 2. Eleg. 28.*

[3] Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem ut quibusdam nullum videatur: in cursu enim semper est. Fluit & præcipitatur: ante desinit esse, quam venit: nec magis moram patitur, quam mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio nunquam in eodem vestigio manet. [4] Tam angustis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solum dignæ, verumetiam laude videantur illæ regiæ lacrymæ. Nam ferunt Xerxem, quum immensum exercitum oculis obiisset, illacrymasse quod tot millibus tam brevis immineret occasus, [5] & intra centum annos nemo ex tanta juventute superfuturus esset. At illis erat admoturus fatum ille ipse, qui flebat, perditurusque alios in terra, alios in mari, alios in prœlio, alios in fuga; & intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum annum timebat.

Vita brevis.
[3] *Senec. de brev. vit. 10.*
[4] *Plinius 3. Epist. 7.*
[5] *Senec. de brev. vit. 16.*

[6] *Ille quoq; ipse, viam qui quondã per mare magnũ*
*Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,*
*Ac pedibus salsas docuit superare lacunas,*
*Et contempsit equis insultans murmura ponti;*
*Lumine adempto animã moribundo corpore fudit.*

[6] *Lucret. 4.*

[7] Præternavigamus vitam; & quemadmodum in mari, ut ait Virgilius,

[8] *—terræque urbesque recedunt;*

sic [9] *—properat cursu*
*Vita citato,*

*&* [10] in hoc cursu rapidissimi temporis, primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter juvenem & senem medium,

[7] *Senec. Ep. 70.*
[8] *3 Æneid.*
[9] *Senec. Herc. Fur.*
[10] *Senec. Ep. cit.*

dium, in utriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis primos annos, novissime incipit ostendi publicus finis generis humani.

[1] Iuvenal. Sat. 3.

*[1] —Festinat enim decurrere velox*
*Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ*
*Portio, dum bibimus; dum serta, unguenta, puellas*
*Poscimus, obrepit non intellecta senectus.*

[2] Quintil. decl. 4.

[2] Si cuncta gaudia nostra, si voluptates, & quæcunque ex hac universitate mundi vel sollicitant aspectu, vel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota vita hominis est dies.

[3] Simonides.

[3] Πολλὸς γὰρ ἡμῖν ἐις τὸ τεθνάναι χρόνος·
ζῶμεν δ' ἀριθμῷ
παῦρα κακῶς ἔτεα.

[4] Grotius vertit.

*[4] Mors quippe longos temporum tractus habet:*
*At illud, heic quod occupat*
*Vita, breve est spatium.*

[5] Senec. de brev. vit. 1.

*Hinc* [5] major pars mortalium, de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant: adeo, ut exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo, turba tantum & imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio est, [6] Vitam brevem esse, longam artem. Inde [7] Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset.

[6] Hippocr. 1. Aph. 1.
[7] Cicero 3. Tusc.

[8] Pedo Albinovanus.

*[8] Vivere cornices multos dicuntur in annos,*
*Cur nos angusta conditione sumus?*

[9] Senec. Ep. 72.

*Quandoquidem igitur* [9] omne humanum genus, quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est,

[1] Vi-

[1] *Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu:* non possum satis mirari [2] Ptolomæum secundum Ægypti regem, omnium suo seculo gravissimum, &; si quis alius, humanioribus disciplinis tinctum, sic dementatum ac perditum importuno luxu, ut sempiternam vitam sibi futuram somniaret, stultè jactitans à se solo repertam fuisse immortalitatem. *Nec minus miror* [3] philosophum illum, qui edito libro modum ostenderat, quo quis posset senii expers perpetuo permanere, & immortalitatem vitam agere.

[1] *Lucret. 3.*
[2] *Athenæus 12. Deipn. 9.*
[3] *Gal. 1. de san. t. 12. de marasm. 2.*

[4] *O curas hominum! ô quantũ est in rebus inane!* [4] *Persius Sat. 1*
*Quidquid enim feceris,*
[5] *Non mortis laqueis expedies caput.*
[6] *—— Sed omnes una manet nox,*
*Et calcanda semel via leti.*
[7] *Nam, quæcunq; vides hilari grandescere adauctu,*
*Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ;*
*Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt;*
*Dum facile in venas simul omnis diditur; & dum*
*Non ita sunt latè dispersa, ut multa remittant:*
*Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas.*
*Nam certè fluere, atque recedere corpora rebus*
*Multimodis, dandum est: sed plura accedere debent,*
*Donicum alescendi summum tetigere cacumen.*
*Inde minutatim vires, & robur adultum*
*Frangit & in partem pejorem liquitur ætas.*
*Quippe etenim quanto est res amplior, augmine dempto,*
*Et quo latior est; in cunctas undique partes*
*Pluria eo dispergit, & à se corpora mittit.*
*Nec facile in venas cibus omnis diditur eii:*
*Nec satis est, proquam largos exæstuat artus,*
*Unde queat tantum suboriri, ac suppeditare,*
*Quantum opus est, & quod satis est natura novare.*
*Iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo*

[5] *Horat. 3. od. 23.*
[6] *Idem 1. od. 28.*
Morborum Mortisque caussa interna, & proxima.
[7] *Lucret. 2.*

*Sunt; & cum externis succumbunt omnia plagis.*

*Non mirum igitur, si*

[1] Virgil. 3. Georg.

[1] *Optima quæque dies miseris mortalibus ævi*
*Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,*
*Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.*

[2] Propert. 2. El. 22.
[3] Polybius 6. Hist.

*Vis proximam & continentem caussam?* [2] Unicuiq; dedit vitium natura creato. [3] Sicut enim rubigo ferro, cossi & teredines ligno congenitæ pestes insunt, adeò ut quamvis nihil extrinsecus illa læserit, per ea tamen, quæ cum ipsis sunt nata, intereant: sic etiam [4] mali quædam fatalis portio omnibus nostris rebus jam tum admiscetur, cum nascimur. ipsa semina mortalia quum sint, partem hujus caussæ sustinent, unde morbi, aliaque fatalia incommoda mortales consequuntur, *& hinc*

[4] Plutarch. Cons. ad Apollon.

[5] Manil. 4.

[5] *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.*

*Communi hac moriendi necessitate nihil validius,*

[6] Eurip. Alcest.

[6] — Οὐδέ τι φάρμακον
Θρῄσσαις ἐν σανίσι, τὰς
Ὀρφεία κατέγραψε
Γῆρυς. οὐδ᾽ ὅσα Φοῖβος
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
Φάρμακα πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι.

[7] Grotius vertit.

[7] *Nil contra medicamina*
*Prosunt, quæ Rhodopeiis*
*Inscripsit tabulis sagax*
*Facundi manus Orphei.*
*Nil contra auxilii ferunt*
*Herbæ, quas docuit suum*
*Phœbi cura Machaonem,*
*Germanumque Machaonis,*
*Humanum miserans genus.*

[8] Senec. 2. Nat. ult.
[9] Bion. Idyll. 7.

*Quamvis autem* [8] mortem nulla diligentia evitat, nulla fœlicitas domat, nulla potentia vincit, &

[9] Μοίραισιν ἀναλθέα φάρμακα πάντα,

*Parcis*

*Parcis omnia remedia vana sunt.*

[1] *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;* [1] *Virgil. 6. Æn.*

*& quo certior interitus, breviorque vita,*

[2] *— hoc acrius omnes* [2] *Idem 4. Georg.*

*Incumbant generis lapsi sarcire ruinas,*

*non destituti auxilio Dei Opt. Max. qui* [3] quæ in terris gignuntur, ad usus hominum omnia creavit.

Hominis caussa omnia creata.

[3] *Cicero 1. offic.*

[4] *Idem 2. de nat. Deor.*

[4] Terra enim fœta frugibus, & vario leguminum genere, quæ maxima largitate fundit, ea ferarumne an hominum caussa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque dicam? Quarum uberrimi lætissimique fructus, nihil omnino ad bestias pertinent. Neque enim serendi, neque colendi, nec tempestivè demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est: earumque omnium rerum hominum est & usus & cura. Hominum igitur caussa earum rerum copias comparatas, fatendum est. Nisi forte tanta ubertas & varietas pomorum, eorumque jucundus non gustatus solum, sed adoratus etiam & aspectus, dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura donaverit. Tantùmque abest ut hæc bestiarum etiam caussa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum villis confertis, atque contextis homines vestiantur? quæ quidem neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum & curatione potuissent. Canum verò tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, & tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata: cervices autem natæ ad jugum, tum vires hu-

merorum & latitudines ad aratra extrahenda; quibus cum terræ ſubigerentur fiſſione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtæ loquuntur, vis unquam nulla afferebatur.

*Ferrea tum verò proles exorta repente eſt,*
*Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,*
*Et guſtare manu victum domitumq; juvencum.*

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur. Longum eſt mulorum perſequi utilitates & aſinorum: quæ certè ad hominum uſum paratæ ſunt. Sus verò quid habet præter eſcam? cui quidem ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus. Qua pecude, quod erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Quid multitudinem ſuavitatemque piſcium dicam? quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronœa noſtra Epicurea fuiſſe videatur. Atque hæ ne caperentur quidem, niſi hominum ratione atque ſolertia. Jam verò immanes & feras belluas nanciſcimur venando, ut & veſcamur iis, & exerceamur in venando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, & utamur domitis, & condocefactis, ut elephantis, multaque ex eorum corporibus remedia morbis & vulneribus eligamus, ſicut ex quibuſdam ſtirpibus & herbis, quarum utilitates longinqui temporis uſu & periclitatione percipimus.

[1] *Plin. 24.1.* [1] Ne Sylvæ quidem, horridiorque naturæ facies medicinis carent, ſacra illa parente rerum omnium nuſquam non remedia diſponente homini, ut medicina etiam fieret ſolitudo ipſa.

Medicinæ origo. [2] *Cicero 3. Tuſc.*

*Ars igitur inventa,* [2] cujus utilitas Deorum immortalium inventioni conſecrata. *Unde rectè Imperator:* Artem medicam hominibus ſalutarem eſſe uſus demonſtrat. Quare eam cœlo delapſam non immeritò Philoſophi prædicant.

[1] *Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artē?*
*Unde nova ingressus hominum experientia cœpit?*
*Græci ejus inventionem Apollini tribuunt, quam & ipse sibi vendicat his versibus:*

[1] Virgil. 4. Georg.

Apollo Medicinæ inventor.

[2] *Inventum medicina meum est, opiferq; per orbem*
*Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.*

[2] Ovidius 1. Met.

*Hic tantum arte valuisse dicitur, ut etiam mortuos ad vitam revocaret,*

[3] — ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.
— *medicique*
*A Phœbo didicere moras innectere morti.*

[3] Callimach. in hymn.

[4] Ferunt Tragici, & [5] Pindarus, Æsculapium Apollinis filium fuisse, atque auro inductum, ut hominem pecuniosum, cum extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur, curaret. Unde & fulmine percussum. Sed nos illis hæc utraque non concedimus. Imo si Dei filius fuit, lucri turpis avidum fuisse negabimus: sin turpis avidus lucri, dei fuisse filium rejiciemus.

[4] Plato 3. de rep.
[5] Pythia od. 3.

*Æsculapius hic* [6] quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est.

Æsculapius Medicinæ illustrator.
[6] Celsus præf.

[7] *Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis,*
*Restituit patriis Androgeona foris.*

[7] Propert. 2. Eleg. 1.

[8] Et quod Tyndariden revocavisset ad vitam, ictum fulmine eum *alii scripsere, ne scilicet fatalis rerum ordo interrumperetur.*

[8] Plin. 29. 1.

[9] *Iupiter exemplum veritus, direxit in illum*
*Fulmina, qui nimiam noverat artis opem.*

[9] Ovidius 6. Fast.

[10] Hujus deinde duo filii Podalirius & Machaon bello Trojano ducem Agamemnonem sequuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt. *Quo nomine & à poëta celebrari meruerunt.*

[10] Celsus cit.

— [11] Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε,
Ἰητῆρ' ἀγαθώ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

[11] Homer. Il. 2.

*— Medicorum principe nati,*
*Præstantes Medici, Podalirius atque Machaon.*

*Hi artem à majoribus traditam promiscuè in vulgus non extulerunt, sed velut in censu reponentes, ad liberos hæreditario jure transmiserunt. unde Medici* ἰατρῶν παῖδες, Medicorum filii, *nuncupati.*

[1] *Silius 5.*

*[1] Ipse olim antiquo primū Garamantius Hammon*
*Scire pater dederat Synalo, morsusque ferarum*
*Telorumque graves ictus sedare medendo.*
*Atque is deinde suo moriens cœlestia dona*
*Monstrarat nato, natusque hæredis honori*
*Transmisit patrias artes: quem deinde sequutus*
*Haud levior fama Synalus.*

[2] *Celsus cit.*

[2] Ergo etiam post eos (de quibus retuli) nonnulli clari viri medicinam exercuerunt, donec majore studio literarum disciplina agitari cœpit, quæ ut animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit. Scilicet his hanc maximè requirentibus, qui corporum suorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiæ professoribus, peritos ejus fuisse accepimus. Clarissimos verò ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum. Hujus autem (ut quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit, vir & arte & facundia insignis. Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras & Chrysippus, tum Herophilus, & Erasistratus, sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diversas curandi vias, *de quibus statim,* processerint. Et per hos quidem maxime viros salutaris nobis ista professio increvit: *quæ, ut diximus,* [3] Diis primum inventores suos assignavit, & cœlo dicavit.

Medicina cœlo dicata.
[3] *Plin. 29.1.*

dicavit. [1] Quicquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Suſcepit autem vita hominum conſuetudoque communis ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Utilitatum igitur magnitudine conſtituti ſunt ii dii, qui utilitates quasque gignebant.

*[1] Cicer. 2. de nat. Deor.*

[2] Nec non & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. [3] Inter multa dona, quæ Divinatio erga homines efficit, prçcipuum eſſe ſtatuit Iarchas Medicinæ donum. Non enim, inquit, ii qui ſapientes in hac arte habiti ſunt, Æſculapii filii, tam multum profeciſſent, niſi Apollinis filius Æſculapius, juxta patris vaticinia morbis proficua remedia compoſuiſſet, quæ ille deinceps filios docens, atque illi nepotibus poſteriſque tradentes, amicis tandem familiaribusque eadem demonſtrarunt. Hinc itaque Medicinæ orta eſt diſciplina, inventumque quales humidis ulceribus, qualesque ſiccis aridisque oporteat adhibere: potiones inſuper medicamentorum miſcere: quibus hydropici ſanentur, ſanguinis fluxus ſiſtatur, quo pacto varia apoſtemata curentur, & illati à ſerpentibus veneni dolor ſedetur. quin venenis ipſis ad multas ægritudines ſalubriter uti didicêre: quam peritiam qui divinationi auferat, neſcio. Neque enim rationi conſentaneum videtur, ſine præcognitione quadam auſos unquam aliquos fuiſſe tam pernicioſa venena proficuis medicamentis admiſcere.

*[2] Plin. cit.* Medicina à divinatione orta.
*[3] Philoſtr. 3. de vita Apollon. 14.*

[4] Veteres in explicando hemiſtichio, *quo conſultans de peſte depellenda utitur Achilles,*

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν,
*Sed age aliquem vatem conſulamus,*

dicunt quod communes quodam modo, & affines ſunt Medicina, & Divinatrix. Melampus igitur & Polyidus ambo in utrisque præclari extitere: &

*[4] Euſtath. in Homer. Il. 1.*

Æſchy-

Æschylus Medicum vocat divinatorem: & Achilles ex medica scientia intelligens pestis naturam vatem consulendum monet.

[1] Strabo Geogr. 15.

[1] Apud Indos magno in pretio medici, & inter hos divinatores & incantatores.

[2] Pythia od. 3.

*Et Pindarus ubi de Æsculapio loquitur, quem dicit* [2] omnigenis morbis mederi solitum, *inter methodos curandi ab illo adhibitas, recenset primum* incantationem.

Medicinæ initia.

[3] Plin. 19. 1.

[4] Tibull. 1. Eleg. 13.

[3] Hippocrates, cum fuisset mos, liberatos morbo scribere in templo Æsculapii quid auxiliatum esset,

(*[4] Nunc Dea, nunc succurre mihi. nā posse mederi*
*Picta docet templis multa tabella tuis*)

ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro credit) jam templo cremato, instituisse medicinam Clinicen.

[5] Plutarch. lat. vivend.

*Quinetiam* [5] prisci ægrotos suos in publico proponebant, ut prætereuntium quivis, si quid vel ipse eodem morbo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus medelæ nosset, id ægrotanti significaret. ajuntque artem hoc modo experientia adjuvante crevisse.

[6] Manil. 1.

*[6] Per varios usus artem experientia fecit,*
*Exemplo monstrante viam.*

[7] Senec. Epist. 95.

[7] Medicina paucarum fuit quondam scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paullatim. Deinde in hanc pervenit multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotij habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto.

[8] Quintil. 2. Orat. 17.

[8] Illud admonere satis est, omnia quæ ars consummaverit, à natura initia duxisse: aut tollatur Medicina, quæ ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta est, &, ut quibusdam placet, tota constat experimentis. Nam & vulnus deligavit

ligavit aliquis, antequam hæc ars esset: & febrem quiete & abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coëgerat, mitigavit.

[1] Nihil est enim simul inventum & perfectum.

*Ac* [2] omnia fere, quæ dispersa & dissipata quondam fuerunt, nunc conclusa sunt artibus. ut in Musicis numeri, & voces & modi, &c. In hac denique ipsa *medendi* ignota quondam omnibus & diffusa latè videbantur. Adhibita est igitur ars quædam, quæ rem dissolutam divulsamque conglutinaret, & ratione quadam constringeret.

*[3] Sic unum quicquid paullatim protulit ætas*
*In medium, ratioque in luminis edidit oras.*
*Nam aliud ex alio clarescere corde videbant*
*Artibus, ad summum donec venere cacumen.*

*Quandoquidem igitur*
*—[4] Finis vitæ mortalibus adstat,*
*Nec devitari letum pote, quin obeamus:*
*[5] Sed rigidum jus est, & inevitabile mortis,*
*Stant rata non ulla fila tenenda manu:*

*arte tamen Medica, quem* [6] unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit, *aliquantum differre licet; & sæpe Medici*
*[7] — mitibus herbis*
*Parcarum exorant pensa brevesque colos.*

*Quoniam verò* [8] Medici alios à morbis intactos servant, alios ægrotantes ad sanitatem redigunt: *rectè definitur Medicina,* [9] ars corporis curandi, tuendique caussa quæsita.

*Artis nomine eam donamus potius, quam scientiæ, quod ars opus suum perficiat* [10] στοχασμοῦ μελέτης, seu ἐμπειρίᾳ seu τριβῇ: quam licet multa fallant, ars tamen putanda est. Nonnunquam ea, quæ prædicta sunt, minus eveniunt. quæ tandem id ars non habet? earum dico artium „quæ conjectura continentur, & sunt opinabiles. *Vt est* [12] Medicina, *quæ* nobis

[1] *Cicero Oratore.*
[2] *Idem 1. de Oratore.*
[3] *Lucret. 5.*
[4] *Idem 3.*
[5] *Ovid. cons. ad Liviam.*
[6] *Sallust. 1. Hist.*
[7] *Martial. 9. Epigr.*
[8] *Thilostrat. 1. de vita Apollon. 5.*
Medicinæ definitio.
[9] *Cicero 3. Tusc.*
Medicina est ars inconjecturalis.
[10] *Plato Philebo.*
[11] *Cicero 1. de Divin.*
[12] *Plato 13. de Leg.*

nobis opitulatur contra immoderati caloris & frigoris impetum, cæterorumque hujusmodi, quibus natura animalium læditur: sed incertis conjecturis opinionibusque procedit.

Medicorum sectæ.

*Hinc statim in sectas divisa:*

[1] *Auson. Idyll. 12.*

[1] *—triplex quoque forma medendi,*
*Quæ logos, aut methodos, cuiq; experientia nomen.*

[2] *Senec. Epist. 95.*

[2] Artes pleræque, imò ex omnibus liberalissimæ, habent decreta sua, non tantum præcepta; sicut Medicina. Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.

[3] *Terent. Eunucho.*

*—[3] tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis*
*Vocabula.*

[4] *Plinius 29. Nat. 1.*

[4] Hippocrates genitus in insula Coo, in primis clara ac valida, & Æsculapio dicata, Medicinam, quæ à Trojanis temporibus in nocte densissima latuerat usque ad Peloponnesiacum bellum, revocavit in lucem, & instituit hanc, quæ Clinice vocatur. Nec fuit postea quæstus modus, quoniam Prodicus Selymbria natus, discipulus ejus, instituens quam vocant Iatralipticen, reunctoribus quoque Medicorum ac mediastinis vectigal invenit. Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit, plurimumque etiam ex Chrysippo discipulus ejus Erasistratus, Aristotelis filia genitus. Alia factio ab experimentis se cognominans Empiricen, cœpit in Sicilia, Acrone Agrigentino Empedoclis Physici authoritate commendato. Dissederuntque eæ scholæ: & omnes eas damnavit Herophilus, in musicos pedes venarum pulsu descripto per ætatum gradus. Deserta deinde & hæc secta est, quoniam necesse erat in ea literas scire. Mutata & quam postea Asclepiades invenerat. Auditor ejus Themison fuit, seque inter initia adscripsit illi, mox procedente (*ita legendum censeo, pro eo quod in MS. est* præcedente

vitia sua,) vita, sua & placita mutavit. *Qualis fuerit, vel ex hisce versibus patere potest:*

*[1] Præterea minimus gelido jam corpore sanguis*
*Febre caret sola. circumsilit agmine facto*
*Morborum omne genus, quorũ si nomina quæras,*
*Prõptius expediã, quot amaverit Hippia mœchos,*
*Quot Themison ægros autumno occiderit uno.*

*[1] Iuvenal. Sat. 10.*

[2] Sed & illa Antonius Musa autoritate Divi Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ affectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam. Eadem ætas Neronis principatum ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, æstimari vel uno argumento abundè potest, cum monumento suo, quod est Appia via, latronicen se inscripserit. Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat: cum Crinas Massiliensis arte geminata, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dando, horasque observando, autoritate eum præcessit. Hi regebant fata, cum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit, damnatis non solum prioribus Medicis, verum & balineis: frigidaque etiam hybernis algoribus lavari persuasit. Nec dubium est, omnes istos famam novitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari. Hinc illa circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. Hinc illæ infœlicis monumenti inscriptio, turba se medicorum periisse. *Adriani nempe Cæsaris,*

*[2] Plin. cit.*

[3] Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν·
*Me multitudo perdidit medentium.*

Medicinæ proëmia.

*[3] Mi-*

[1] *Plin. cit.*

[1] Mirum & indignum, nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla. Ut itaque incipiamus & proëmia artis oſtendere, Eraſiſtratus Antiocho rege ſanato c. talentis donatus eſt à rege Ptolomæo filio ejus.

[2] *Herodot. 3. Hiſt. 132.*

[2] Democedes captivus, Dario ſanato Suſis, maximas ædes obtinuit, & cum rege ad menſam ſedit, omnibus rebus affluens. Quinetiam Ægyptios medicos regem curare ſolitos, quum eſſent patibulis ſuffigendi, quod à Græco medico ſuperati forent, impetrata ab rege venia, liberavit.

[3] *Plin. 7. 37.*

[3] Hippocrati honores, quos Herculi, decrevit Græcia.

[4] *Sueton. in vita.*
[5] *Tacitus.*

[4] Julius Cæſar omnes medicinam Romæ profeſſos, quo lubentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. [5] quod rarum erat, nec niſi virtuti pretium.

[6] *Sueton. in Octavio.*
[7] *Dion. 5. Hiſt. 53.*

[6] Medico Antonio Muſæ, cujus opera ex ancipiti morbo Auguſtus convaluerat, ſtatuam, ære collato, juxta ſignum Æſculapii ſtatuerunt. [7] & pecunia ei ab Auguſto & ſenatu multa, uſusque annuli aurei (libertus enim erat) datus eſt, immunitaſque non ipſi modo, ſed omnibus eandem artem exercentibus in poſterum quoq; tempus conceſſa.

[8] *Plin. 29. 1.*

[8] Multos prætereo Medicos, celeberrimoſque ex iis Caſſios, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios. CCL. H-S. annua mercede iis fuere apud principes. Q. verò Stertinius imputavit principibus, quod H-S quingenis annuis contentus eſſet: ſexcena enim ſibi quæſtu urbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſuſque, quanquam exhauſti operis Neapoli exornata, hæredi H-S. CCC. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius ſolus. *Tanta olim Medicorum veneratio apud Locros, ut lege Zaleuci cautum fuerit,* [9] Si quis Locrenſium

[9] *Ælian. 2. var. hiſt. 37.*

Epi-

Epizephyriorum ægrotans vinum merum bibiſſet, niſi jubente medico, etiamſi ad priſtinam valetudinem rediiſſet, mortis ei ſupplicium erat conſtitutum, quoniam non juſſus biberat.

[1] Tanti etiam Medici apud Ægyptios, ut publici cõſtituantur, & ex publico vivant, & nulla impenſa. *[1] Diodor. 1. Bibl. 6.*

*Et profectò* [2] ſicut Medicinæ apud ægros uſus, etiam apud ſanos honor eſt. *[2] Senec. 1. de Clem. 2.*

Medicinæ ſubjectum.

[3] Medicinæ ſubjectum *non dicimus cum Tullio* morbos ac vulnera, *ſed corpus humanum. Vt enim dum fictor in rudi adhuc & informi ære Herculis effigiem imprimit, hæc artificium eſt & ſummum artis opus, æs verò materia, quam variè tractat: ita & dum medicus ex ægro corpore ſanum facit, unum idemque corpus manet, quod ſubjectum eſt, & materia.* *[3] Cicero 1. de Invent.*

Hominis præſtantia.

[4] Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo deo *agnoſcimus:* ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed in omni cœlo, atque terra, ratione divinius? quæ cum adolevit, atque perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia. Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, ea in homine & in deo, prima homini cum deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt. Quod cum ita ſit, quæ tandem poteſt eſſe propior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates & uſus tantam rerum ubertatem natura largita eſt, ut ea, quæ gignuntur, donata conſulto nobis, non fortuitò nata videantur. Artes verò innumerabiles repertæ ſunt docente natura, quam imitata ratio res ad vitam neceſſarias ſolerter *[4] Cicer. 1. de Leg.*

consequuta est. Ipsum autem hominem eadem natura, non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit ac nuncios, & rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quædam scientiæ: figuramque corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. nam cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit.

[1] *Arist. 2. de hist. an. 10.* [2] *Idem 3. de part. an. 6.*

[1] Solus animalium rectus incedit, *quia calore & sanguine abundat.* [2] Calor enim est, quod vim obtineat augendi. Sanguinis autem copia caloris indicium est: corpora etiam melius erigit, quamobrem cæteris erectior omnibus est.

[3] *Ovidius 1. Metam.*

[3] *Pronaque cum spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cœlumque tueri*
*Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

*Hinc & ἄνθρωπον Græcis dictum volunt* παρὰ τὸ ἄνω θεωρεῖν, *seu* ἄνω τρέπειν ὦπα: *quod* homo, *ut dicebat Anaxagoras*, natus sit ad contemplandum cœlum.

[4] *Boëtius 5. de Cons. Philos. 5.*

[4] *Vnica gens hominũ celsum levat altius cacumen,*
*Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.*
*Heu nisi terrenus male desipis, admonet figura,*
*Qui recto vultu cœlum petis, exerisque frontem,*
*In sublime feras animã quoq;, ne gravata pessum*
*Inferior sidat, mens corpore celsius levato.*

[5] *Basil. homil. 11. Hexaë. Augustin. 22. de civit. Dei 24. Lactant. 2. divin. Inst. 1.* [6] *Fernel. Laur. &c.* [7] *Gal. 3. de usu part. 7.*

*Quamvis in hac sententia sint poëtæ, philosophi,* [5] *theologi, & plerique* [6] *medici: tamen* [7] opinari ob id rectè stare hominem, ut ad cœlum promptè suspiciat, hominum est, qui nunquam viderunt piscem οὐρανόσκοπον: hic namque vel invitus cœlum semper aspicit: homo autem nisi collum reflexerit, cœlum nunquam videre potest: hic verò reflexus non soli inest homini, sed nihilominus & asinis, ut omittam aves

aves longum collum habentes, quibus non ſolum facile eſt ſurſum, ſi voluerint, aſpicere, ſed quoquo verſum etiam circumferre promptè oculos. Quod verò ne Platonem quidem intellexerint, dicentem id non eſſe ſurſum aſpicere, cum quis ſupinus ſeipſum reclinarit oſcitans, ſed quando mente naturam rerum conſiderat, turpiſſimum eſt. *Hinc magis credibile* [1] ἄνθρωπον dictum, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, quod ſolus, quæ videt, contempletur, conſideret ac intelligat. *Multa præterea animalia celſiorem obtinuerunt figuram, ut cameli, ſtruthiocameli, elephanti, quibus rectior in cœlum aſpectus, quam hominibus. Quod autem ad poëtas, quantum eorum teſtimonia in ejuſmodi rebus valeant, docet nos Philoſophus, cum monet* [2] ad poëmata admittendum juvenem, edoctum nihil æquè in promptu habere, atque illud

*—πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.*
*confingunt plurima vates.*

*Cæteri conquiſiverunt argumentum probabile ad perſuadendum: quod in phyſicis, aut medicis tolerari non poteſt, à quibus ipſa rei veritas requiritur.*

*Non opus verò falſa prærogativa corpus humanum ornemus: cum & abſq; hac* [3] omnium animantium formam vincit hominis figura.

*Nam ut* [4] Dei organum anima, *ita* animæ corpus. [5] Atque ut mens formarum eſt præſtantiſſima, & ratio artium omnium ars vel officina, [6] quod una omnes omnium animantium vires poteſtate in ſe contineat: *ita & illius organum inſtructiſſimum eſt, & conformationem pulcherrimam conſequutum, non tamen ita firmum, quin facilè lædatur.*

*Et certè* [7] corporis noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe; denique ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſſa conficitur.

[8] Et propter hoc ars Medicinæ nunc inventa eſt,

[1] *Plato Cratylo.*
[2] *Plutarch. quomodo juv. audiend. poëm.*
[3] *Cicero 1. de nat. Deor.*
[4] *Plutarch. 7. Sapp. Symp.*
[5] *Ariſt. de anim.*
[6] *Plutarch. de fortuna.*
[7] *Cicero de haruſp. reſp.*
[8] *Plato 1. de rep.*

quoniam corpus debile & infirmum est: neq; ipsum tale esse satis est. Ut ergò huic utilitatem afferat, ipsa ars est inventa. *Quare* [1] ex Medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus caussa est constituta. [2] Ideoque Medicinæ scientiam non ipsius artis, sed bonæ valetudinis caussa probamus.

[1] *Cicero* 1. *de Invent.*

[2] *Idem* 1. *de finib.*

Medicinæ finis.

*Namque* [3] Medicinæ finis est sanitas, sive bona valetudo. Inter [4] Officium & Finem hoc interest; quod in Officio, quid fieri; in fine, quid officio conveniat, consideratur. Medici officium dicimus esse curare ad sanandum apposite: finem curare sanatione.

[3] *Arist.* 1. *Eth.* 1.

Medici officium.

[4] *Cicer.* 1. *de Invent.*

*Semper itaque* [5] Medicus sanitatem ægri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum naturam fecerit, Medicinæ fine non excedit. Nam est ars ea in actu posita, non in affectu.

[5] *Quintil.* 2. *Orat.* 18.

*Ideoque* [6] Medicus, si omnia fecit, ut sanaret, peregit partes suas.

[6] *Seneca* 7. *de Benef.* 13.

[7] Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur: omniaque quæ sint ad vivendum necessaria, inquirat & paret. [8] Bestiis autem sensum & motum dedit, & cum quodam appetitu accessum ad res salutares, à pestiferis recessum: homini hoc amplius quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus: qui tum remitterentur, tum continerentur.

[7] *Idem* 1. *Offic.*

[8] *Idem* 2. *de nat. Deor.*

Sanitatis dignitas.

*Quandoquidem verò*

[9] Οὐκ ἔστ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ,

*Nil sanitate vita habet præstantius,*

[10] homo, qui recte curriculum vitæ à natura datum conficere *cupit, non debet* [11] sibi indulgere, atque omnia, quæ sequatur in vita, quæque fugiat, voluptatibus

[9] *Menander.*

[10] *Cicero de Univers.*

[11] *Idem* 1. *de Leg.*

ptatibus ponderare, *sed ante omnia sanitatis rationẽ habere. Namque* [1] sanum esse corpore & firma valetudine præditum, natura primum est homini bonum. [1] *Dion. Hist.* 38.

*Hinc* [2] Pyrrhus Epirota, qui post Alexandrum secundas tenuit in re militari, variasque fortunæ vices pertulit, cum Deos precando, sacrificando, & donaria consecrando semper veneraretur, nunquam tamen ab illis vel victoriam vel regni majestatem ampliorem, vel gloriam, vel divitiarum abundantiam postulavit, sed unum hoc, ut bene valeret precabatur, utpote cui hoc fruenti cætera facillimè suppeterent. [2] *Lucian. pro lapsu inter salut.*

[3] *Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil*
*Divitiæ poterunt regales addere majus.* [3] *Horat. 1. Epist. 12.*

*Et certè* [4] sani ægris sunt ditiores: siquidem sanitas pluris est, quam ægri pecuniæ. Nullus enim est, qui non malit parum quid argenti habens, rectè valere, quam regis magni pecunias, ægrotare: manifesto videlicet indicans, sanitatem sibi pluris æstimari. neque enim præponeret, nisi majoris esse illam pretii, quam pecunias existimaret. [4] *Plato Eryxia.*

[5] *Non domus, aut fundus, nõ æris acervus & auri,*
*Ægroto domini deduxit corpore febres.* [5] *Horat. 1. Epist. 2.*

[6] Nihil refert, utrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces. Quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transferet. [6] *Senec. Ep. 17.*

[7] *Nec calidæ citius decedunt corpore febres,*
*Textilibus si in picturis, ostroque rubenti*
*Iacteris, quam si plebeia in veste cubandum est.* [7] *Lucr. 2.*

*Et certe reliquorum, quæ bona vocamus, nullus absque sanitate fructus, voluptas nulla.*

[8] *—— valeat possessor oportet,*
*Si comportatis rebus bene cogitat uti.*
*Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.* [8] *Horat. cit.*

[9] *Ipsis quoque* voluptatibus Sanitas, veluti serenitas halcyo- [9] *Plutarch. in præc. san.*

halcyonibus, commodum tutumque ortum præbet. Eleganter quidem dictum est à Prodico, omnium condimentorum suavissimum esse ignem. Sed verissimè dixeris sanitatem, condimentum esse divinissimum & jucundissimum. Elixa quippe, assata, & cocta, nullam voluptatem afferunt, neque grata sunt ægrotantibus, aut crapula nauseave laborantibus: sano corpori sincerus & integer appetitus omnia facit dulcia & desiderabilia.

[1] Scalig. 1. Poet. 44.

*Sed omnes sanitatis laudes comprehendit* [1] Pæan Ariphronis Sicyonii jucundissimus & plenissimus gratiarum:

Ὑγίεια πρεσβύστα μακάρων,
Μετὰ σοῦ ναίοιμι
Τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.
Σὺ δέ μοι πρόφρων σύνοικος εἴης.
Εἰ γὰρ τις ἢ πλούτου χάρις, ἢ τεκέων·
Τᾶς εὐδαίμονος τ' ἀνθρώποις
Βασιληΐδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων,
Οὓς κρυφίας Ἀφροδίτης ἄρκυσι θηρεύομεν·
Ἢ εἴ τις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
Ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται·
Μετὰ σεῖο μάκαιρα Ὑγίεια,
Τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ·
Σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων.

[2] Calcaguinus imitatus est.

*[2] O qua nec altera vetustior est Cœlitum,*
*O una cunctis expetita Sanitas.*
*Quodcunque reliquum est vitæ, tecum utinam*
*Agam, & una omnium contubernalis sis mihi;*
*Quicunque enim fortunis fruitur, aut liberis,*
*Aut est aliter obnoxius Volupiæ,*
*Te una favente cuncta habet propria:*
*Afflant & illum Charites; etsi media hyeme*
*Rigeat, tamen ver illi flosculos parit.*
*Absente te sunt cuncta dura & aspera,*
*Nec grata prorsus cætera est fœlicitas,*
*Quum esse planè desinit fœlicitas.*

Tam

*Tam igitur à fine, quam à subjecto,* [1] Medicina artium omnium præclarissima, *&* [2] majorum institutis digna judicata, quæ Deo adscriberetur. [3] Una artium imperatoribus quoque imperat. [4] Hæc quidem nusquam non est. Siquidem etiam imperitissimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque noverunt; *& quamvis, quod artis necessitatem demonstrat,* [5] sine medicis degant, non tamen sine medicina.

[1] *Hippocr. de arte.*
[2] *Idem de prisc. Med.*
[3] *Plin. 24.1.*
[4] *Celsus præf.*
[5] *Plin. 29.1.*

[6] Omnis *nempe* natura vult esse conservatrix sui, ut & salva sit, & in genere conservetur suo. Ad hanc rem ajunt artes quoque exquisitas, quæ naturam adjuvarent: in quibus ea numeratur inprimis, quæ est vivendi ars, ut tueatur, quod à natura datum sit: quod desit, acquirat.

[6] *Cicero 4. de finib.*

Medicinæ divisio.

*Neutrum planè præstare potest Medicus, nisi jam ante perspectam habeat corporis nostri constitutionem, morborum item, quibus id corripitur, differentias, caussas, & signa. Quocirca quinque fere statuuntur Medicinæ partes.* Φυσιολογική, *quæ hominis integrè sani naturam, omnes illius vires functionesque persequitur.* Ὑγιεινή, *sive* Διαιτητική, *quæ firmam corporis constitutionem bona vivendi lege conservat, & imminentia mala arcet, simul ægrotis propriam & accommodatam victus rationem decernit.* Παθολογική, *quæ morborum genera, & caussas demonstrat.* Σημειωτική, *quæ signa explicat, quibus dignoscuntur, & quem exitum habituri sint.* Θεραπευτική, *quæ morbos salutarium usu & admotione propulsat, sanitatemque restituit. Hæc divisio longè commodior ea, quam attulit Plato, cum itidem* [7] statueret quinque Medicinæ species: aliam quippe dici Φαρμακευτικήν, quæ nobis medicata potione subveniat: aliam Χειρουργικήν, quæ sectione & ustione curet: tertiam, quæ sola victus ratione & ordine arceat ægritudines, appellarique Διαιτητικήν: quartam,

[7] *Laërt. 3.*

tam, quæ ex celeri diſcretione morborum ſuccurrat ægris, vocarique Νοσογνωμονικὴν: quintam Βοηθητικὴν dici, quod ſtrenuo auxilio doloribus continuo liberet.

*Artes autem à prima parte, quæ exerceri cœpit, nomen aſſumere conſueverunt: nec tamen mutant, accedentibus poſtea & aliis. Ita Medicina ſive* [1] τῆς Ἰατρικῆς nomen παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, à medendo impoſitum, propriè θεραπευτικὴν, ſive medicatricem artis partem ſolum notat: *ſub qua & reliquas comprehendit.* [2] Medicus quoque inde videtur dictus, quia temperantia medium eſt inæqualitatis, quæ ſolet fieri ex contrariis elementis. *nempe Medicus eſt, qui excuperantem intemperiem reducit ad medium ſtatum, in quo bona valetudo conſiſtit.* Nam [3] in exceſſu, vel defectu morbum conſiſtere certum eſt. *Et* [4] in corporibus Medicina ſanitatem non internecione caloris aut frigoris, ſed proportione contemperationis quærit atque conficit.

Medicinæ etymologia.

[1] *Gal. an ars t. ſan. pert. ad med.*

[2] *Priſcian. 5.*

[3] *Ariſtotel. 1. Probl. 1.*

[4] *Plutarch. de virt. moral.*

IOH.

IOH. BEVEROVICII

# MEDICINÆ VETERVM

## PARS I.

## ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΗ.

DE

Natura, constitutione, & partibus corporis humani.

### CAP. I.

*Hominis constitutio ex anima, & corpore. Hujus partes, materia, compositio.*

Homo ex quibus constet.

[1] *Cicer. 5. de Finib.*

PErspicuum [1] est hominem è corpore animoque constare, cum primæ sint animi partes, secundæ corporis. Deinde id quoque videmus, & ita figuratum corpus ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut & sensibus instructus sit, & habeat prestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quædam vis rationis, & cognitionis & scientiæ, virtutumque omnium. nam quæ corporis sunt, ea nec autoritatem cum animi partibus comparandam, & cognitionem habent faciliorem.

Animæ præstantia.

Animæ natura incognita.

[2] *Aristot. 1. de part. an. 5.*

[2] Sed partem illam æternam & proinde nobilem ac divinam minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius modo sensui patent, quorum beneficio tum de ea ipsa parte divina, tum de iis, quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi indagandique suppeditetur. Mortalem atq; caducam, quod eam sociam familiaremque habemus, nosse uberius possumus.

[3] Laërt. 9. [3] Heraclitus id dicitur sensisse de Animæ natura, nunquam illam reperiri posse, quantalibet quis viæ conficiat spatia, adeò profundam ejus esse rationem.

[4] Plato 10. de Leg. *Quare* [4] qualis anima sit, & quam habeat vim, omnes fere ignorasse videntur, tum quoad alia, tum quoad ejus generationem, quod ante omnia corpora nata sit, & transmutationis decorisque corporum ipsa sit maximè omnium princeps.

[5] Lucret. 1.

*[5] Ignoratur enim, quæ sit natura animaï:*
*Nata sit an contra nascentibus insinuetur:*
*Et simul intereat nobiscum morte dirempta;*
*An tenebras Orci visat, vastasq; lacunas;*
*An pecudes alias divinitus insinuet se.*

[6] 1 Tusc. quæstion. *Hinc & Cicero ingenuè,* [6] Anima sit animus, *inquit*, ignisve, nescio: nec me pudet nescire, quod nesciam.

[7] Senec. 7. Nat. q. 24. [7] Multa autem sunt, quæ esse concedimus: qualia sint, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio & impellimur & revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius tibi dicet esse spiritum, alius tenuissimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit, [*Critias*] qui sanguinem dicat, qui calorem. *Hippo* aquam *esse vult*, *Heraclitus* vaporem, *Zeno* ignem, *Pythagoras* numerum, *Democritus* atomos, *Aristoteles* entelechiam. Adeo animo non potest liquere de cæteris rebus, ut adhuc ipse se quærat.

[8] Apuleius de mundo. [8] Anima in homine non videtur, *sed ex functionibus deprehenditur. unde* fateantur omnes necesse est, hujus opera omnia, quæ per hominem præclara fiunt, provenire: neque animæ ipsius qualitatem ac figuram oculis occurrere, sed momentis rerum ab eo gestarum intelligi qualis & quanta sit.

Animæ origo.

[9] Macrob. 1. Somn. Scip. 9. [9] Indubitatæ *verò* inter rectè philosophantes constat

constat esse sententiæ, animæ originem manare de cœlo, [1] eamque immortalem esse & ab interitu liberam. [1] *Plato 10. de Rep.*

[2] *Morte carent animæ.* [2] *Ovidius 15. Metam.*

Animæ sedes.

[3] Anima aut juxta cerebrum secundum Pythagoram & Platonem considet, aut juxta cerebri inferiorem partem, ut meningem, ut multis medicorum [*inter eos Erasistrato*] videtur: *aut in ventriculis cerebri, ut Herophilus vult, aut in toto capite, ut Democritus:* aut juxta superciliorum medium, ut Straton dixit: vel circa sanguinem, juxta Empedoclem & Aristotelem: vel circa cor, ut Stoici sentiunt. *In corde enim Zeno, in pectore eam ponit Parmenides.* [3] *Pollux 2.14.*

[4] Si extremam pedis partem offendas, momento temporis, ab unguibus, ut vulgo dicitur, ad caput usque dolor diffunditur. Putasne hoc futurum nisi corpus undique complexa esset anima, nisi toti corpori, non aliter quam lux aëri, permixta esset anima? [4] *Max. Tyrius Dissert. 17.*

*De animæ natura plura addere supersedeo, cum è cœlo profecta, ut diximus, & planè divina sit.* De divinis *autem, ut dicebat olim Simonides,* possumus tantum dicere, quid non sint.

[5] Corporis igitur nostri partes, totaque figura, & forma, & statura, quam apta ad naturam sit apparet; neque est dubium, quin frons, oculi, aures, & reliquæ partes, quales propriæ sunt hominis, intelligatur. Sed certè opus est ea valere & vigere, & naturales motus usůsque habere, ut nec absit quid eorum, nec ægrum debilitatumve sit. id enim natura desiderat. [5] *Cicero 5. de finib.*

Valetudo quib. sustenetur.

[6] Valetudo sustentatur notitia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant aut obesse: & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi caussa, & prætermittendis volu- [6] *Idem 2. Offic.*

voluptatibus: poſtremo arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent.

[1] Idem 1. de Oratore.

*Quare* [1] Medico diligenti priuſquam conetur ægro adhibere medicinam, non ſolum morbus ejus, cui mederi ſolet; ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt. [2] Nam fieri non poteſt, ut aliquid uni corpori accommodetur, quod non idem aliis prodeſſe, aliis obeſſe videatur.

Conſuetudo.
[2] Plato 1. de Leg.

[3] Idem 4. de Leg.

*Itaque* [3] Medicus communiter cum ægrotante, atque ejus amicis verſetur.

[4] Cicer. 2. Acad. qu.

*Præterea*, [4] qui ſint ſitus partium, quam vim quæque pars habeat, ignorare non debemus. Itaque Medici ipſi, quorum intererat ea noſſe, aperuerunt, ut ea viderent.

Anatomia.
[5] Senec. 5. contr. 33.

*Legimus eos* [5] ſemper, ut vim ignoratam morbi cognoſcerent, viſcera reſcidiſſe: hodie cadaverum artus reſcindi *videmus*, ut nervorum, articulorumque poſitio cognoſci poſſit.

Corporis fabrica.
[6] Senec. 2. Nat. qu. 3.
[7] Cicer. 2. de nat. Deor.

*Corpus ex diverſis conſtat.* [6] Ex his quædam ſunt partes, quædam materiæ loco relicta. Pars eſt noſtri, manus, oſſa, nervi, oculi. materia ſuccus retenti cibi iturus in partes. [7] Enumerare poſſum ad eum capeſſendum conficiendumque, quæ ſit in figuris animantium, & quam ſolers ſubtilisque deſcriptio partium, quamq; admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim quæ quidem intus incluſa ſunt, ita nata atque ita locata ſunt, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium. [8] Rurſus quaſi pars noſtri eſt ſanguis: qui tamen & materia eſt. Præparat enim & alia: & nihilominus in numero eſt eorum, quibus totum corpus afficitur.

[8] Senec. cit.

[9] Idem 3. Nat. 10.

[9] Placet natura regi terram, & quidem ad corporum noſtrorum exemplar, in quibus & venæ ſunt & arteriæ. Illæ ſanguinis, illæ ſpiritus receptacula.

In

In terra quoque alia ſunt itinera, per quæ aqua, alia per quæ ſpiritus currit: adeoque illam ad ſimilitudinem corporum humanorum natura formavit, ut majores quoq; noſtri aquarum appellaverint venas.

[1] Stirpes enim, ſive plantæ ſuis radicibus alimentum jam confectum ex terra hauriunt: quocirca ne excrementum quidem contrahi in ſtirpibus ſolet: terra enim, caloreque, perinde ac ventre, utuntur. At animalium genus omne fere, ſed apertè quæ incedunt, quaſi terram intra ſe continent ſinum ventris, ex quo, ut illæ radicibus, ita hæc aliquo intercedente, cibum aſſumere debent, donec finem ſequentis concoctionis faciant. Cibus enim ab oris officio ventri mandatur: hinc membrum aliud capiat, neceſſe eſt, & quidem ita natura conſtituit. Venæ enim per totum meſenterium ad ventrem tendunt uſque, exorſæ inferius. Sed hæc ex animalium conſectione & naturali hiſtoria petenda. [1] *Ariſt. 2. de part. anim. 3.*

[2] Cum autem omnis alimenti, omniſque excrementi conceptaculum aliquod haberi neceſſe ſit, venæque quaſi vaſa ſint ſanguinis, patet ſanguinem eſſe animalibus ſanguineis ultimum alimentum. Quamobrem quoties cibus non ingeritur, ſanguis deficit: quoties ingeritur, augetur. Et ſi *alimenta* bona aſſumuntur, ſanguis integer eſt, ſi prava, vitioſus. Sanguis. [2] *Ariſt. 2. de part. an. 1.*

[3] Corpus *verò* noſtrum *non modo* ſanguine irrigatur, *ſed* & ſpiritu, qui per ſua itinera diſcurrit. Habemus autem quædam anguſtiora animæ receptacula, per quæ nihil amplius, quam meat: quædam patentiora, in quibus colligitur, & unde dividitur in partes. [3] *Idem. 6. Nat. 24.*

[4] Igitur quaſi fæx aquæ profluentis, viſcera veluti profuſionis ſanguinis per venas fluentis, conſiſtunt. [4] *Ariſt. 2. de part. an. 1.*

[5] Vaporem enim prodire, eumque ſanguineum neceſſe eſt: ex quo conſiſtente concreſcenteque, [5] *Idem 3. de part. an. 10.*

viſce-

viſcerum corpus contrahatur, atque coagmentetur.

*Non omnes verò partes ſimul natura perficit.* *Nam* [1] in corpore noſtro oſſa, nervi, & articuli firmamenta totius, & alia minus ſpecioſa viſu prius ordinantur, deinde hæc ex quibus omnis in faciem aſpectumque decor eſt; poſt hæc omnia, qui maximè oculos rapit, color, ultimus perfecto jam corpore affunditur.

[1] *Senec. 2. de ira. 1.*

[2] Cum itaque triplex ſit compoſitio, prima ſtatui poteſt, ea quæ ex primordiis conficitur iis, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aërem, aquam, ignem: ſed melius fortaſſe dici poteſt, ex virtutibus confici elementorum, iiſque non omnibus: humiditas enim & ſiccitas, & caliditas & frigiditas, materia corporum ſunt compoſitorum. Secunda conſtitutio ex primis illis natura ſimilarium partium, ut oſſis, ut carnis, & reliquorum generis ejuſdem. Tertia partium diſſimilarium eſt, ut faciei, manus, & reliquorum ejusmodi membrorum.

[2] *Ariſt. 2. de part. an. 1.*

CAP. II.

## *Partium humani corporis deſcriptio.*

NUnc [3] per ſingulas corporis partes, membratim tractetur hiſtoria, *& à capite capiatur initium.*

[3] *Plin. 11. 37.*

Caput habent cuncta, quæ ſanguinem. *Hominibus id globoſum, quæ figura pulcherrima & perfectiſſima.* [4] Quid enim pulchrius ea figura, quæ ſola omnes alias figuras complexa continet, quæque nihil aſperitatis haberet, nihil eminens, nihil lacunoſum?

Capitis figura.
[4] *Cicer. 2. de nat. Deor.*

[5] Homo animalium maximè omnium piloſo capite eſt, cujus rei cauſſa tum ad neceſſitatem, tum

[5] *Ariſt. 2. de part. anim. 14.*
Capilli.

tum ad præſidii rationem referenda eſt: neceſſarium enim propter cerebri humiditatem, & ſuturas. Nam ubi plurimum humoris caloriſque eſt, ibidem ortum pilorum eſſe copioſum neceſſe eſt: adjumenti autem ratio, ut frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore. Cum enim cerebrum hominis proportione maximum & humidiſſimum ſit, maximam etiam tutelam deſiderat. Res namque humidiſſima quæque, & referveſcere, & refrigeſcere maximè idonea eſt: quæ autem contra ſe habet, hæc minus affici poteſt.

[1] Cerebrum *quoque* omnia habent animalia, quæ ſanguinem: etiam in mari, quæ mollia appellavimus, quamvis careant ſanguine, ut polypi. Sed homo portione maximum & humidiſſimum, omniumque viſcerum frigidiſſimum, duabus ſupra ſubterque membranis velatum, quarum alterutram rumpi mortiferum eſt. Cæterò viri, quam fœminæ, majus. Aliud eſſe, quam medullam, eruditi docent, quoniam coquendo dureſcat. Uni hominum infantia palpitat, nec corroboratur ante primum ſermonis exordium. Hoc eſt viſcerum excelſiſſimum, proximumque cælo capitis, ſine carne, ſine cruore, ſine ſordibus. Hanc habent ſenſus arcem: huc venarum omnis à corde vis tendit, hic deſinit. hic culmen altiſſimum, hic mentis eſt regimen. Omnium autem animalium in priora pronum: quia & ſenſus ante nos tendunt. Ab eo proficiſcitur ſomnus: hinc capitis nutatio. Quæ cerebrum non habent, non dormiunt. [2] Cum enim ſanguinis alentis affluentia refrigeretur à cerebro, aut etiam ob alias cauſſas ſimiles, caput aggravatur. Et quidem ſomno ſopiti, ea corporis parte ſolent tentari: atque efficitur, ut calor ad ima cum ſanguine ſubterfugiat, collectaque copia caloris in loco inferiorem ſomnum facit, & facultatem erigendi corporis aufert

Cerebrum.
[1] *Plin. 11. 37.*

Ejus temperamentum.

Subſtantia.

Mentis & ſenſuum arx.

Somni cauſſa.
[2] *Ariſt. 2. de part. anim. 7.*

fert ab iis animalibus, quæ erecta incedere Natura voluit: cæteris caput erigi prohibet.

Aures. [1] *Plin. cit.*

[1] Aures homini tantum immobiles. Ab iis Flaccorum cognomen.

Facies. [2] *Plin. cit.*

Frons.

[2] Facies homini tantum: cæteris os, aut roſtra. Frons & aliis: ſed homini tantum triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index.

*Hinc hilares frontē exporrigere & explicare dicũtur.*

[3] *Sollicitam explicuere frontem.*

*& triſtes obducere, contrahere, corugare.*

*Ita quoque,* [4] Frons caperat ſeveritudine.

[3] *Horat. 3. od. 29.* [4] *Plaut. Epid.*

Supercilia.

In aſcenſu ejus ſupercilia homini, & pariter, & alternè mobilia, & in iis pars animi. Hinc νέφος ὀφρύων, Supercilii nubes.

*Tragicus de Phædra animo admodum turbata:*

[5] Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὔξεται.

*& Latinus poëta:* [6] Deme ſupercilio nubem.

[7] — *ſublime caput mœſtiſſima nubes*
*Aſperat, & diræ riget inclementia formæ.*

[5] *Eurip. Hippol.* [6] *Horat. 1. Ep. 18.* [7] *Claudian. de rapt. Proſ.* [8] *Plin. cit.*

*Superciliis* [8] negamus, annuimus. Hæc maximè indicant faſtum. Superbia aliubi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet. *Hinc arrogantes Græcis dicuntur* αἴρειν, ἐπαίρειν, ἀνατείνεσθαι, ἀνασπᾷν τὰς ὀφρῦς, allevare ſupercilia, *ut Quintilianus loquitur.*

[9] *Diphilus.*

[9] Ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε
Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύς τις εἶ,
Ὅταν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιῇς μόνος,
Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν,
Τὸν δ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασύν.

[10] *Grotius vertit.*

[10] *O verè ſapiens ac meritò ſapientibus*
*Amicum Liber nomen, quàm multum juvas!*
*Tu namque ſolus cornua addis pauperi:*
*Ingenio duro bene tormentum admoves,*
*Suppeditas arma inermi, timido audaciam.*

*Super-*

*Supercilia salire, & palpitare veteres bonum omen crediderunt, quasi pollicerentur ex animi sententia successura, quæ optamus.*

[1] *Atque id futurum unde, unde dicam nescio,*
*Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.* — [1] *Plautus Pseudolo.*

Oculi. [2] Subjacent oculi pars corporis pretiosissima, & qui lucis usu vitam distinguant à morte. *Hinc veteres carissima quæque cum oculis contulere.* — [2] *Plin.* 11.37.

[3] *Ni te plus oculis meis amarem.* — [3] *Catull.* 14.

[4] *Vbi isti sunt, quibus vos oculi estis, quibus vitæ,* (*quibus*
*Deliciæ estis, quibus suavia mellita.* — [4] *Plautus Pseud.*

Diversitas. [5] Oculi homini tantum diverso colore: cæteris in suo cuique genere similes. Et equorum quibusdam glauci, sed in homine numerosissimæ varietatis atque differentiæ, grandiores, modici, parvi, prominentes, quos hebetiores putant: conditi, quos clarissime cernere, sicut in colore caprinos. Præterea alii contuentur longinqua, alii nisi prope admota, non cernunt. Multorum visus fulgore solis constat, nubilo die non cernentium, nec post occasus. Alii interdiu hebetiores, noctu præter cæteros cernunt. Cæsii in tenebris clariores. Ferunt Tiberio Cæsari, nec alii genitorum mortalium, fuisse naturam, ut expergefactus paulisper, haud alio modo quam luce clara, contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. Divo Augusto equorum modo glauci fuere, supraque hominem albicantis magnitudinis. Claudio Cæsari ab angulis candore carnoso, sanguineis venis subinde suffusi: Caio principi rigentes, Neroni, nisi cum conniveret, ad prope admota hebetes. Neque ulla ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maximè. Profecto in oculis animus inhabitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur osculari. — [5] *Plin. cit.*

[1] *Catull. 49.*

[1] *Mellitos oculos tuos, Iuventi,*
*Si quis me ſinat uſque baſiare,*
*Vſque ad millia baſiem trecenta.*

[2] *Plin. cit.*

[2] Hinc fletus & rigantes ora rivi. Quis ille humor eſt, in dolore tam fœcundus & paratus? aut ubi reliquo tempore?

Compoſitio.

Tenuibus multisq; membranis eos natura compoſuit, calloſis contra frigora caloresq; in extremo tunicis, quas ſubinde purificant lacrymationum ſalivis, lubricos propter incurſantia & mobiles.

Pupilla.

Media eorum cornea feneſtravit pupilla, cujus anguſtiæ non ſinunt vagari incertam aciem, & velut canali dirigunt, obiterque incidentia facile declinant.

Palpebræ.

Palpebræ in genis homini utrimque: ceu vallum quoddam viſus, & prominens munimentum contra occurſantia animalia, aut alia fortuitu incidentia. Defluere eas, haud immerito, Venere abundantibus tradunt.

Cilia.

Extremum ambitum genæ ſuperioris, Antiqui cilium vocavere: unde & ſupercilia.

Malæ.

[3] *Plin. cit.*

[3] Infra oculos malæ, quas priſci genas vocabant, XII. tabularum interdicto radi fœminis eas vetantes. Pudoris hæc ſedes. Ibi maximè oſtenditur rubor. Infra eas hilaritatem, riſumque indicantes,

Buccæ.

buccæ.

Naſus.

Et altior homini tantum, quem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavere, naſus.

[4] *Horat. I. Sat. 6.*

[4] *—— naſo ſuſpendit acuto.*

*Solet enim irriſor*

[5] *Perſius Sat. I.*

[5] *Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.*

[6] *Voßius 2. Orat. Inſt. 4. 13. 5.*

[7] *Lucian.*

[8] *Suaſor. I.*

[6] Id enim eſt μυκτηρίζειν, à μυκτὴρ, qua voce nares ſignificantur: unde quod Græci [7] Ἀττικὸν μυκτῆρα, id [8] M. Seneca naſum Atticum vocat. Nempe διὰ τὴν Ἀττικὴν δριμύτητα τῶν σκωμμάτων, ob Atticam illam mordendi acerbitatem. Unde Plinius Lucilium, quia ſatyram invenit, ait ſtili naſum condiſſe.

[9] *12. Epigr. 9.*

Et [9] Martialis ridet Tongilianum nihil habentem præter naſum, quia pauper erat, at acris

aliorum

aliorum cenſor. Atque inde Naſuti dicuntur: unde idem Martialis:

> [1] *Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus,* [1] *13. Epigr. 2.*
> *Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,*
> *Et poſſis ipſum tu deridere Latinum;*
> *Non potes in nugas dicere plura meas.*

[2] Dentium qui digerunt cibum, lati & acuti: qui conficiunt, duplices: qui diſcriminant eos, canini appellantur. Cæteris animalibus cum ipſis naſcuntur: homini, poſtquam natus eſt, ſeptimo menſe. Reliquis perpetuò manent: mutantur homini, ſeptimo ferè anno. (Dentes. [2] *Plin. cit. Ariſt. 3. de part. anim. 1.*)

[3] *Quot eras annos natus, &c.* (*primulum.* [3] *Plautus Menæch.*
M. *Septuennis. nam tum dentes mihi cadebant*

[4] Noviſſimi, qui genuini vocantur, [5] circiter vigeſimum annum gignuntur, multis [6] & octogeſimo. *Hinc Serotini Latinis, Hippocrati* [7] σωφρονιστῆρες, [8] eo quod dum naſcuntur, quod illi eſt quarto ſeptenario, homo σωφρονίζειν, ſapere incipiat. *Vnde &* Dentes ſenſus ac intellectus *Avicennæ dicuntur. Et Ariſtoteli* κραντῆρες, ἀπὸ τοῦ κραίνειν, καὶ ἀπὸ τοῦ πληροῦν τὴν ἡλικίαν, *quod ætatem perficiant compleantq́ue. Et ſic* Genuini, *quod his apparentibus ad genuinam ætatem pervenerit homo.* (Genuini. [4] *Plin. cit.* [5] *Varro.* [6] *Ariſt. 2. hiſt. an. 4.* [7] *de Carnib.* [8] *Ruffus 1. 8.*)

[9] Sed quibus in juventa non fuere nati, decidere in ſenecta & mox renaſci certum eſt. Zanclem Samothracenum civem, cui renati eſſent poſt centum & quatuor annos, Mutianus viſum à ſe prodidit. Timarchus Nicoclis filius Paphii, duos ordines habuit maxillarum. *Similiter* [10] Mithridatis regis filia duplici ordine dentium deformis admodum fuit. At Pruſiæ regis Bithyniæ filius pro ſuperiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, neque ad uſum ulla ex parte incommodum. [11] Hic μονόδους ideo dictus. ([9] *Plin. cit.* [10] *Valer. Max. 1. 8.* [11] *Feſtus.*)

Dentium numerus.
[1] 2. Epid. 6.
[2] 1. Hist. anim. 7.
[3] Sueton. in vita.
[4] 2. Anat. 27.
[5] Scaliger exerc. 271.

Triceni bini viris attribuuntur: nec fœminis minor numerus. Quibus plures fuere, longiora promitti vitæ spatia putant [1] *Hippocrates &* [2] *Aristoteles. Legimus tamen* [3] Augustum dentes raros & exiguos habuisse: & vixisse ad annos LXXVI. *Quo exemplo Cardanus (quod oscitanter* [4] *quidam Scaligero tribuit) contra Aristotelem insurgit.* [5] Sed hoc cum dicat summus omnium Philosophorum imperator, æquum erat Cardane, te caussam investigare: non autem uno exemplo tanti numinis elevare authoritatem. Hujusmodi namque sententiæ nequaquam sunt necessariæ. Maxima ex parte veras esse satis est. Qua lege admittuntur ad assensionem nostram etiam plerique Hippocratis Aphorismi. Rari dentes aut materiæ paucitatem, aut imbecillitatem significant. Iis ideo vita longa non destinatur. Est, quando adeo dura sunt ossa mandibularum, ut & aperiri facile, & subeunti cedere materiæ nolint. Iis vita longa destinatur.

[6] Plin. 11. 37.

[6] Hominum dentibus quoddam inest virus. nam & speculi nitorem ex adverso nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant.

Lingua.
[7] Plin. cit.

[7] Lingua animalibus reliquis in suo genere semper absoluta; homini tantum ita sæpe constricta venis, ut interdici (*lego* intercidi) eas necesse sit. Metellum pontificem adeò inexplanatæ fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda æde Opiferæ dicere. Cæteris septimo anno *cum tardissimè* sermonem exprimit. Multis verò talis ejus ars contingit, ut avium & animalium vocis indiscretè edatur imitatio. Intellectus saporum est cæteris in prima lingua, homini & in palato. Tonsillæ in homine, in sue glandulæ. Quod inter eas uvæ nomine, ultimo dependet palato, homini tantum est. Sub ea minor lingua, epiglossis appellata. Opera ejus gemina, duabus interpo-

Gustus instr.
Tonsillæ.
Vva.
Epiglottis.

terposita fistulis. Interior (*lege* Exterior. *nam* [1] exterior ante gulam arteria posita est) earum appellatur Arteria, ad pulmonem adque cor pertinens. [2] Hanc operit in epulando, ne spiritu ac voce illac meante, si potus cibusve in alienum deerraverit tramitem, torqueat. [3] Nam si quid vel cibi vel potus in arteriam delabitur, strangulationes, tormina, & tusses gravissimæ incitantur. Quam obrem non audiendi sunt, qui hac potum meare dicant: *hoc est, veteres fere omnes, tam philosophi, quam poëtæ.*

Arteria aspera.
[1] *Arist.* 3. *de part. an.* 3.
[2] *Plin. cit.*
[3] *Arist. cit.*
An potus in pulmones feratur.

[4] Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ. τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται.
Ἁ δ' ὥρα χαλεπὰ, πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος.

*id est*, Irriga pulmones vino. nam caniculę astrũ exoritur: hora difficilis, qua cuncta sitiunt præ ardore.

[4] *Alcæus inter odas Anacreontis.*

[5] Καὶ βαθὺν ἀκράτῳ πνεύμονα τεγγόμενος.
*Et profundum mero pulmonem tingens.*

[5] *Eratosthenes.*

*Homerus de Cyclope eadem loquitur: &, ut narrat Eupolis,* potare Protagoras jubebat, ut ante adventum caniculæ, pulmonem madidum haberet.

*Sed Aristoteles, & ante eum* [6] *Hippocrates contrarium docuit.*

[6] 4. *de morb.*

[7] Et Plutarchus & alii quidam docti viri, reprehensum esse ab Erasistrato nobili medico Platonem scripsere, quod potum dixit defluere ad pulmonem: eoque satis humectato, dimanare per eum, quia sit rimosior, & confluere inde in vesicam. Ipsum autem Erasistratum dicere, duas esse quasi caniculas quasdam, vel fistulas: easque ab oris faucibus proficisci deorsum; per earumque alteram deduci delabique in stomachum esculenta omnia & pocula: ex eoque ferri in ventriculum, qui Græcè appellatur ἡ κάτω κοιλία: atque ibi subigi digerique; ac deinde aridiora ex iis recrementa in alvum convenire, quod Græcè κῶλον dicitur, humidiora autem per renes in vesicam. Per alteram autem fistulam, quæ Græcè nominatur τραχεῖα ἀρτηρία, spiri-

[7] *Agell.* 17. 11.
Oesophagus.
Stomachus.
Arteria aspera.

tum à summo ore in pulmonem, atque inde rursum in os, & in nareis commeare: perq; eandem viam vocis quoque fieri meatum. Ac nihil humoris influere in pulmonem, ore ipso arteriæ, *ut diximus*, communito. Hæc Erasistratus medicus adversum Platonem. Sed Plutarchus in libro Symposiacorum, autorem Platonis sententiæ Hippocratem dicit fuisse; idemq; esse opinatos & Philistiona Locrum, & Dioxippum Hippocraticum, veteres medicos & nobiles. Atque ἐπιγλωττίδα non idcirco in eo loco constitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam (nam pulmoni quoque fovendo, rigandoq; necessarios humores videri) sed appositam quasi moderatricem quandam, arbitramque prohibendi admittendive, quos ex salutis usu foret: uti edulia quidem omnia defenderet ab arteria, depelleretque in stomachum: potum autem partiretur inter stomachum & pulmonem. Et quod ex eo admitti in pulmonem per arteriam deberet, non rapidum id, neque universum, sed quadam quasi obice sustentatum ac repressum, sensim paullatimque transmitteret, atque omnem reliquum in alteram stomachi fistulam derivaret.

Epiglottidis usus.

*Quare* [1] si potum omnem in pulmonem ferri existimat Plato, meritò accusandus est: quippe qui apertissimam rem ignoret: si verò portionem aliquam potus per asperam arteriam in pulmonem deerrare arbitratur, probabile quidpiam dicit.

[1] *Gal. 8. de plac. Hipp. & Plat.*

[2] Altera fistularum exterior (*legendum*, interior) appelletur sane Gula, qua cibus atque potus devoratur. Tendit hæc ad stomachum, is ad ventrem.

Gula.
[2] *Plin. cit.*

[3] Attrahitur & redditur aër per arteriam, itaque cum in parte priori cor primum collocari necesse sit, arteriam quoque seu guttur constitui ante gulam necesse est: hæc enim ad pulmonem & cor tendunt, gula ad ventrem.

[3] *Arist. 3. de part. an. 3.*

[4] Ex cartilagine & carne arteria constat. [5] non solum

[4] *Plin. cit.*
[5] *Arist. cit.*

ſolum enim ſpirandi cauſſa eſt, ſed etiam vocis: quod autem ſonet, læve ac ſolidum eſſe oportet. Gula nervo & carne conſtat. Ex nervo, ut extendi poſſit, cum cibus ingeritur: ex carne, ut mollis ſit, & cedat, nec lædatur aſperitate cibi deſcendentis.

[1] Cervix à multis vertebratisque orbiculatim oſſibus, flexilis ad circumſpectum, articulorum nodis jungitur. Spinæ annectitur, ſpina lumbis, oſſea: ſed tereti ſtructura, per media foramina à cerebro medulla deſcendente. Eandem eſſe ei naturam quam cerebro colligunt, quoniam prætenui ejus membrana modo inciſa, ſtatim expiretur. Summum gulæ fauces vocantur, extremum ſtomachus. Hoc nomine eſt ſub arteria jam carnoſa inanitas adnexa ſpinæ, ad latitudinem ac longitudinem lagenæ modo fuſa. [2] Cor animalibus cæteris in medio pectore eſt: homini tantum infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminẽs. [3] Etenim partem priorem verſus, tum ſenſus, tum etiam motus agitur. [4] Præterea ne pars prior refrigeretur. Pectus enim minus carnoſum, quam tergum eſt: quam ob rem à tergo perquam tutè calor opertus eſt. Ad lævam etiam paullum vergit, ut ejus partis refrigerationem moderetur & compenſet. Omnium enim animalium maximè homo refrigeratam habet partem ſiniſtram. [5] Hoc primum naſcentibus formari in utero tradunt: deinde cerebrum, ſicut tardiſſimè oculos. Sed hos primum emori, cor noviſſumè. Hinc præcipuus calor. Palpitat certè, & quaſi alterum movetur animal, intro præmolli firmeque opertum membranæ involucro, munitum coſtarum & pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ cauſſam & originem. Prima domicilia intra ſe animo & ſanguini præbet, ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat. Ex hoc fonte duæ gran-

Cervix.
[1] *Plin. cit.*
Medulla ſpinalis.
Fauces.
Stomachus.
Cor.
[2] *Plin. cit.*
[3] *Ariſt. cit.*
[4] *Idem 3. de part. an. 4.*
[5] *Plin. cit.*

des venæ in priora & terga discurrunt, sparsæque ramorum serie, per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Hirsuto corde gigni quosdam homines proditur, neque alios fortioris esse industriæ; sicut Aristomenem Messenium, qui ccc. occidit Lacedæmonios. [1] Hujus cor exectum pilis refertum invenerunt: cum eum aliquoties captum, & astutia elapsum cepissent.

Cor hirsutum.

[1] *Val. Max.* 1.8.

Pulmo.

[2] *Plin. cit.*

[2] Sub corde Pulmo est, spirandi officina, attrahens ac reddens animam, idcirco spongiosus ac fistulis inanibus cavus. *(anhelet.*

[3] *Persius Sat.* 1.

[3] *Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus*
*Situs in medio pectore.*

[4] *Theocr. Idyll.* 25.

[4] Μεσσηγὺς δ᾽ ἔσαλον στηθέων, ὅθι πνεύμονος ἕδρα.
*In medium verò jeci pectus, ubi pulmonis sedes.*

Iecur.

[5] *Plin. cit.*

Fel.

[5] Jecur in dextra parte est *abdominis*. In eodem est fel, non omnibus datum animalibus. Hominum paucis non est, quorum valetudo firmior, & vita longior. Est autem nihil aliud, quam purgamentum pessimi sanguinis, & ideò in materia ejus est. Certe jecur nulli est, nisi sanguinem habentibus.

Præcordia.

[6] *Plin. cit. Arist.* 3. *de part. an.* 10.

[6] Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellaverunt phrenas. Omnia quidem principalia viscera, membranis propriis, ac velut vaginis inclusit providens natura: in hac fuit & peculiaris caussa vicinitas alvi, ne cibo supprimeretur animus. Huic certe fertur accepta subtilitas mentis: ideo nulla [*non multa*] est ei caro, sed nervosa exilitas. In eadem præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maximè intelligitur alarum, ad quas subit, non alibi tenuiore cute humana, ideò scabendi dulcedine ibi proxima. Ob hoc in prœliis gladiatorumque spectaculis mortem cum risu trajecta præcordia attulerunt.

[1] Subest venter adnexus infimo stomacho homini, similis canino. His solis animalium inferiore parte angustior: itaque & sola vomunt, quia repleto propter angustias supprimitur cibus, quod accidere non potest iis, quorum spatiosa laxitas eum in inferiora transmittit. Ab hoc ventriculo lactes, à quibus capaciora intestina ad alvum, homini flexuosissumis orbibus. idcirco magis avidi ciborum, quibus ab alvo longius spatium. Iidem minus solertes, quibus obesissimus venter. Media hæc umbilico annexa in omnibus, in homine suillæ infima parte similis, à Græcis appellatur colon, ubi dolorum magna caussa est.

Ventriculus. [1] *Plin. cit.*

Colon. Dolor colicus.

[2] Pectus, hoc est, ossa, præcordiis & vitalibus natura circumdedit; at ademit ventri, quem necesse erat increscere [3] ingesto cibo, & ne in fœminis incremento partuum obstet. [4] Nulli animalium circa ventrem ossa. Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum. Costæ homini octonæ. [*duodenæ.*] [5] Protophani Magnesio costæ, ut in aliis hominibus discretæ non fuerunt, sed os unum continuum à jugulo ad situm usq; postremæ nothæ costæ. [6] Ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento teguntur, [7] ad cibi meliorem concoctionem. Calor enim vim habet concoquendi, pingue autem calidum est, & omentum pingue.

[2] *Plin. cit.*

[3] *Arist. 2. de part. an. 10.*

[4] *Plin. cit.*

Costæ.

[5] *Pausan. 1.*

Omentum.

[6] *Plin. cit.*

[7] *Arist. 4. de part. an. 3.*

[8] Huic adnectitur lien in sinistra parte adversus jecori, cum quo locum aliquando permutat, sed prodigiosè. Per vulnus ademto liene vivere animalia tradunt. Sunt qui putent adimi simul risum homini: intemperantiamque ejus constare lienis magnitudine.

Lien.

[8] *Plin. cit.*

[9] *—petulanti splene cachinno.*

[9] *Persius Sat. 1.*

[10] Proximè jecori locatus, ut purum hoc semper clarumque reddat, & modo speculi nitens atque perspicuum, ad imagines exprimendas accommodatum.

[10] *Plato Timæo.*

Renes. [1] Plin. cit. Arist. 3. de part. an 9.

datum. [1] Renes adhærent lumbis. Dexter omnibus elatior [depressior *ob jecoris magnitudinem*] & minus pinguis, ficciorque. Utrique pinguedo è medio exit. Homo bubulis similes habet, velut è multis renibus compositos.

Venæ emulgentes. [2] Arist. 3. de part. an. 9. Vreteres.

[2] Meatus, qui ex vena *cava* pertendit, non cavum subit renum, sed in eorum corpus absumitur: quam ob rem in cavis eorum nihil sanguinis continetur, neque concrescit mortuis.

Meatus verò de cavis renum exangues duo insignes ad vesicam feruntur, singuli ex singulis: atque etiam alii ex vena aorta validi frequentesque eodem deveniunt. Quæ ita natura instituit, ut ex vena humoris excrementum ad renes veniret: in renibus autem sedimen, humoribus per corpus renum colatis, in medium conflueret, ubi plurimi cavum continent. Quo fit, ut renes omnium maximè viscerum fœdum reddant odorem.

Vesica. [3] Plin. cit. Ilia.

[3] Infra alvum est à priore parte vesica. Inter eam & alvum arteriæ, ad pubem tendentes, quæ ilia appellantur.

Vterus.

Fœminis eadem omnia, præterque vesicæ junctus utriculus: quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus vulvam, *forte à bulga, quasi folliculo.*

[4] Lucil. 21.

[4] *Ita ut quisque nostrum è bulga est matris in lucem editus.*

[5] Plin. cit. Vteri suffocatio.

[5] In muliere geminos sinus ab utraque parte laterum habet, funebris quoties versa spiritum includit.

Nervi. Articuli. Vincula.

Nervi orsi à corde, bubuloque etiam circumvoluti, in omnibus lubricis applicati ossibus: nodosque corporum, qui vocantur articuli, aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligantes, hic teretes, illic lati, ut in unoquoque poscit figuratio. Interiores conducunt membra, superiores revocant.

Arteriæ. Venæ.

Inter hos latent arteriæ, id est, spiritus semitæ. His innatant venæ, id est sanguinis rivi. Hæ in prætenues postremò fibras subter totam cutem dispersæ,

ſperſæ, adeò in anguſtam ſubtilitatem tenuantur, ut penetrare ſanguis non poſſit, aliudve quam exilis humor ab illo, qui cacuminibus innumeris ſudor appellatur. Venarum in umbilico nodus ac coitus.

Sudor.
Vmbilicus.

## CAP. II.

### *De uſu partium fuſior demonſtratio.*

CUm [1] rerum aliæ ſint ſempiternæ, ſummeque divinæ, aliæ quæ poſſint, & eſſe, & non eſſe: pulchrum autem, divinumque illud cauſſa ſemper ſua natura melioris conditionis in rebus contingentibus ſit: quod verò ſempiternum non eſt, id & eſſe, & particeps tum deterioris, tum melioris eſſe poſſit: cumque anima ſit corpore melior, animatumque inanimato præſtet propter animam: & eſſe, quam non eſſe; & vivere, quam non vivere, melius ſit: efficitur his de cauſſis, ut generatio ſit animalium.

Procreandi neceſſitas.
[1] *Ariſt. 2. de gener. animal. 1.*

*Ergo ipſa*

*[2] — excipiat quamvis anguſti terminus ævi:*
*At genus immortale manet: multosque per annos*
*Stat fortuna domus, & avi numerãtur avorum.*

[2] *Virgil. 4. Georg.*

[3] Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις ῥέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.
Ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.
*Nil ortus noſter foliorum diſtat ab ortu,*
*Quæ ventus modo fundit humi, modo tẽpore verno*
*Plurima naſcuntur in ſilvis rurſus opacis.*
*Sic hominum pars orta viget, pars deſinit eſſe.*

[3] *Homer. Il. 7.*

*Hinc* [4] commune animantium omnium eſt conjunctionis appetitus procreandi cauſſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. [5] Nam primum aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt. Deinde partes corporis

[4] *Cicero 1. offic.*
[5] *Idem 2. de nat. Deor.*

poris & ad procreandum & ad concipiendum aptiſſimæ, & in mari & in fœmina commiſcendorum corporum miræ libidines.

[1] Lucret. 2.

[1] *Ipſaque deducit dux vitæ dia voluptas,*
*Vt res per Veneris blanditum ſecla propagent;*
*Ne genus occidat humanum.*

[2] Laërt. 8.

[2] Semen autem eſſe dicebat Pythagoras cerebri ſtillam, quæ in ſe calidum contineat vaporem. Hæc verò dum infunditur vulvæ, ex cerebro ſaniem & humorem ſanguinemque profluere. Ex quibus caro, nervi, oſſa, pili, totumque conſiſtat corpus: ex eo autem vapore ſenſum atque animam conſtare. Formari autem primo quidem concretum & compactum intra dies quadraginta: juxta verò rationem harmoniæ, intra ſeptem, aut novem, aut decem ut plurimum menſes conſummatum atque perfectum infantem gigni. Habere autem in ſe omnis vitæ rationes, quibus ſua ſerie connexis contineri juxta congruentiæ rationem, quum ſingula ſtatutis temporibus accedunt.

[3] Cicer. cit.

[3] Cum autem in locis ſemen inſedit, rapit omnem fere cibum ad ſeſe, eoque ſeptum fingit animal: quod cum ex utero elapſum excidit in iis animantibus, quæ lacte aluntur, omnis ferè cibus matrum lacteſcere incipit: eaque, quæ paulo ante nata ſunt, ſine magiſtro duce natura mammas appetunt, earumque ubertate ſaturantur.

[4] Gal. 3. de uſu. part. 10.

*Non eſt, quod hic de Momo*, [4] aliiſque pecudibus verba faciamus, ne polluere videamur ſacrum ſermonem, quem ego Conditoris noſtri verum hymnum compono: exiſtimoque in eo veram eſſe pietatem, non taurorum hecatombas ei plurimas ſacrificari, & caſias, aliaque ſexcenta odoramenta ac unguenta ſuffumigari: ſed ſi noverim ipſe primus, deinde & aliis expoſuerim, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu

cultu conveniente exornare omnia, nihilque suis beneficiis privatum esse voluerit, id perfectissimæ bonitatis specimen esse statuo: & hac quidem ratione ejus bonitas hymnis nobis est celebranda: hoc autem omne invenisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur, summæ sapientiæ est: effecisse autem omninò, quæ voluit, virtutis est invictæ ac insuperabilis.

[1] Faciliusque intelligetur, à diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanæ naturæ figura atque perfectio. Nam cum [2] tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu: ad hæc omnia percipienda os est aptissimum, quod adjunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his attenuatur, & molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quæ confectio etiam à lingua adjuvari videtur. Linguam autem ad radices ejus hærens excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt ore. is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. atque is agitatione & motibus linguæ, cum depulsum & quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eæ, quæ sunt infra id, quod devoratur, dilatantur: quæ autem supra, contrahuntur. Sed cum aspera arteria (sic enim à medicis appellatur) ostium habeat adjunctum linguæ radicibus, paulo supra quam ad linguam stomachus annectitur, eaq; ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu, eandemque à pulmonibus respiret & reddat: tegitur quasi quodam operculo. quod ob eam caussam datum est, ne si quid in eam cibi fortè incidisset, spiritus impediretur. Sed cum alvi natura subjecta stomacho, cibi & potionis

sit

[1] *Cicer. 2. de nat. Deor.*

Vita tenetur tribus rebus.

[2] *Hipp. de flat.*

Dentium usus.

Linguæ usus.

Stomachi usus.

Paristhmia.

Tonsillæ.

Epiglottidis usus.

Ventriculi usus.

sit receptaculum, pulmones autem & cor extrinsecus spiritum adducant: in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quæ constant fere è nervis. Est autem multiplex & tortuosa, arcetque & continet, sive illud aridum est sive humidum quod recipit, ut id mutari & concoqui facile possit: eaque tum astringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit & confundit: ut facile & calore, quem multum habet exterendo cibo, & præterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur. In pulmonibus autem inest raritas quædam & assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt aspirantes, tum respiratu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes. Ex intestinis autem & alvo secretus à reliquo cibo succus is quo alimur, permanat ad jecur per quasdam à medio intestino (mesenterio, id est, *medio inter intestina*) usque ad portas jecoris ductas & directas vias, quæ pertinent ad jecur, eique adhærent. Atque inde aliæ ad renes pertinentes sunt, per quas cadit cibus à jecore dilapsus. Ab eo cibo cum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt, ad easdemque portas jecoris confluunt, ad quas omnes ejus viæ pertinent: per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quæ cava appellatur, confunditur, perq; eam, ad cor, confectus jam coactusq; perlabitur. [1] A corde autem in totũ corpus distribuitur per venas admodũ multas, in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autem reliquiæ cibi depellantur, tum astringentibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est. Sed illa potius explicetur incredibilis fabrica naturæ. Nam quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde coagitatione pulmonum:

Vena cava. Sanguinis per corpus distributio.
[1] *Arist. 3. de part. anim. 4.*

Spiritus vitalis generatio.

monum: ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis à jecore per venam illam cavam influit, eoque modo ex his partibus & sanguis per venas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. Utræque autem crebræ multæque toto corpore intextæ vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. Quid dicam de Ossibus? quæ subjecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accõmodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huc adde nervos, à quibus artus continentur: eorumque implicationem toto corpore pertinentem; qui sicut venæ & arteriæ à corde tractæ & profectæ in corpus omne ducuntur. Ad hanc providentiam naturæ tam diligentem, tamque solertem adjungi multa possunt, è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à Deo, quamque eximiæ tributæ sint: qui primo eos humo (*fortè respexit Varronis etymon, quod repugnante* [1] *Fabro probat* [2] *Lactantius*) excitatos, celsos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent. Sunt enim in terra homines, non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce mirificè ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent; ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. *Præterea* [3] Visus parti priori mandatus est: cernitur enim per directum. Motus enim ante fit. Prospiciendum etiam est eodem, quo motus agitur. Aures orbem capitis æquis portionibus secant, tenentque

Cordis ventriculi.

Ossa.

Nervi.

Homo ab humo.
[1] *1. Orat. Inst. 6.*
[2] *lib. de Ira.*
Homo erectus.

Sensus.

Oculi.

Visus.
[3] *Arist. 2. de part. anim. 10.*
Auditus.

nentque medium. Auditur enim non modo per directum, verum etiam undique. [1] Et aures cum sonum recipere debeant, qui natura in sublime fertur, rectè in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemque nares, quod omnis odor ad superiora fertur, rectè sursum sunt: & quod cibi & potionis judicium magnum earum est, non sine caussa vicinitatem oris sequutæ sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis ac poculentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque ut in ædificiis architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit à sensibus. Quis verò opifex præter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? quæ primum oculos membranis tenuissimis vestivit & sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset: firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut & declinarent, si quid noceret; & aspectum, quo vellent, facilè converterent. aciesque ipsa qua cernimus, quæ pupilla vocatur, adeo parva est, ut ea quæ nocere possint, facile vitet. palpebræque, quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem aptissimè factæ, & ad claudendas pupillas, nequid incideret, & ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, siquid incideret, repelleretur, & somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quiescerēt. Latent præterea utiliter, & excelsis undique partibus

[1] Cicer. cit.

Odoratus. Nares.

Gustatus.

Tactus.

Oculorum membranæ.

Pupilla.

Palpebræ.

Palpebrarum pili.

tibus ſepiuntur. Primum enim ſuperiora ſupercí-liis obducta ſudorem à capite & fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubjectæ, leviterque eminentes. Naſus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interjectus eſſe videatur. Auditus autem ſemper patet. ejus enim ſenſu etiam dormientes egemus. à quo cum ſonus eſt acceptus, etiam è ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet, nequid intrare poſſit, ſi ſimplex & directum, pateret. Proviſum etiam, ut ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium tanquam in viſco inhæreſceret. Extra aurem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi cauſſa factæ, tutandique ſenſus, & ne adjectæ voces laberentur atque errarent, priuſquam ſenſus ab his pulſus eſſet. Sed duros & quaſi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur ſonus. Quocirca & in fidibus teſtudine reſonatur, aut cornu, & ex tortuoſis locis & incluſis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ ſemper propter neceſſarias utilitates patent, contractiores habent introitus, nequid in eas, quod noceat, poſſit pervadere: humoremque ſemper habent ad pulverem, multaque alia repellenda non inutilem. Guſtatus præclarè ſeptus eſt. ore enim continetur, & ad uſum aptè, & ad incolumitatis cuſtodiam. Omnisque ſenſus hominum multò antecellit ſenſibus beſtiarum. Primum enim oculi in iis artibus, quarum judicium eſt oculorum, in pictis, fictis, cælatisque formis, in corporum etiam motione atque geſtu multa cernunt ſubtilius: colorum etiam & figurarum tum venuſtatem atque ordinem, &, ut ita dicam, decentiam oculi judicant: atque etiam alia majora. nam & virtutes & vitia cognoſcunt: iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignavum, audacem, timidumque

Genæ.

Naſus.

Auditus organum.

Aurium ſitus, & ſtructura.

Guſtatus organum.

Oculorum judicium.

Aurium judicium.

cognoſcunt. Aurium item eſt admirabile quoddam artificioſumque judicium, quo judicatur & in vocis & in tibiarum nervorumque cantibus varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum, leve, aſperum, grave, acutum, flexibile, durum: quæ hominum ſolum auribus judicantur. Nariumque item & guſtandi & apertè tangendi magna judicia ſunt: ad quos ſenſus capiendos & perfruendos plures etiam quam vellem artes repertæ ſunt. Perſpicuum eſt enim, quò compoſitiones unguentorum, quò ciborum conditiones, quò corporum lenocinia proceſſerint. Jam verò animum ipſum, mentemque hominis, rationem, conſilium, prudentiam; qui non divina cura perfecta eſſe perſpicit, is ipſis rebus mihi videtur carere. Ad uſum autem orationis incredibile eſt, niſi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura ſit. Primum enim à pulmonibus arteria uſque ad os intimum pertinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur & funditur. Deinde in ore ſita lingua eſt finita dentibus, ea vocem immoderatè profuſam fingit & terminat: quæ ſonos vocis diſtinctos & preſſos efficit, cum & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos reſonent in cantibus. [1] Quod ſi lingua talis, & labra humida atque agilia non eſſent, maxima literarum pars exprimi non poſſet: quippe cum literæ partim lingua producantur, partim labris comprimantur. [2] Quam verò aptas, quamque multarum artium miniſtras manus natura homini dedit? Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commiſſuras & artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad ſculpendum, ad nervorum eliciendos ſonos, ac tibiarum,

Vocis genera.

Narium, Guſtandi, Tangendi judicium.

Animus.

Orationis organa.

Arteria aſpera.

Linguæ uſus.

Sermonis organa.

[1] *Ariſt. 2. de part. anim. 16.*

Manuum, Digitorum uſus.

[2] *Cicer. cit.*

biarum, apta manus est admotione digitorum. Atque hæc oblectationis, illa necessitatis, cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta, omnemque fabricam æris & ferri. Ex quo intelligitur, ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possimus: urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.

## CAP. III.

### *Corporis constitutio ex elementis. Quibus id conservetur, aut destruatur.*

*HUmanum corpus unum efficit continuatio seriesque partium, quas enumeravimus. Quæ cum simplices non sint, rursum minutius conciduntur, donec ad* [1] id perventum erit, quod in diversas species partiri nequit. Elementum *vocant.* [2] Quod unum multi è veteribus, sed perperam constituunt.

[1] *Arist. 5. Metaph. 4.*

Elementum non unum.

[2] *Hippocr. de nat. hum.*

[3] *Lucret. 2.*

[3] *Quapropter qui materiem rerum esse putarunt*
*Ignem; atque ex igni summam consistere posse:*
*Et qui principium gignundis aëra rebus*
*Constituere: aut humorem quicunque putarunt*
*Fingere res ipsum per se: terramve creare*
*Omnia, & in rerum naturas vertier omnis;*
*Magnopere à vero, longeque errasse videntur.*
*Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,*
*Aëra jungentes igni, terramque liquori.*
Sed *qui quatuor ex rebus posse omnia rentur,*
*Ex igni, terra, atque anima procrescere, & imbri:*
*Quorum Agrigentinus cumprimis Empedocles est,*

Elementa quatuor.

*rem acu tetigisse videntur. Et* [4] Empedocles fortasse Trismegistum sequutus est, qui corpora nostra ex quatuor elementis constituta esse dixit à Deo: habere namque in se aliquid ignis, aliquid

Elementorum mixtio.

[4] *Lactant. 2. de orig. err. 13.*

aëris, aliquid aquæ, aliquid terræ: & neque ignem esse, neque aërem, neque aquam, neque terram. quæ quidem falsa non sunt. Nam terræ ratio in carne est: humoris in sanguine: aëris in spiritu: ignis in calore vitali.

[1] Ovidius 1. Met.

[1] *Quippe ubi temperiem sumpsere humorque calorque;*
*Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.*
*Cumque sit ignis aquæ pugnax; vapor humidus omnes*
*Res creat, & discors concordia fœtibus apta est.*

Temperamentum.

*Hæc discors elementorum concordia, Physicis Temperamentum est, concentus scilicet quidam quatuor principum qualitatum.*

Qualitates.
[2] Cicer. 1. Acad. qu.

[2] Qualitatum sunt aliæ principes, aliæ ex his ortæ. Principes sunt uniusmodi & simplices. Ex his autem ortæ variæ sunt, & multiformes. Itaque aër quoque, ignis, & aqua, & terra, prima sunt. Ex iis autem ortæ animantium formæ, earumque rerum, quæ gignuntur à terra. Ergo illa initia, Elementa dicuntur: è quibus aër & ignis movendi vim habent & efficiendi, reliquæ partes accipiendi & quasi patiendi, aquam dico & terram.

[3] Idem 2. de nat. Deor.

[3] Quin & humorem & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem si quis quærat unde habemus: apparet quod aliud à terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aëre eo quem spiritu ducimus.

[4] Senec. 2. de Ira 18.

[4] Et locorum itaque & animalium, & corporum, & morum varietates, mixtura Elementorum facit, & proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout alicujus elementi vis major abundavit. Inde quasdam humidas vocamus aridasque regiones, & calidas & frigidas. Eadem animalium & hominum discrimina sunt. Refert quantum quisque humidi

in

in se calidique contineat. cujus in illo elementi portio prævalebit, inde mores erunt. Iracundos fervidi mistura faciet: est enim actuosus & pertinax ignis. Frigidi mistura frigidos facit: pigrum est enim contractumque frigus.

[1] *Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,*
*Iracundaque mens facile effervişcit in ira.* [1] *Lucret.* 3.

*Sed major adhuc in corporis, quam animi sanitatem, vis est tẽperamenti elementorum. Et ipsa* [2] Sanitas nihil aliud est, quam dispositio quædam, quæ ex humido & sicco, frigido & calido, vel naturæ vel artis beneficio aptè composito constat. quod si tantillum naturæ demas vel artis, dispositionem illam turbas, ipsam sanitatem evertis. Sanitas in quo cõsistat. [2] *Max. Tyr.* 10 *Dissert.* 10.

*Vnde patet* [3] Sanitatem esse temperiem qualitatum concinnam, hoc est certa invicem proportione respondentium. Sanitas quid. [3] *Plutarch.* 5. *de plac. Phil.* 30.

[4] Licet *autem* vita absque primarum qualitatum permixtione neutiquam possit consistere, peculiariter tamen in calore sita esse perhibetur. [4] *Arist. de long. & brev. vitæ & 14. Probl.* 10.

[5] Sic enim res se habet, ut omnia, quæ alantur, & crescant, contineant in se vim caloris: sine qua neque ali possent, neque crescere. Nam omne quod est calidum & igneum, cietur & agitatur motu suo. quod autem alitur & crescit, motu quodam utitur certo & æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus & vita remanet: refrigerato autem & extincto calore, occidimus ipsi & extinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore. Negat enim ullum cibum esse tam gravem, quin is die & nocte concoquatur: cujus etiam in reliquiis inest calor, iis, quas natura respuerit. Jam verò venæ & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animadversumque sæpe est, cum cor animantis alicujus evulsum, ita mobiliter palpitaret, ut [5] *Cicero* 2. *de nat. Deor.* Caloris vis.

imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod vivit, id vivit propter inclusum in eo calorem.

[1] Lucret. 3.

[1] *Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso*
*Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.*

Morimur paullatim.

*Hic cum continuo in humidum, alterum vitæ principium, agat, & id indesinenter depascatur,* [2] non repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus. Quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tum quoque cum crescimus, vita decrescit.

[2] Senec. Epist. 24.

[3] Ovidius 15. Met.

[3] *Nostra quoque ipsorum semper, requieq; sine ulla*
*Corpora vertuntur: nec quod fuimusve sumusve,*
*Cras erimus.*

*Et quia quod è corpore continuò effluit, non eadem bonitate instauratur;*

[4] Idem de rem. amor.

[4] *— cito pede labitur ætas.*
*Nec bona tam sequitur, quam bona, prima fuit.*

*Siquidem*

[5] Horat. 2. Epist. 2.

[5] *Singula de nobis anni prædantur euntes.*

Mors inevitabilis.

[6] Cicer. 1. de invent.

*Quamvis verò* [6] corpus mortale aliquo tempore interire necesse est: atque ita necesse est, ut vis ea postulat, quam modo describebamus, necessitudinis: cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest: *tamen ne id ante tempus fiat, procurandum est.*

[7] Xenophon Memorab.

[7] Socrates vehementer familiares suos hortabatur, ut valetudinis curam haberent: ac partim à peritis, quæ possent, discerent, partim singuli per omnem vitam seipsos observarent, quinam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret, & quo pacto his utendo, quam optima frui valetudine possent. Nam si quis ita sui rationem haberet, difficile ajebat esse, ut medicum aliquis inveniret, qui ad valetudinem conducentia magis ipso dijudicaret.

Rerum non-naturalium necessitas.

*Vt igitur quod absumptum est, quantum fieri potest, resarciatur, cibo, potu, aërisque inspiratione*

*opus est. Cum verò cibus & potus corporis nostri alimentum fieri nequeant, nisi coctione immutentur; & coctio, calidi innati spirituumque beneficio in primis perficiatur: omnia quæ calorem nativum spiritusque seu conservare, seu augere possunt, ad sanitatem tuendam faciunt, quæ verò illa dissipant aut impensè consumunt, sanitati & vitæ obsunt. Talia sunt, Somnus & Vigilia, Animi corporisque motus, &c. Quia porrò cibus, quem assumimus, ob dissimilitudinem, in corporis nostri substantiam totus verti non potest: necessariò in coctione, aliqua excrementa secernuntur, quæ cum inutilia sint, ne corpus nostrum offendant, excernenda sunt.*

*Hinc rectè dictum à Cicerone,* [1] Valetudinem postulare πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας; concoctionem, jucunditatem, deambulationem moderatam, delectationem, purgationem ventris. [1] *Epist. ad fam. 16.*

[2] Et hæc ægri sanique communia habent, ne avide cibos appetant, ut lassitudinem vitent, *& reliquis quatuor, quas Res non-naturales vocant Medici, ritè utantur. Sunt enim istæ pro usu aut abusu, vel sanitatis vel morborum caussæ, uti sigillatim deinceps monstrabimus.* [2] *Senec. Ep 94.*

IOH. BEVEROVICII

# MEDICINÆ VETERUM

## PARS II.

## ΔΙΑΙΤΗΤΙΚΗ.

DE

Sex rebus non-naturalibus, quatenus Sanitatis, vel morborum caussæ.

---

## LIB. I.

# DE AERE.

## CAP. I.

### *Aëris necessitas, temperies, materia, substantia, facultates.*

Aëris necessitas. [1] *Plin.* 2.38.



*Nter* [1] *res non naturales primus Aëri debetur locus. Siquidem* tot animalium haustus spiritum è sublimi trahit, *quo vix momento carere possunt.*

[2] *Cicero* 2. *de nat. Deor.* Temperies. Materia.

[2] Terra sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est Aër, Græcum illud quidem, sed receptum tamen usu à nostris: tritum est enim pro Latino.

[3] *Cicer. ibid.*

[3] Ipse verò aër, qui natura est maximè frigidus, minimè est expers caloris: ipse enim oritur ex respiratione aquarum. earum enim quasi vapor quidam aër habendus est. Is autem existit motu ejus caloris, qui aquis continetur. quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quæ effervescunt subditis ignibus.

[1] Aër die & nocte distinguitur: isque tum fusus & extenuatus in sublimi fertur, tum autem concretus in nubeis cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum & calorum facit varietates: idemque & spiritu ductus alit, & sustentat animantes, *fumosaque spiritus & caloris nativi supervacanea excipit. Quare tam si eo destituatur, quam si nimium retineat, moritur homo.* [1] Cic. ibid. Facultates.

[2] Hector diu flumini obluctatus in ripam semianimis evasit, & ut primum fatigatus spiritum laxavit, quem metus & periculum intenderant, nullo adjuvante exanimatus est. *Et* [3] qui intemperantius aquam hauserant, intercluso spiritu extincti sunt. [2] Curtius 4. Hist. [3] Idem lib. 6.

[4] Fertur ille quidem levitate sublimi, sed tamen in omnes partes se ipse fundit. itaque & mari continuatus & junctus est, & natura fertur ad cœlum. cujus tenuitate & calore temperatus, vitalem & salutarem spiritum præbet animantibus. *Quacunque is vel substantia, vel qualitate præditus est, ea ipsa primum spiritus, deinde humores, postremo partium substantiam afficit. Serenus, tenuis, temperatus omnibus convenit. Nam* [5] [4] Cicer. cit. Aër temperatus & tenuis.

*Temperie cœli corpusque animusque juvatur.* [5] Ovid. 2. de Ponto 7.

*Et, ut hic spiritus nostros collustrat, sanguinem attenuat, corpus omne pervadens raritate diffundit, suscitatoque calore appetentiam, concoctionem, supervacuorum dissolutionem, expurgationemque procurat: ita crassus, densus, caliginosus, & aliena permistione inquinatus, spiritus obscurat, sanguinem & humores densat atque labefactat, corpus degravat & calorem opprimit.* [6] Q. Catulus Cos. Romanus à C. Mario propter civiles dissensiones mori jussus; recenti calce illito, multoque igni percalfacto cubiculo, se inclusum peremit. Aër crassus. [6] Valer. Max. 9. 12.

## CAP. II.

### *Corporis & animi sanitas ex aëre dependens: ejusque à cœlo, & terra mutatio.*

Aër salubris.

TAnta aëris vis & facultas, ut optime servetur
—— *mens sana in corpore sano.*

[1] Polybius 14. Hist.

[1] In Lusitania ob aëris temperiem & homines fœcundi sunt, & animantia reliqua, & fructus, qui nascuntur in ea provincia, minimè corrumpuntur.

[2] Iustin. 44. Hist.

*Quin &* [2] salubritas cœli per omnem Hispaniam æqualis, quia aëris spiritus nulla paludum gravi nebula inficitur.

[3] Phyllidius Com.

[3] Ὅπερ μέγιστόν ἐστιν ὑγιείας μέρος,
Τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν, οὐ τεθολωμένον.
*Hinc sanitatis pars hæc est potissima,*
*Haurire purum spiritum, non turbidum.*

[4] Iustin. 2. Hist.
[5] Appinian. de bell. Punico.

*Referunt* [4] Ægyptum ita temperatam semper fuisse, ut nec hyberna frigora, nec æstivi solis ardores incolas ejus premerent. [5] Sunt Numidæ in tota Africa valentissimi, & inter longævos annosissimi: ea caussa fortasse, quod hyems ibi habet parum noxii frigoris, & æstas non est tam ardens, quam apud Indos ac Æthiopas.

Aëris mutatio.
[6] Herodot. 2. Hist. 77.
[7] Livius 5. Hist.

*Quinetiam* [6] ex aëris mutationibus præcipuè existunt in hominibus morbi.

*Ita sæpè* [7] tristem hyemem, ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit.

[8] Idem lib. 4.

*Sic aliquando* [8] siccitate plurimum laboratum est, quæ stragem siti morientium pecudum dedit; scabie alia absumpta, vulgarique contactu in homines morbi. Nec corpora modo affecta tabo, sed animos quoque multiplex religio invasit.

Aëris qualitas anim. & corpus afficit.
[9] Cicero 2. de Divin.

[9] Cum tempore anni tempestatumque cœli conversiones commutationesque tantæ fiant accessu stella-

ſtellarum & receſſu, cumque ea vi Solis efficiantur, quæ videmus: non veriſimile ſolum, ſed etiam verum eſſe cenſent Chaldæi, proinde ut temperatus ſit aër, ita pueros orienteis animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actiones vitæ, caſus cujusque eventusque fingi.

[1] Auſteritatem morum Arcadibus conciliat aëris qualitas, quo in plerisque locis utuntur frigidiore & triſtiore: quum ita ſit natura comparatum, ut cœlo habitationis conſimiles neceſſariò omnes evadamus. Hæc namque non alia cauſſa ulla eſt, cur pro varietate nationum, & ut quæque invicem longiſſimis diſtent intervallis, ita plurimum invicem moribus, formis, caloribus, maxima denique parte inſtitutorum mortales differamus. Ut igitur naturæ rigorem hunc, torvitatemque ac duritiem aliquo temperamento emollirent, non ſine ratione in Rep. ſua formanda Muſicæ tantum tribuerunt, ut quum cæteris vitæ inſtitutis uterentur ſeveriſſimis, in Muſica tamen erudiri non ſolum pueros juberent, verum etiam adoleſcentes ac juvenes ad annum uſque trigeſimum. Præterea communibus conventibus ſacris quamplurimis viros pariter ac mulieres aſſuefecerunt: puerorum inſuper ac puellarum una ſaltantium choros inſtituerunt; & ut verbo expediam, quo poſſent durum illud atque ingratum animi robur, cultura morum manſuefacere ac mitigare, quidvis ſunt moliti.

[1] *Polybius 4. Hiſt.*

[2] Gallogræcorum gens, ſicut ipſum nomen indicio eſt, mixta, & adulteratæ reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vaſtaverant Græciam; mox Orientem ſequuti, in media parte Aſiæ ſederunt. Itaque ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant, ſic illa genuina feritas eorum, Aſiatica amœnitate mollita eſt. *Nam*

[2] *Florus 2. Hiſt. 11.*

[3] *Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem*
*Labi-*

[3] *Lucan. 8.*

*Labitur, emollit gentes clementia cœli.*
*Omnis in Arctois populus quodcunque pruinis*
*Nascitur, indomitus bellis & mortis amator.*

*Quamvis verò*

[1] *Democriti sapientia monstrat,*
*Summos posse viros, & magna exempla daturos,*
*Vervecum in patria, crassoque sub aëre nasci:*

*tamen* [2] *una hirundo non facit ver.*

[1] *Iuvenal. Sat. 10.*
[2] *Aristot. 1. Eth. 1.*

Aër tenuis ingeniosos facit.

[3] Etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora, eorum qui terras incolant eas, in quibus aër sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso cælo, atq; concreto. [4] Athenis tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici; crassum Thebis; itaq; pingues Thebani ac valentes.

[5] *Bœotum in crasso jurares aëre natum.*

[3] *Cicer. 2. de nat. Deor.*
[4] *Idem de Fato.*
[5] *Horat. 2. Epist. 2.*
[6] *Cicer. 1. de Divin.*

Aër inficitur à vaporibus terræ, &c.

[7] *Plinius 2. Nat. 93.*

[6] *Et ut* partes agrorum, aliæ quæ acuta ingenia gignunt, aliæ quæ retusa, *sic etiam* aliæ pestilentes, aliæ salubres. quæ omnia fiunt & ex cœli varietate, & ex disparili aspiratione terrarum. [7] Spiritus letales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucribus tantum, ut Soracte vicino urbi tractu, alibi præter hominem cæteris animantibus, nonnunquam & homini, ut in Sinuessano agro & Puteolano: Spiracula vocant; alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes.

*In Puteolano propè Baias*

[8] *Virgil. 6. Æn.*

[8] *Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,*
*Scrupea tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:*
*Quam super haud ullæ poterant impunè volantes*
*Tendere iter pennis: talis sese halitus atris*
*Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:*
*Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon.*

Averni duplex etymon.
[9] *Servius in Com.*
[10] *Ep. in Balsac.*

[9] Sanè hic locus sylvarum densitate sic ambiebatur ante, ut exhalans inde per angustias aquæ sulphureæ odor gravissimus supervolantes aves necaret. Vnde & Avernus dictus est, quasi ἄορνος. ([10] *Eruditionis*

*tionis principi videtur potius esse ex Hebræo* lo aor, *quasi* sine lumine aut luce.) Quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis sylvis, ex pestilentibus amœna reddidit. *Ab eo tempore, quod & ipse vidi,*

[1] *—pacatum limen Averni*
*Innocuæ transistis aves.*

[1] *Claudian. 2. de rapt. Proserp.*

*Itaque cœli & loci in habitationibus maxima habenda ratio, &* [2] quod inchoatur ædificium, sicut salubri regione, ita saluberrima parte regionis debet constitui: nam circumfusus aër atque corruptus plurimas affert corporibus nostris caussas offensarum. Sunt quædam loca, quæ solstitiis minus concalescunt, sed frigoribus hyemis intolerabiliter horrent, sicut Thebas ferunt Bœotias. Sunt quæ tepent hyeme, sed æstate sævissimè candent, ut affirmant Euboicam Chalcidem. Petatur igitur aër calore & frigore temperatus, quem fere medius obtinet collis, quod neque depressus hyeme pruinis torpet, aut torret vaporibus, neque elatus in summa montium perexiguis ventorum motibus, aut pluviis omni tempore anni sævit.

Habitatio ubi eligenda.
[2] *Columell. 1. R.R. 4.*
Aëris salubris locus.

[3] Aëris igitur salubritatem declarant loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus absoluta, & habitatorum considerata corpuscula, si eis color sanus, capitis firma sinceritas, inoffensum lumen oculorum, purus auditus, & si fauces commeatum liquidæ vocis exercent. Hoc genere benignitas aëris approbatur. His autem contraria, noxium cœli illius spiritum confitentur.

Signa.
[3] *Pallad. 1. R.R. 3.*

## CAP. III.

### *Aëris mutatio à ventis: horumque essentia & vires.*

PRæter illas qualitates, quas terra, vel cœlum aëri invehunt, magnas etiam mutationes patitur à ventis.

Aër tranquillus noxius.

*Tran-*

*Tranquillus aër nulla ventorum vi impulsus, quique* [1] vel terrarum culpa, vel pigritia, & æterna nocte torpescit, gravis haurientibus est.

[1] *Senec. 6. Nat. 27.*

[2] Nam ut profluens amnis aut vix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur: sic *salubrium ventorum* flumine *aëris* vitia diluuntur, angustia autem conclusus non facile seipsum tutatur.

[2] *Cicer. 2. de nat. Deor.*

*Meritò itaque divina* [3] providentia, ventos per diversa disposuit, ut aëra non finerent pigrescere, sed assidua vexatione utilem redderent, vitalemque tracturis.

[3] *Senec. cit.*

*Quapropter incensa sub Nerone Roma, largiores mox vicos, & non tantum* [4] decorem novæ urbi attulere; *sed & salubritatẽ, patulo scilicet aëre; quanquam essent,* qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defensam, graviore æstu ardescere.

[4] *Tacitus 15. Annal.*

*Itaque* [5] domum, quæ non perfletur, aut tenebricosa sit, vel hyemi tempestatibusque obnoxiam deserere fortassis optimum est. Si quis tamen ob consuetudinem loco eo delectetur, potest ex fenestris transpositis, scalis mutatis, & januis aliquibus apertis, aliis clausis, splendidior, perspicabilior, ac salubrior redigi. Quo genere mutationis quidam urbibus magnam utilitatem conciliaverunt. Sicut Chæroneam ad favonium ventum inclinatam, Solisque radios sub vesperam Parnasso incumbentis excipientem, versus ortum conversam à Chærone ferunt.

[5] *Plutarch. de Curiosit.*

Ædium situs salubris.

Vrbium situs salubris.

[6] Quæ enim in auroram inclinant urbes, & ad eos ventos, qui ab oriente spirant, salubriores sunt. Proximè ab his, quæ in aquilonem vergunt.

[6] *Aristot. 7. Polit. 11.*

*Quare*

*Quare de Ventorum natura plenius agere opera pretium est.* [1] Ventus est fluens aër. Quidam ita definierunt: Ventus est aër fluens in unam partem: aut, Ventus aër est fluens impetu, aut vis aëris in unam partem euntis, aut cursus aëris aliquo concitatior. Hæc definitio videtur diligentior: quia nunquam aër tam immobilis est, ut non in aliqua sit agitatione. *Quamvis autem & vetusta sit, &* [2] *Hippocratica, refutatur tamen ab Aristotele, qui* [3] Ventum, sicci halitus, quem terra profundit, copiam circum terram currentem esse *voluit*: [4] Anaximander ventum esse fluxionem aëris, motis in eo à Sole aut colliquatis partibus tenuissimis humidissimisque. Metrodorus aqueæ exhalationis incendium à Sole factum, excitare divinos flatus. [5] Quomodo ergo talis flatus concipitur? Quicquid ex se paludes, & flumina, *& mare* emittunt (id autem & multum est, & assiduum) per diem solis alimentum est: nocte non exhauritur, sed montibus inclusum, in unam regionem colligitur. Cum illam implevit, & jam se non capit, sed exprimitur aliquo, & in unam partem procedit: hic ventus est. Itaque eo incumbit, quo liberior exitus invitat, & loci laxitas, in quam coacervata incurrant.

Ventus quid.
[1] *Seneca 5. Nat. q. 1.*
[2] *de Flatib.*
[3] *Meteor. 4.*
[4] *Plutarch. 5. de placit. Philos. 7.*
Ventorum generatio.
[5] *Senec. 1. Nat. q. 8.*

[6] In universum de Ventis diximus: nunc viritim incipiemus illos excutere. [7] Satis notum est, limites regionesque esse cœli quatuor, exortum, occasum, meridiem, septentrionem. *Hinc* [8] veteres juxta positionem cardinum, tantum quatuor principales à singulis cœli partibus flare credebant, [9] Eurum, Austrum, Aquilonem, Favonium.

[10] *Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu,*
*Auster amat medium cœlum, Zephyrusque profundum.*

*Quatuor etiam enumerat Homerus:*

[11] Ξὺν δ' εὖρος τ' ἔπεσε ζέφυρος τε νότος τε δυσαὴς,

[6] *Ibid. 7.*
Ventorum numerus.
[7] *Agell. 2. 22.*
[8] *Veget. 3. de re milit. 28.*
[9] *Agell. cit.*
[10] *Manil.*
[11] *Odyss. 5.*

Καὶ

Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.
*Cumque Euro incubuit Zephyrusque, Notusque furentes,*
*Sudificusque simul Boreas mala plurima volvens.*
*Nec plures agnovit Ovidius:*

[1] 1. Metam. & 1 Trist. 2. Item Lucan. 1.

[1] *Eurus ad auroram, Nabathæaque regna recessit,*
*Persidaque & radiis juga subdita matutinis.*
*Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,*
*Proxima sunt Zephyro: Scythiam septemq; Triones*
*Horrifer invasit Boreas: contraria tellus*
*Nubibus assiduis, pluvioque madescit ab Austro.*

[2] Veget. 3. 28. Agell. cit.

[2] Sed experimento posterior ætas duodecim cõprehendit. Horum vocabula ad submovendam dubitationem, non solum Græca, sed etiam Latina protulimus, ita ut ventis principalibus declaratis, eos qui ipsis dextra lævaque juncti sunt, indicemus. A verno itaque solstitio, id est, ab orientali cardine, sumimus exordium, ex quo ventus oritur ἀπηλιώτης, id est, subsolanus. Huic à dextra jungitur καικίας, seu erobinus. A sinistra εὖρος, sive vulturnus. Meridianum autem cardinem possidet νότος, id est, auster. Huic à dextra jungitur λευκονότος, id est, albus notus. A sinistra λιβονότος, id est, corus. Occidentalem verò cardinem tenet ζέφυρος, id est, subvespertinus. Huic à dextra jungitur λὶψ, sive Africus. A sinistra ἰάπυξ, sive favonius. Septentrionalem verò cardinem sortitus est ἀπαρκτίας sive septentrio, cui adhæret à dextra θρασκίας sive circius, à sinistra βορέας, id est, aquilo. Hi sæpe singuli, interdum duo, magnis autem tempestatibus etiam tres pariter flare consueverunt.

[3] Musæus

[3] Μαρναμένων ἀνέμων, ζεφύρῳ δ' αὐτέπνεεν εὖρος,
Καὶ νότος ἐς βορέην μεγάλας ἀφίηκεν ἀπειλάς.

[4] Virg. 1. Æn.

[4] *Incubuere mari, totumque à sedibus imis*
*Vna Eurusq;, Notusq; ruunt, creberq; procellis*
*Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.*

*Merito itaque* [1] si duodecim aër discrimina facit, totidem facit & ventos. Quidam sunt quorundam locorum proprii, qui non transmittunt, sed in proximum ferunt, *quandoque morborum endemiorum autores.*

[1] *Senec. 5. Nat. 17.*

Ventorum qualitates.

[2] Venti igitur principalissimi definitique hi sunt, atque hoc digeri ordine assolent. Ab ortu autem flantes calidiores sunt ab occasu flantibus. quia Sol diutius supra illos fertur, hos verò diutius deserit, tardiusque eum locum accedit.

[2] *Aristot. 2. Meteor. 6.*

Ventorum Septentr. natura.

[3] Ventorum frigidissimi sunt, quos à Septentrione diximus spirare, & vicinus his Corus. ii & reliquos compescunt, & nubes abigunt, [4] propterea quod è propinquo veniunt. Quinetiam hi omnium maximè crebri ac validi spirare solent, ac proinde inter reliquos maximè liquidi & illustres existunt. Nunc cum de prope maxime spirent, vi sua reliquos flatus sternunt, & discussis nubibus, quæ coalescere cœperant, cœlum sudum apertumque reddunt. *Hinc &* [5] βορέης dicitur αἰθρηγενέτης, serenitatem inducens. [6] At Cæcias serenus non est, quod in se reflectatur, [7] & in se trahat nubes, [8] unde & illud proverbium dici solet:

[3] *Plin. 2. 47.*
[4] *Arist. cit.*

Boreas.
[5] *Homer. Odyss. 5.*

Cæcias.
[6] *Arist. cit.*
[7] *Plin. cit.*
[8] *Arist. cit. Agell. cit.*

[9] Ἕλκων ἐφ' αὑτὸν, ὡς ὁ καικίας νέφος.
*Vt Cæcias nubem, perinde ad se trahens.*

[9] *Ita legit Muret. 2. Ep. 6.*

Aquilo.
Zephyrus.

[10] Humidi Africus, & præcipue Auster Italiæ. Sicci Corus & Vulturnus, præterquam desinentes. Nivales Aquilo & Septentrio: Æstuosus Auster: tepidi Vulturnus & Favonius. [11] Saluberrimus autem omnium Aquilo: *& de Zephyri salubritate hunc versum citat* [12] *Philosophus:*

[10] *Arist. 26. Probl. 33.*
[11] *Plin. cit.*
[12] *Homer. Odyss. 4.*

Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας.
*Sed Zephyri assiduè spirant, ventique salubres.*

Etesiæ.
[13] *Plin. 18. 6.*

[13] Quam tempestivos autem dedit natura: quam salutares, non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur è terra,

ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores.

Auster. [1] Plin. 2.47. [1] Noxius Auster, & magis siccus, fortassis quia humidus frigidior est. Minus esurire eo spirante creduntur animantes. *Quinetiam*

[2] Virgil. 1. Georg.

*[2] — ubi tempestas, & cœli mobilis humor*
*Mutavere vices, & Iupiter humidus Austris*
*Densat, erant quæ rara modo, & quæ dẽsa relaxat:*
*Vertuntur species animorum, & pectore motus*
*Concipiunt alios. —*

[3] Plin. 18.6. [3] Homerus omnino è flumine semper antelucanas auras insalubres verissimè tradidit. *Sed ille frigidas modo dixit:*

[4] Od. 5.
[5] Rover. vert.

[4] Ἄυρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό.
*[5] Aura sub auroram è fluvio nam frigida spirat.*

---

LIB. II.

# DE CIBO ET POTV.

## CAP. I.

### *Alimentorum necessitas.*

*INter illa, quorum recto usu sanitas & vita conservatur, abusu mors & morbi accersuntur, Alimenta locum obtinent secundum.*

[6] Lucret. 2.

*[6] Omnia debet enim cibus integrare novando.*

[7] Arist. Polit. 5. *Quandoquidem igitur* [7] non est possibile, vivere absque alimento, *Homines urgente fame ac siti necessariò*

[8] Valer. Flacc. 2. Argon.
[9] Homer. Odyss. 7.

*[8] — Cereris tum munere fessas*
*Restituunt vires, & parco corpora Baccho.*
[9] Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο
Ἔπλετο. ἥ τ' ἐκέλευσεν ἕο μνήσασθαι ἀνάγκη.
*Nihil enim querulo ventre molestius est.*
*Iubet is necessitate quadam sui meminisse.*

[1] Cum

[1]Cum aliquando plebem Romanam importunè annonam & largitiones flagitantem, revocaturus esset Cato major, sumpsit hujusmodi exordium: Arduum, Quirites, ad ventrem verba facere, qui careat auribus. [1] *Plutarch. in vita.*

*Et certè*

*[2]Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque*
*Ingens accedat stomacho fultura ruenti.* [2] *Horat. 2. Sat. 3.*

[3]Cum enim alimentum non recipiunt animalia, interire solent. idem enim seipsum emacerat. nam quemadmodum flamma parva magnam exurit corrumpitque, propterea quod alimentum ejus absumat: sic calor naturalis, cui primaria concoquendi vis inest, materiam in qua sit, consumit. [3] *Aristot. de long. & brev. vita 5.*

*[4]Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur;* [4] *Lucret. 4.*
*Multa per os exhalantur, cum languida anhelant.*
*His igitur rebus rarescit corpus, & omnis*
*Subruitur natura; dolor quam consequitur rem:*
*Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus,*
*Et recreet vires interdatus, atque patentem*
*Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.*

[5]Posse *itaque* hominem absque victu vivere, nemo sibimet ipsi persuadeat. [5] *Xenophon in Oecon.*

[6]Certe enim cibus ut remedium famis sumitur, & curare seipsos dicuntur, qui victus ratione utuntur certa, *aliàs* molestias quam voluptates plures enumerare licet à cibo ortas. Equidem Homerum arbitror eò respexisse, cum Deos immortales esse eo argumento demonstraret, quod alimento nullo uterentur. [6] *Plutarch. in Conv. VII. Sapp.*

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι· καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

*Nam neque edunt Cereris, neque Bacchi munera*
*potant,*
*Hinc immortales, & cassi sanguine habentur.*

Innuit enim non vivendi modo, sed & moriendi

viaticum esse nutrimentum. Hinc enim morbi corporibus adhærescunt, quibus repletio sæpius, quam inedia caussam præbet: ac plerumque majoris est laboris ingestum consumere & dissipare alimentum, quam comparare.

[1] *Isocrat. de pace.*

*Quoniam verò* [1] in humana vita cernitur, multos iis & cibis & exercitationibus delectari, quibus & corpus & animum lædunt: contraque ab iis, quibus utraque hæc juvarentur, tanquam laboriosis & molestis abhorrere:

[2] *Ovid. 2. de rem. amor.*

[2] *Ecce cibos etiam, Medicinæ fungar ut omni*
*Munere, quos fugias, quosque sequare, dabo.*

[3] *Plin. in proœm. lib. 20.*

[3] Maximum hinc opus ordimur, & cibos suos homini narrabimus, faterique cogemur, ignota esse per quæ vivit: neque id parvum existimaverit, nominum vilitate deceptus.

*Sumuntur autem cibi vel è plantis, vel ex animalibus. de quibus separatim nunc agemus.*

## CAP. II.

### Cibi è plantis.

Cibus prisci ævi.
[4] *Lucian. Amorib.*

PRimi [4] homines, ut primum creati fuere, contra famem quotidianam remedium quærebant. Tum præsenti indigentia compulsi, cum per inopiam consilii, quod melius erat, eligere non liceret, estrita herba vescebantur, mox molliores radices effodiendo, modo plerumque quercus fructum comedendo.

[5] *Ovid. 1. Met.*

[5] *Ipsa quoque immunis, rastroq; intacta, nec ullis*
*Saucia vulneribus, per se dabat omnia tellus:*
*Contentique cibis nullo cogente creatis,*
*Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,*
*Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,*
*Et quæ deciderant patula Iovis arbore glandes.*

[6] *Luc. cit.*

[6] At posterior ætas hæc brutis animantibus edenda abjecit.

abjecit. Sationem autem frumenti & hordei agricolarum diligentia invenit, reperta ratione, qua quotannis illa renascerentur.

*Sic, ut jam diximus,* [1] Ovidius 4. Fast.

[1] *Panis erant primis virides mortalibus herbæ,*
*Quas tellus nullo sollicitante dabat.*
*Et modo carpebant vivax è cespite gramen;*
*Nunc epulæ teneræ fronde cacumen erant.*
*Postmodo glans nata est. bene erat, jam glande reperta:* Glans.
*Duraque magnificas quercus habebat opes.*
*Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,*
*Mutavit glandes utiliore cibo.*

*Frumento scilicet. Quod* [2] Cereris semen *dixit poëta, quia ejus* Frumentum. [2] Virgil. Culice.

[3] *— munere tellus* [3] Idem 1. Georg.
*Chaoniam pingui glandem mutavit arista.*

*Investigandi caussa non deliciæ, sed inopia. Siquidem*

[4] *Prima Ceres, ferro mortales vertere terram* [4] Ibid.
*Instituit, cum jam glandes, atque arbuta sacræ*
*Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.*

*Sed facilis jactura, inventis melioribus.*

[5] Quæ est *enim* in homine tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur? [5] Cicero Oratore.

*Tempore famis tamen quibusdam in cibum cessit,* [6] nec non & inopia frugum, arefactis glandibus molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin & hodie per Hispanias, secundis mensis glans inseritur. [7] Hujusmodi nimirum tragemata conveniebant iis, quibus dentifricii loco lotium esset. [6] Plin. 16. 5. [7] Erasm. Chil. 1. Cent. 4. Adag. 2.

*Quemadmodum verò Frumentum inter ea, quæ terra edit, optimum præbet alimentum, ita & inter edulia, quæ ex frumento fiunt, Panis;* [8] & de omnibus, quæ esui apta sunt, apprimè panis reficit, non homines modo, sed jumenta quoque, ut vel minimo panis frustulo vescendo confirmentur atque Panis. [8] Plutarch. 6. Symp. 8.

Puls. progrediantur. [1] Pulte autem, non pane vixisse
[1] *Plin.* 18.8. longo tempore manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur.

*Sed invento panis conficiendi modo pultis usus evanuit. Ideò Theocritus;*

[2] *in Cynisca.* [2] Ἤραται μάν κὴ τῆνος (ἐμὶν δοκεῖ) ὀπλῶς ἀλεύρω.

*Nam puto & hic assæ correptus amore farinæ.*

[3] *Erasm. Chil.* 2. *Cent.* 1. *Adag.* 91. [3] Farinam assam, novam & lautiorem victus rationem vocat, propterea quod priscos illos pulte duntaxat victitasse legimus, videlicet clibano coquendi panis nondum invento.

Hordeum. *Conficitur autem panis potissimum ex farina hor-*
[4] *Plin.* 18.7. *dei vel tritici.* [4] Antiquissimum in cibis Hordeum: *apud Romanos verò ignominiæ caussa militibus pro tritico dabatur.*

[5] *Sueton. in vita.* [5] Augustus cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit. *Et ob exiguum alimentum*
[6] *Plin. cit.* [6] Panem ex hordeo antiquis usitatum, vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.

*Melior fit ex tritico, optimus ex ejus flore, quem similam, sive similaginem vocant.*

[7] *Martial. in Xen.* [7] *Nec poteris Similæ dotes numerare, nec usus,*
*Pistori toties cum sit & apta coquo.*
*Sed tener & niveus, mollique siligine factus*
*Servatur domino.*

Placentæ. *Quamvis verò Placentæ veteribus adeò placuerint,*
[8] *Athen.* 14. *ut Bioni expresserint,* [8] non posse aliquem omnibus placere, nisi placenta fieret, aut vinum Thasium, *tamen*

[9] *Philo de Victim.* [9] Placentæ, cupedia, bellaria, condimentaque alia curiosa pistorum & coquorum gustui servientium, conciliant morbos tum corpori, tum animo insanabiles.

Milium. [10] Milio Campania maximè gaudet, pultemque
[10] *Plin.* 18.10. candidam ex eo facit; fit & panis prædulcis.

Legumina. [11] Sequitur natura Leguminum, inter quæ maxi-
[11] *Plin.* 18.12. mus

mus honos fabæ: quippe ex qua tentatus ſit etiam panis. Faba.

[1] Pythagoricis interdictum putatur ne faba veſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis vera quærenti contrariam: [2] quaſi verò eo cibo mens, non venter inflètur! [1] *Cicer. 1. de Divin. Laërt.* 8. [2] *Idem 2. de Divin.*

[3] Ægyptii fabas in ſua terra nec admodum ferunt, nec eas, quæ provenerint, aut crudas, aut in aqua coctas edunt. Sacerdotes verò ne aſpicere eas ſuſtinent, arbitrantes haud mundum illud legumen eſſe. *Et certè* [4] faba fabrorum, *& opificum cibus.* [3] *Herodot.2. Hiſt.* 37. [4] *Martial.* 10. *Ep.*48.

[5] *Diphilus autor eſt Cicer ægrè concoqui, abſtergere, ciere lotium, eſſe flatuoſum. Diocles addidit, eſu ciceris turgere, veluti fermento quodam, molem carnis.* Cicer. [5] *Athen.*2.14.

[6] Diphilus refert Lupinos abſtergere, multum alere, præſertim ſi aqua diutius macerati dulces evaſerint. Lupinus. [6] *Athen.*2.15.

*Inter olera excellit Lactuca, quam priſci ſomno conciliando à cœnâ ſumere ſolent. Hinc &* [7] Tacitus Imp. præ omnibus oleribus affatim miniſtratis, lactucis impatienter indulſit. ſomnum enim ſe mercari illa ſumptus effuſione dicebat. Lactula. [7] *Vopiſcus in vita.*

*Poſtera ætas reliquis eam cibis ad appetentiam excitandam præmittit. Quibus cauſſis ſolvitur hoc problema:*

[8] *Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,*
*Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?* [8] *Martial.* 13. 14.

[9] In univerſum Lactuca ventriculo confert, refrigerat, per alvum facile ſecedit, conciliat ſomnum, veneris impetum cohibet. Callimachus refert Venerem Adonin in lactucis occuluiſſe, ea quidem allegoria poëtis innuentibus, qui aſſidue lactuca veſcuntur ad venerem eſſe invalidos. Eubulus in Aſtytis; [9] *Athen.* 2.28.

Μὴ παραθῇς μοι θριδακίνας, ὦ γύναι,
Ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ·
Ἐν τῷ λαχάνῳ τούτῳ γὰρ, ὡς ὁ λόγος, ποτὲ
Τὸν Ἄδωνιν ἀποθανόντα προὔθηκε Κύπρις.
Ὥστ' ἐστὶ νεκύων βρῶμα.

[1] *Ah, mulier, ne tu quæso lactucas mihi*
[1] *Grotius vertit.* *Ad mensam appone, aut tu te accusa postea.*
*Namque ad olus illud, vetus ut narrat fabula,*
*Adonim deposivit exanimem Venus:*
*Cibus inde est mortualis.*

*Excessum ejus in frigore & humiditate calidioribus temperare solemus:*

[2] *Martial. 11. 53.* [2] *Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo*
*Vtilis, & porris fila resecta suis.*

[3] *Plin. 19. 7.* [3] Peculiares ejus vires partim jam dictæ sunt, somnũ faciendi, veneremque inhibendi, æstum refrigerandi, stomachum purgandi. Non paucæ restant; quoniam & inflationes discutit, ructusque lenes facit, sanguinem auget.

Brassica. [4] *Plin. 20. 9.* [4] Brassicæ laudes longum est exequi. Biles detrahere non percoctam putant. Item alvum solvere, eandemque bis coctam sistere. *Quare*

[5] *Martial. 13. 17.* [5] *Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,*
*Nitrata viridis brassica fiat aqua.*

[6] *Plin. cit.* [6] Vino adversari, ut inimicam vitibus. [7] (Quin & in [7] *Athen. 1. 25.* qua vite nascitur, inde vinum exilius.) Antecedente in cibis caveri ebrietatem: postea sumpta crapulam discuti.

[8] *Eubul. apud Stob. & Ath.* [8] —Γύναι
Ῥάφανόν γε κομίσασ' εἰς ἐμὲ σὺ, τὴν κραιπάλην
Μέλλεις ἀφεῖναι πᾶσαν.
*Mulier si attuleris ad vomendum brassicam,*
*Hanc crapulam è vestigio discusseris.*

[9] *Plin. cit.* [9] Brassicam facillimè concoqui putant, ciboque eo sensus purgari. Erasistrati schola clamat nihil esse utilius stomacho nervisque.

[1] Apud

[1] Apud Athenienses puerperis brassica parabatur, velut idoneum medicamentum quoddam, & apta nutriendo corpori. [1] *Athen.* 8.2.

Diphilus Betam meliorem ait, quam brassicam, succum gignere, magis alere, & id tamen modice. Beta.

*Eam saporis gratia condire solemus.*

[2] *Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,* [2] *Martial.* 13. 13.
*O quam sæpè petit vina piperque coquus!*

*Ac quamvis fabri, quibus, quod perpetuò igni adsint, alvus plerumque constipata est, rectè adhibeant malvas, lactucas,* [3] pigroque ventri non inutiles betas: *& bonum sit poëtæ consilium,* Malva. [3] *Mart.* 3.47.

[4] *Vtere lactucis, & mollibus utere malvis,* [4] *Idem* 3.87.
*Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes:*

*aliis tamen, creber earum esus noxius. De Senis obsessis narrat* [5] *Thuanus:* Jam carnes omnes, etiam equorum ac mulorum consumptæ erant, & quotidie militum numerus ac civium decrescebat, multique inter ambulandum sine morbo lapsantibus subitò membris per vias concidere conspiciebantur; quod Malvarum esui à Medicis caussam inquirentibus tributum, quas alvum plus nimium solvere, & concoctionem impedire dicebant. [5] *Hist.* 48.

*Quæ incommoda nec lauta præparatione corrigi, Cicero in seipso expertus est.* [6] Lex sumptuaria, *inquit*, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit: nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius: in eas cum incidissem in cœna Augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, ut hodiè primum videatur cœpisse consistere. Ita ego, qui me ostreis, & murænis facile abstinebam, à Beta etiam & Malva deceptus sum. Posthac igitur erimus cautiores. [6] 7. *Epist.* 26.

*Quare*

[1] *Horat. 2. Sat. 4.*
Olerum facultates.

[1] *si dura morabitur alvus,*
*Lactucæ, & viles pellent obstantia betæ,*
*Et lapathi brevis herba.*

*sintque potius medicamenta, quam alimenta. Nec bene poëta,*

[2] *Idem 1. Carm. 31.*

[2] *— me pascunt olivæ,*
*Me cichorea, levesque malvæ.*

*Melius parasitus seni multis oleribus cœnam apparanti, respondit,*

[3] *Plaut. Capt.*

[3] *Curato ægrotos domi.*

*Et alibi coquus olerum esui brevitatem vitæ imputat:*

[4] *Idem.*

[4] *Hoc hic quidē homines tam brevē vitam colunt,*
*Cum hasce herbas hujusmodi in alvū congerunt,*
*Formidolosas dictu, non esu modo:*
*Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.*

[5] *6. Epid. 5.*
[6] *Cels. 2. 18.*
Cucurbita.
Cucumis.
[7] *Athen. 2, 28.*

*Satis medicè. Nam ex* [5] *Hipp. notum,* imbecilles cibos, brevem vitam præstare: [6] imbecillissimam verò materiam esse omne olus, & quicquid cauliculo oritur, qualis est cucurbita, & cucumis, &c. *Ita &* [7] Diphilus medicus Olera omnia citra exceptionem nihil alere scripsit, attenuare præterea, pravum succum gignere, innatare ventriculo, difficulter digeri.

[8] *Cels. 2. 18.*

[8] In media materia numerari ex oleribus debent ea, quorum radices, aut bulbos assumimus.

Rapum.
[9] *Athen. 8. 2.*
Napus.

[9] Rapum, inquit Diphilus, extenuat, acre est, ægrè coquitur, flatusque gignit. Melior eo Napus est, dulcior enim, concoctu facilior, ventriculo gratior, alimentique multum præbet. Assum rapum, facilius coquitur, & valentius extenuat.

[10] *Idem 10. 2.*

[10] Manius Curius, Romanus Imperator, toto vitæ cursu raporum esu delectatus est; cui cum auri magnum pondus Sabini publicè misissent, auro se non egere dixit, quamdiu cœnaret eas epulas.

Pastinaca.
[1] *Idem 8. 2.*

[1] Pastinacam Diphilus esse tradit acrem, satis alere,

lere, mediocriter juvare ſtomachum, alvum pel-
ere, inflare, ægrè coqui, ciere lotium, ſatis ad ve-
nerem ſtimulare, ideoque à nonnullis Philtron
ocari.

[2] Diphilus ſcripſit, Tuberum naturam illam eſſe, Tubera.
ut ægrè coquantur, bonum ſuccum gignant, le- [2] *Athen.2.21.*
niant, facile egerantur; quædam verò ex iis, ut &
ungos, ſtrangulare.

[3] De tuberibus hæc traduntur peculiariter: Cum [3] *Plin.19.3.*
uerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc
naſci, & maximè è tonitribus: nec ultra annum du-
rare: tenerrima autem verno eſſe.

*Nemo verò, tanquam boni ſucci cibum, niſi ha-
beat*

*[4] — dura meſſorum ilia,* Allium.
*Edit cicutis Allium nocentius.* [4] *Horat.Epod.*

Nec non,

*[5] Fila Tarentini graviter redolentia Porri* Porrum.
*Ediſti quoties, oſcula clauſa dato.* [5] *Martial.*

[6] Porri genus capitatum eſt melioris ſucci, quam [6] *Athen.8.3.*
tonſile, flatuoſum, nutrit & attenuat mediocriter.

[7] Cartilaginei generis extraque terram eſt Cu- Cucumis.
cumis, mira voluptate Tiberio Principi expetitus. [7] *Plin.19.5.*

[8] Diphilus ſcribit Peponem meliorem ſuccum Pepo.
gignere, & humorum acrimoniam obtundere: Cu- [8] *Athen.2.27.*
cumerem deteriorem ſuccum præbere, parum nu-
trire, corrumpi facile, celeriter excerni: [9] Cucur- Cucurbita.
bitam parum nutrire, facile corrumpi, habitum [9] *Idem 2.18.*
corporis humectare, egeri celeriter, bonum ſuccum
generare, ſi ex aqua & aceto ſumatur, juvare ma-
gis ventriculum: meliorem ſuccum nobis ſuppedi-
tare conditam in ſalgamum. Mneſitheus cenſet quę
natura facile ab igni vincuntur, & coquuntur, ut
cucumerem, cucurbitam, corpori alimentum ſub-
miniſtrare, non multum ſanè, ſed humidius, & ni-
hil moleſtum: mala verò cydonia, & ſtruthia, & alia
hujuſ-

hujuſmodi, cum igni toſta in cibum veniunt, alvum cohibere: itaque ſatius eſſe elixis veſci.

[1] Plin. 22. 22. Boletus. [1] Inter ea, quæ temere manduntur, Boletos meritò poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occaſionem à conjuge Agrippina dato: *unde Nero* [2] Boletos, quaſi Deorum cibum (βρῶμα θεῶν [3] *Dioni*) proverbio Græco collaudare ſolitus. *Martialis huc reſpexit:* [4]

[2] Sueton. [3] Hiſt. 58. [4] 1 Epiſt. 21.

*Solos boletos, Cæciliane, voras.*
*Quid dignum tanto tibi ventre gulaq; precabor?*
*Boletum, qualem Claudius edit, edas.*

[5] Plin. cit. [5] Quorundam ex his facile noſcuntur venena, diluto rubore, rancido aſpectu, livido intus colore, rimoſa ſtria, &c.

[6] Iuven. Sat. 5. [6] *Vilibus ancipites fungi ponantur amicis,*
*Boletus domino.*

Fungi. [7] Plin. 22. 23. [7] Fungorum lentior natura, & numeroſa genera, ſed origo non niſi ex pituita arborum. Tutiſſimi, qui rubent callo, minus diluto rubore quam boleti. Mox candidi. Tertium genus ſuilli, venenis accommodatiſſimum. Familias interemere, & tota convivia. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?

Poma. [8] Plin. 15. 24. *Fructus, qui ex arboribus eſui apti proveniunt, generali nomine Poma dicuntur.* [8] Quod autem vulgus Gallorum pomum vocat, id Latini malum appellant. *Ex his*

[9] Idem 23. 6. [9] Mala verna, acerba, ſtomacho inutilia ſunt. Cocta meliora. Cotonea cocta ſuaviora. Minus utilia ſtruthia. Melimela & reliqua dulcia ſtomachum & ventrem ſolvunt. Citrea contra venena in vino bibuntur. Ex Punicis dulcia ſtomacho inutilia habentur. Quæ verò ab his ſapore proxima vi-

[10] Athen. 3. 7. noſa dicimus, utiliora paullò intelliguntur. [10] Perſica ſucci ſunt mediocriter boni, & plus nutriunt, quam mala.

[1] Pi-

[1] Pirorum omnium cibus etiam valentibus onerosus, ægris quoque vini modo negatur. Ipsa adversantur boletis atque fungis, pelluntque pondere & pugnante succo. Pyra. [1] Plin. 23. 7.

[2] Olivæ albæ stomacho utiliores, ventri minus. Præclarum habent, antequam condiantur, usum, recentes per se cibi modo devoratæ. Medentur enim arenosæ urinæ, item dentibus aut attritis, aut convulsis. Nigra oliva stomacho inutilior, ventri facilior, capiti & oculis non convenit. Columbades [3] alvum sistunt, & ventriculo magis conveniunt. Olivæ. [2] Idem 23. 3. [3] Athen. 2. 15.

[4] Fici maturæ urinam cient, alvum solvunt, sudorem movent, papulasque. Ob id autumno insalubres, quoniam sudantium hujus cibi opera corpora perfrigescunt. Nec stomacho utiles: sed ad breve tempus, & voci contrariæ intelliguntur. Novissimæ salubriores, quam primæ: medicatæ verò nunquam. Juvenum vires augent: Senibus meliorem valetudinem faciunt. Ficus. [4] Plin. cit.

[5] At quod præbent alimentum cito dissolvitur. Itaque multis ficuum esu valde aucta moles corporis, brevi post tempore gracilescit atq; extenuatur. [5] Athen. 3. 5.

[6] Maturescentium uvæ vehementiores nigræ, ideoque vinum ex his minus jucundum: suaviores albæ, quoniam à translucido facilius accipitur aër. Recentes stomachum & spiritus inflant, alvumque turbant: itaque in febri damnantur utique largiores. Gravedinem enim capiti, morbumque lethargicum capiunt. Innocentiores, quæ decerptæ diu pependere: qua ventilatione etiam utiles fiunt stomacho, ægrisque. Nam & refrigerant leviter, & fastidium auferunt. Vvæ. [6] Plin. 23. 1.

[7] Pruna alvum molliunt, stomacho verò utilissima, sed brevi momento. Pruna. [7] Idem. 23. 3.

[8] *Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ*
*Sume. solent duri solvere ventris onus.* [8] Martial. 13. Ep.

[1] *Athen.2.10.* [1] Diphilus esse pruna succi mediocriter boni scripsit, facile corrumpi & egeri, parumque alere.

[2] *Idem.2.11.* Cerasa. [3] *Plin.cit.* [2] Cerasa eodem autore stomacho grata sunt, parum nutriunt, bonum succum gignunt, [3] alvum molliunt. Eadem siccata alvum sistunt, urinã cient.

Mora. [4] *Plin. cit.* [4] Mora stomacho utilia, refrigerant, sitim faciunt. Si non superveniat alius cibus, intumescunt. *Quare minime*

[5] *Horat. 2. Sat.4.*

*[5] —— ille salubres*
*Æstates peraget, nigris qui prandia moris*
*Finiet. ——*

*Hactenus de Pomis mollibus. Restant dura, & quæ* [6] natura compactili operimento clausit, *generali nomine Nuces dicta, à nocendo fortè,*

Nux. [6] *Plin.15.22.* [7] *Ovid. de Nuce.*

*[7] —— quoniam sata lædere dicor.*

Iuglans. [8] *Plin.23.8.* [8] Nuces juglandes Græci à capitis gravedine appellavere. Etenim arbor ipsarum foliorumque vires, in cerebrum penetrant: hocque minore momento, sed in cibis, nuclei faciunt. Sunt autem recentes jucundiores, siccæ unguinosiores, & stomacho inutiles.

[9] *Athen.2.13.* [9] Diphilus autor est regias nuces dolorem capitis inferre, stomacho innatare, & quæ adhuc candicant esse melioris succi; parcius nutrire, quæ in furnis friguntur.

Avellana. Nuces avellanæ capitis dolorem faciunt, inflationem stomachi, & pinguedini corporis conferunt, plus quam sit verisimile.

Castanea. [10] *Virg. Eccl. 2.*

Nuces vocamus & Castaneas,
([10] *Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.*)

quanquam accommodatiores glandium generi. Carnes alunt, sed difficulter concoquuntur. [11] Elixæ verò minus inflant, nutriuntque uberius.

[11] *Athen. 2. 13.*

Amygdalæ. [12] *Plin. cit.* Tradit Mnesitheus Amygdalas, & alias omnes nuces Castaneis esse deteriores. [12] Ajunt amaris

quinis

quinis ferè præsumptis ebrietatem non sentire potores. [1] Medicus erat in comitatu Drusi, Tiberii Cæs. filii, qui cum quinque vel sex amygdalas amaras, ante compotationem edisset, omnes bibendo superabat; sed deprehensa fraude, prohibitus ne id faceret, facillimè à vino devictus fuit.

[1] *Plutarch. 1. Symp. 6. Et ex eo Athen. cit.*

## CAP. III.

### *Cibi ex animalibus.*

*HActenus de iis quæ*

*[2] Prodiga divitias alimentaq; mitia tellus*
*Suggerit: atq; epulas sine cæde & sanguine præbet.*

*Quibus solis famem sedasse prisci putantur,*

*[3] Quæ sol atq; imbres dederant, quod terra crearet,*
*Sponte sua, satis id placabat pectora donum.*

[2] *Ovid. 15. Met.*

Cibus prisci ævi.

[3] *Lucret. 5.*

[4] Pythagoras, *qui* animatis abstinere jussit, exercens atque assuefaciens mortales ad faciliorem victum, ut cibos semper parabiles haberent, quibus igne ad coquendum opus non esset, quique aquam simplicem biberent: hinc & sanitatem corporis & ingenii acumen provenire; *& hanc victus rationem aureæ ætati attribuit;*

[4] *Laërt. 8.*

*[5] At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,*
*Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,*
*Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.*

[5] *Ovid. 15. Met.*

[6] Apollonius Tyaneus *etiam* ab animalium esu abstinuit, quod carnium comestio cum impura esset, tum mentis aciem prospectumque hebetaret. terrestribus verò fructibus & oleribus vescebatur; pura esse dicens, quæcunq; à terra darentur hominibus.

[6] *Philostr. 1. de vita 5.*

*Ac quamvis Plato hujus rei rationem redditurus, scribat,* [7] à carnibus majores nostros abstinuisse, tanquam pium non esset illas edere, vel Deorum aras sanguine polluere:

[7] *Plato 6. de Leg.*

*Sacrificia tamen primam carnes edendi, & periculum*

Carnium esus origo.

*culum à feris, mactandi animalia occasionem præbuisse legimus.*

[1] *Athen. 9. 14.* [1] Hegesander tradit tantam leporum in Astypalæa copiam extitisse, ut propterea cives ejus oppidi oraculum consuluerint: quibus Pythia respondit, alendos canes ad venationem, & unius anni spatio sexies mille, adeoque plures captos.

[2] *Plin. 9. 55.* [2] Certum est Balearicos adversus proventum cuniculorum auxilium militare à Divo Augusto petisse.

[3] *Idem 8. 29.* *Et* [3] M. Varro author est, à cuniculis suffossum in Hispania oppidum.

[4] *Ovid. 15. Met.*

*Hinc* [4] primo à cæde ferarum
*Incaluisse putes maculatum sanguine ferrum.*

*Mox & religio Deorum aras animalium sanguine tinxit. Audi Pythagoram:*

[5] *Idem ibid.*

[5] *Nec satis est, quod tale nefas committitur, ipsos*
*Inscripsêre Deos sceleri, numenque supernum*
*Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.*

[6] *Porphyr. 4. de non nec. anim.* [6] Prisci enim cum fructuum primitias tantum Diis offerrent, tandem etiam ad fœturæ primitias & mactandas victimas devenerunt. Primum verò animal immolatum ab iis, qui pœna talionis animam pro anima postularunt, ac ex victima nihil remansit ad usum hominis, sed universa flammis absumpta. Verum ardente hostia aliquandò contigit, ut carnes in terram deciderent: has autem manibus sustulit sacrificus; digitosque ustulatos per imprudentiam ori admovit, tanquam inde remedium peteret. Gustato deinde pinguedinis nidore cupiditas ejus accensa: nec ipse modo abstinere potuit, sed etiam uxorem fecit participem. Quo intellecto Pygmalion ipsi sacrifico ejusque uxori mortis supplicium irrogavit, atque utrosque de saxo præcipites dedit. Alteri dein sacerdotium contulit. hic etiam spatio exigui temporis interposito, cum idem sacrificium perageret,

carnes

carnes edit, eodemque supplicio multatus periit. Sed gliscens edendæ carnis libido non potuit ulla legum severitate refrænari.

[1] *& prima putatur*
*Hostia sus meruisse mori, quia semina pando* [1] *Ovid. 15. Met.*
*Eruerit rostro, spemque interceperit anni.*

[2] Sus græcè dicitur ὗς, olim θὺς Sus dictus, ab illo verbo, quod dicitur θύειν, quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur, cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis, fœdus cum feritur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Hetruria in conjunctione nuptiali nova nupta & novus maritus primum porcum immolant. Prisci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitasse videntur. Nam & nostræ mulieres maximè nutrices, naturam, qua fœminæ sunt, in virginibus appellant porcum, & Græcæ χοῖρον, significantes esse dignum insigni nuptiarum. Sus prima hostia. [2] *Varro 2. de R.R. 4.*

*Et quemadmodum ab aris ad mensas carnes transtulere: ita* [3] nunquam ullum animal in proprios usus mactabant, quin ejus aliquam partem Deo consecrarent adolendam, qui secus facerent, proverbio notati, ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίει. quod de homine impio improboq; solitum dici. Factum hinc, ut quodcunque animal in cibum mactarent, ἱερεῖον vocarent. [3] *Casaubon. in Athen. 1. Animad. 11.*

[4] Δεῖπνον δ' αἶψα σύων ἱερεύσατε, ὅστις ἄριστος. [4] *Homer. Odyss. ult.*
*In prandium statim suem mactate optimum.*

[5] Τὸ μὲν δεῖπνον ἱερεύσατε, ἀντὶ τοῦ, διὰ δεῖπνον σφάζετε. [5] *Eustath. in Comm.*

Quoniam verò Caro & palato gratior est, & corpus magis nutriat quam ullum aliud alimentum, unde etiam κρέας dici volunt [6] παρὰ τὸ κρατύνειν τὰ σώματα, [6] *Idem.*

[7] *Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui,* [7] *Iuven. Sat. 15.*
*Tanquam homine,*

*frustra veterem consuetudinem reducere conatus est,*

[1] *—Primusque animalia mensis*

*Arguit imponi.*

[1] *Ovid. 15. Met.*

Et certè [o] Natura ad hominum commoditates, & usus non solum ea largita est, quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur: sed etiam pecudes; quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas.

[o] *Cicero 1. de Legib.*

[2] Honoratiora enim sunt hæc plantis, & plus caloris sortita sunt. *Sed magna est inter carnes differentia. Primo ratione pabuli. Ita* [3] Glans fagea suem hilarem facit, carnem coctibilem ac levem & utilem stomacho: iligna suem angustam, nitidam, strigosam: querna diffusam & gravissimam, & ipsa glande æquè dulcissimam.

[2] *Aristot. de Rep. 13.*

Carnium differentia.

[3] *Plin. 10. 6.*

[4] *Vmber & iligna nutritus carne rotundas*

*Curvet aper lances carnem vitantis inertem.*

[4] *Horat. 2. Sat. 4.*

*Differunt secundo Carnes ratione soli.*

[5] *Quippe solo natura subest.*

[5] *Virg. Georg.*

*Et hinc*

*—jejuna clivosi glarea ruris*

*Vix humiles apibus casias, roremque ministrat.*

[6] Omnium autem quadrupedum carnes deteriores, quæ locis palustribus pascuntur, quam quæ editioribus.

[6] *Arist. 8. de hist. an. 10.*

[7] Sæpe & cœli temperies caussa est. *Ita apud Hispanos,*

[7] *Ibid. c. 18.*

[8] *—generosi graminis ipsum*

*Infecit natura pecus; sed & egregius fons*

*Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aër.*

[8] *Iuven. Sat. 10.*

[9] Castratio etiam gratiorem carni saporem conciliat. *Hinc solent*

[10] *—testiculos peracuta falce secare,*

*Teter ut immundæ carnis abiret odor.*

[9] *Arist. 8. de hist. an. 50. Columell. 7. de R. R. 9.*

[10] *Martial. 3. 24.*

*Quin & ipsa apparandi ratio varietatem inducit.*

[1] Uti-

[1] Utilitatis minus esse in assatione putant: elixationem verò non solum, quod crudum est adimere, sed etiam mollire, alimentumque blandius coquere, ac minore periculo. Itaque vulgare dictum est, carnem elixam nec assari, nec elixari præterea oportere. Nam quod melius est dissipare & dissolvere videtur assatura, & assa sicciora crudioraque sunt elixis. [1] *Athen.* 14. 20.

*At melior Medicus* [2] Homerus ad Heroum convivia non pisces, nec elixas carnes, sed tantum assas adducit. [2] *Plato* 3. *Polit.*

[3] Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν, [3] *Hom. Il.* 2.
Ὤπτησάν τε περιφραδέως.

*Quod imitatus Virgilius,*

[4] *Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.* [4] 1. *Æneid.*
*Pars in frustra secant, verubusq; trementia figunt.*

[5] Nam heroicis temporibus carne non vescebantur elixa. [5] *Servius in Com.*

[6] Ἰχθὺν δ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε που [6] *Tragicus apud Stob.*
Τινὰ τῶν Ἀχαιῶν; κρέα δὲ μόνον ὤπτων, ἐπεὶ
Ἕψοντά γ' οὐ πεποίηκεν αὐτῶν οὐδένα.

[7] *Vbi namque Homerus quenquam fecit piscibus* [7] *Grotii versio.*
*Vescentem Achivûm? carnem torrebant modo:*
*Namque elixantem fecit eorum neminem.*

*Tandem in genere*

[8] Τὸ πρὸς ὀστοῦν φασὶ κρέας εἶναι γλυκύ. [8] *Athen.*
*Adhærens ossi est dulcior, ut ajunt, caro.*

*His præmissis ad ipsa animalia veniamus. Quandoquidem verò, ut diximus,* Sus.

[9] *Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,* [9] *Ovid.* 1. *Fast.*
*Vlta suas merita cæde nocentis opes:*

*quæ prima Diis in victimam, prima etiam hominibus in cibum cessit. Et certè* [10] Sus natura facta est, ut mactetur ac edatur. [11] Animalium hoc maximè brutum, animamque pro sale datam, non illepide existimabatur. *Quare* [12] Suillum pecus donatum à natura Suilla caro. [10] *Carnead. apud Porphyr. cit.* [11] *Plin.* 8. 51. [12] *Varro* 2. *R.R.* 4.

natura dicunt ad epulandum. Etenim omnium rerum quas & creat natura, & tuetur, quæ aut sine animo sunt, aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est, ut non inscitè illud dictum videatur in sue, Animam illi pecudi datam pro sale, ne putresceret.

[1] Τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει
[1] Plato Com. apud St. Ἡμᾶς τὸ λοιπὸν πλὴν ὑῶν. τὰ γὰρ κρέα
Ἥδιστ' ἔχουσι, κ' οὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίγνεται,
Πλὴν ὕστριχες, καὶ πηλὸς ἡμῖν καὶ βοή.
*Profecto nullum nos quadrupedum occidere*
*Præter sues decebat: nam suavissima*
*Caro est suilla: & de sue nil ad nos redit*
*Præter clamorem, & cœnum, & setas hispidas.*

*Iudæi tamen ea abstinebant. Quod quidam apud*
[2] 4.Symp.5. *Plutarchum* [2] honori pecudis *tribuit, quasi*
[3] Iuven. [3] *Iudæus porcinum numen adoret.*

*Alius ibi*, præ metu lepræ eos suillam detestari *existimat*, [4] memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.
[4] Tacit.5. Hist.

[5] Plutarch. de Isid. & Osir. [5] Et eorum, qui lac suillum bibunt, corpora lepra & scabiosis asperitatibus efflorescunt.

*Sunt qui abstinentiæ Iudaicæ caussam referant in sordidam victus rationem.*

[6] — μέλαν ὕδωρ
[6] Homer. Odyss.13. Πίνουσαι, τά θ' ὕεσσι τρέφει τεθαλυῖαν ἀλοιφήν.
— *nigram aquam*
*Bibentes, quæ suibus auget florentem pinguedinē.*

*Apud priscos verò Romanos Suilla in pretio, &*
[7] Iuven.Sat.11. [7] *Sicci terga suis rara pendentia crate*
*Moris erat quondam festis servare diebus,*
*Et natalitium cognatis ponere lardum.*

*tanta frugalitate, ut etiam*
[8] Horat.2. Sat.2. [8] *Rancidum aprum antiqui laudarent.*—

*Sed ubi,*
[9] Iuven.6. v.292. [9] *Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.*

*relictis*

*relictis aliis, porcellos lacte saginatos in deliciis habuere.* Porcelli.

[1] *Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum* [1] *Martial.* 14.
*Ponat, & Ætolo de sue dives edat.* *Ep.* 41.

[2] Porculis quoque minusculis & hædis tenerioribus Pythagoram victitasse Aristoxenus refert. [2] *Agell.* 4. 11.

*Sed illi ob nimiam humiditatem minus salubres; quod non ignorarunt*

[3] *—fruges consumere nati Sponsi Penelopes.—* [3] *Hor.* 1. *Ep.* 2.

*Hæc enim Eumæus Vlyssi:* [4] [4] *Homer. Od.* 14.

Ἔσθιε νῦν, ὦ ξεῖνε, τά τε δμώεσσι πάρεστι
Χοίρε᾽· ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσι.

*Comede nunc hospes, hi servis supersunt*
*Porcelli: cæterum pingues sues comedunt proci.*

*Quales tamen sint* [5] Suillæ carnes, in corporis habitu vix discutiuntur: ob pinguedinem verò corrumpuntur facile. [5] *Athen.* 9. 14.

[6] Neque alio ex animali numerosior materia ganeæ; quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli. [6] *Plin.* 8. 51.

*Expertus hoc* [7] T. Quintius *Rom. Imperator* cœna apud Chalcidensem hospitem comiter exceptus, cum miraretur, unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio: Homo renidens, condimentis ait varietatem illam, & speciem ferinæ carnis, ex mansueta sue factam. [7] *Livius* 5. *Dec.* 4.

*Præcipuæ verò mensarum deliciæ, Vulva suis & Sumen.* Vulva suis.

[8] Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejectitia vocatur illa, hæc porcaria; primiparæ suis optima. [8] *Plin.* 11. 37.

[9] *Te fortasse magis capiet de virgine porca,* [9] *Martial.* 13.
*Me materna gravi de sue vulva capit.* *Ep.* 51.

[10] *Nil vulva pulcrius ampla.* [10] *Horat.* 1. *Ep.* 15.

*Sumen quasi sugimen, est arte præparatum Suis abdomen cum mammis lacte turgentibus, unde Martialis vocat* [11] mammas suminis: *& alibi,* Sumen. [11] 2 *Ep.* 38.

[1] 13. Ep. 44. [1] *Esse putes nondum sumen, sic ubere largo*
*Effluit, & vivo lacte papilla tumet.*

Petaso. Perna. *Præter illa & Petaso in deliciis; cujus pars Perna fumo indurari solita.*

[2] Horat. 2. Sat. 2. [2] *— fumosæ cum pede pernæ.*

*Menapiæ & nunc & olim celebres:*

[3] Mart. 13. 53. [3] *Cæretana mihi fiet, vel missa licebit*
*De Menapis; lauti de petasone vorent.*

*Conjungit has lautitias Plautus, ubi parasiti meminit:*

[4] Captiv. [4] *Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,*
*Quanta sumini absumedo!*

Tomaculæ. *Apud Petronium etiam commendantur*

[5] Iuven. Sat. 10. [5] *— candiduli divina tomacula porci.*

Lucanicæ. *Quæ & Lucanicas vocarunt,*

[6] Mart. 13. 35. [6] *Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,*
*Pultibus hinc niveis grata corona datur.*

[7] Macrob. 3. Sat. 13. Porcus Trojanus. [7] Ipsa verò edulium genera, quam dictu turpia? Nam Cincius in suasione legis Fanniæ, objicit seculo suo, quod Porcum Trojanum mensis inferat; quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trojanus equus armatis fuit. [8] Athen. 4. [8] Erant enim in ipso simul assi turdi, vulvæ, ficedularum copia innumerarum, vitelli ovorum affusi, & ostrea ac pectines.

Bubula caro. [9] Varro 2. de R. R. 4. [10] Columell. in proœm. lib. 6. de R. R. [11] Cicer. 2. de nat. Deor. [12] Varro 2. de R. R. [13] Ovid. 15. Met.

*Quemadmodum igitur* [9] Suillum pecus donatum à natura dicunt ad epulandum: *ita* [10] Bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse, quam civem. [11] Tanta *siquidem* putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur. [12] Est *enim* bos socius hominum in rustico opere, & Cereris ministerio. *Hinc Pythagoræ querela:*

[13] *Quid meruêre boves, animal sine fraude dolisq;*
*Innocuum, simplex, natum tolerare labores?*
*Immemor est demum, nec frugum munere dignus,*

*Qui*

*Qui poterit curvi dempto modo pondere aratri*
*Ruricolam mactare suum: qui trita labore*
*Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,*
*Tot dederat messes, percussit colla securi.*

*Inter alimenta etiam numerat poëta*

[1] — βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκυίας, [1] *Hesiod.oper.*
*In sylvis pastæ, nondum enixæq; juvencæ Carnem.*

*A Bobus ad Oves. quibus hodie in mensa nihil frequentius vel invitis Ægyptiis, apud quos* Ovilla caro.

[2] *— lanatis animalibus abstinet omnis* [2] *Iuven.Sat.*
*Mensa. nefas illis fœtum jugulare Capellæ.* 15.

*Et de his conqueritur Philosophus:*

[3] *Quid meruistis oves, placidum pecus, inq; tuendos* [3] *Ovid.* 15.
*Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?* *Met.*
*Mollia quæ nobis vestras velamina lanas*
*Præbetis: vitaque magis quam morte juvatis.*

Agnina caro.

[4] Agnina caro in corpore vix discutitur: & ob pinguedinem *ac nimiam humiditatem* facile corrumpitur. [4] *Athen.* 9.14.

*Quare merito in minori olim fuit pretio, quam nunc est.*

[5] *— patinas cœnabit omasi,* [5] *Horat.* 1.
*Vilis & agninæ. —* *Ep.*15.

*Benè præcepit* [6] vetus lex, non jugulare agnam, quæ non tonsa est, nec peperit. [6] *Athen.*1. *&* 9.

*Apud Homerum procorum quisque*

[7] — ἐφ' ἤματι μῆλον ἀγινεῖ [7] *Odyss.*10.
Ζατρεφέων αἰγῶν, ὅστις φαίνηται ἄριστος.
*— quotidie pecudem abducit* Caprina caro.
*Abundè saginatarum caprarum, quæcunq; videretur optima.*

*Sed* [8] Capras sanas sanus nemo promittit; nunquam enim sine febri sunt. *Quare quo seniores, eò pejores.* [8] *Varro* 2.*de R.R.*3.

*Elige igitur*

[9] *— fœtum querulæ rudem capellæ.* [9] *Martial.*3. *Epigr.*30.

*Estque*

[1] Theocr. Id. 1. [1] Χιμαίρω καλὸν κρῆς ἐς τε κ' ἀμέλξῃς,
*Capellæ bona caro donec mulseris.*

[2] Arist. 5. de hist. an. 14. [2] Αὐζετεῖς sive anniculi reliquis præferri solent.

[3] Iuven. Sat. 10. [3] *De Tiburtino veniet pinguissimus agro*
*Hædulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,*
*Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti,*
*Qui plus lactis habet, quam sanguinis.—*

[4] Athen. 9. 14. [4] Caprarum caro plurimum alit. Quamobrem Clitomachus athletam quendam ætatis suæ homines viribus ait superasse, quoniam caprarum vesceretur carne, ut quæ succum gignat firmum, viscidum, & in mole corporis diu permanentem. Ridebatur verò, & dicteriis incessebatur athleta ille, ob sudoris graveolentiam.

Lepus. *Leporinam carnem tanti faciebant olim, ut dictus Martiali,*

*Inter quadrupedes gloria prima lepus.*

[5] Plin. 28. 19. [5] Somnos fieri lepore sumpto in cibis Cato arbitrabatur: vulgus & gratiam corpori, frigido quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse caussa in tanta persuasione. *Hinc jocus Martialis;*

[6] Mart. 5. 30. [6] *Siquando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:*
*Septem formosus, Marce, diebus eris.*
*Si non derides, si verum, lux mea, narras,*
*Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.*

*Et quamvis Horatius statuat,*

[7] Hor. 2. Sat. 18. [7] *Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,*
*Quam si cum lumbis quis edit:*

*Cum tamen sicciores sint, lumbos potius, ut & hodie fieri amat, quam*

[8] Hor. 2. Sat. 4. [8] *Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.*

Cuniculus. [9] Plin. 9. 55. [9] Leporum generis sunt, & quos Hispani Cuniculos appellant.

[10] Polyb. 14. Hist. [10] Cuniculum *enim* si procul intuearis, putes esse leporem parvum: ubi in manus sumpseris, ma-

gnam

gnam observes differentiam, & in specie & in gustu.

*A gressilibus ad volatilia transeamus. Generali* Gallina.
*ὀρνίθων nomine Gallinæ intelliguntur. Eas* [1] sagina- [1] *Plin.* 10.50.
re Deliaci cœpere: unde pestis exorta, opimas aves & suopte corpore unctas devorandi.

[2] *Pascitur & dulci facilis Gallina farina,* [2] *Mart.* 13. 62.
*Pascitur & tenebris; ingeniosa gula est.*

*Sed noxia* [3] inexercitata & in tenebris saginata, & [3] *Senec.* 3. *Nat.* 19.
lucis expertia, in qua salubritas ducitur.

*Vis culinæ præceptum?* Caro ut tenera reddatur.

[4] *Si vespertinus subitò te oppresserit hospes,* [4] *Horat.* 2. *Sat.* 4.
*Ne Gallina malum responset dura palato,*
*Doctus eris vivam musto mersare Falerno.*

[5] Idem fit si de ficu suspendatur, aut si frumenti acer- [5] *Plutarch.* 6. *Symp.* 10.
vo imponatur, aut juxta nitrum: calore id efficiente.

[6] Gallinaceos quoque pascendi lacte madidis ci- [6] *Plin.* 10.50.
bis *mos fuit. Sed,*

[7] *Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,* [7] *Mart.* 13. 63.
*Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.*

*Pavonem, carne fibrosa & pravi succi, veteres,* Pavo.
Queis [8] *præter formam nihil in pavone placebat,* [8] *Ovid.* 6. *Fast.*
*mensis non adhibuerunt.* At

[9] Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit ora- [9] *Plin.* 10. 20.
tor Hortensius, *qui* [10] ideò in jus vocatus fuit; *&* [10] *Ælian.* 5. *Hist.* 2.
*damnatus calamo Tertulliani.* [11] Præcidam, *inquit,* [11] *de Pallio.*
gulam, qua Hortensius orator primus pavum cibi caussa potuit occidere.

[12] *Miraris quoties gemmatas explicat alas,* [12] *Mart.* 13. 70.
*Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo.*

[13] *Tanquam ad rem attineat quicquam, num vesceris illa* [13] *Hor.* 2. *Sat.* 2.
*Quam laudas pluma. cocto num adest honor idem?*

*Quinetiam*

[14] *— in luxum jam ventri longius itur* [14] *Manil.* 5.
*Quam modo militiæ: Numidarum pascimur oris,*

*Phasidos & damnis: arcessitur inde macellum,*
*Vnde aurata novo convecta est æquore pellis.*

Phasianus. *De Phasianis loquimur, dictis & advectis à Phaside Colchidos urbe.*

[1] *Mart.* 13. 72. [1] *Argoa primum sum transportata carina,*
*Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.*

[2] *Lamprid. in vita.* [2] Alexander Severus tantum diebus festis phasianum apposuit.

[3] *Athen.* 14. 20. [3] Ptolomæus rex fatetur, se nunquam gustasse phasianum, sed veluti pretiosum quendam thesaurum domi repositum aluisse. Cibum enim sumptuosum & magnificum esse judicant, *Medici etiam salubrem.*

Columba. [4] *Florent.* 14. *Geopon.* 1. [4] Columbarum pullos statuunt esse necessarios ad resumptiones ex ægritudinibus. *Ex eorum genere turturem in pretio habet Plautus.*

Turtur. [5] *Mostell.* [5] *Non possunt omnes tam facetis, quam tu vivis, victibus;*
*Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aves.*

*Ex iis pinguiores, quod natura sicca, meliores.*

[6] *Mart.* 13. 53. [6] *Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,*
*Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.*

*Luxus verò clunes inprimis probat;*

[7] *Mart.* 3. 9. [7] *Aureus immodicis turtur te clunibus implet.*

*Modus necandi usitatus, & vetus;*

[8] *Plaut. Pœn.* [8] *Vt quisque acciderat, eum necabam illico*
*Per cerebrum pinna sua sibi tanquam turturem.*

Palumbi. [9] *Plin.* 10. 36. [9] Palumbi *quamvis* salaces, libidinem inhibere dicuntur.

[10] *Mart.* 13. 67. [10] *Inguina Torquati tardant hebetantq; palumbi,*
*Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.*

Passer. [11] *Athen.* 9. 10. *Contra dicebat* [11] Terphicles, eos qui Passeribus vescuntur, in venerem præcipites fieri.

*Quamvis verò*

Attagena. [12] *Martial.* 13. 61. [12] *Inter sapores fertur alitum primus*
*Ionicarum gustus Attagenarum:*

*tamen*

tamen

[1] *Nil melius turdo esse*, Martialem judicem dabo: Turdus.
[2] *Inter aves turdus, si quis, me judice, certet,* [1] *Hor.* 1. *Epist.* 15.
*Inter quadrupedes gloria prima lepus.* [2] *Mart.* 3. 65.
[3] Cornelius Nepos, qui Divi Augusti principatu [3] *Plin.* 10. 23.
obiit, *refert* turdos paullo ante captos saginari.

*Nobis Perdix maxime placet; sed* Perdix.
[4] *Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis,* [4] *Mart.* 13. 65.
*Hanc in lautorum mandere sæpe soles.*

*His affines sunt Merulæ, quas gula adusto pectore docuit apponere.* Merula.

[5] *— tum pectore adusto* [5] *Hor.* 2. *Sat.*
*Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbes.*

*Ficedulæ cibum præbent saluberrimum, quod duobus fructuum saluberrimis vescantur, uvis & ficubus, unde ab his nomen.* Ficedula.

[6] *Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,* [6] *Mart.* 13. 49.
*Cur potius nomen non dedit uva mihi?*

[7] Præfecti popinæ atque luxuriæ, quibus sumptus & fastidium pro facetiis procedit, negant ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere. [7] *Agell.* 15. 8.

*Pinguiores recte comeduntur* [8] piperato vitello piperatæ. [8] *Petron. cit.*

*Quare*

[9] *Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,* [9] *Mart.* 13. 5.
*Si tibi forte datur, si sapis, adde piper.*

*Et ut ficedulas ab alimento commendamus, ita Coturnices improbamus.* Coturnix.

[10] *— nobis veratrum est acre venenum,* [10] *Lucr.* 3.
*At capreis adipes, & coturnicibus auget.*
*adipes quidem auget, sed non sine noxa comedentium.*

[11] Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus: quam ob caussam eas damnavere mensæ, simulque comitialem propter morbum despui suetum. [11] *Plin.* 10. 23.

[12] Cuculus fit pinguis, & est carne suavi ad vescendum, eo maxime tēpore, quo à curuca curatur. Cuculus. [12] *Arist.* 6. *de hist. anim.* 6.

[1] Plin. 10.9. [1] Nulla tum avium suavitate carnis comparatur illi.

[2] Cels. 2.28. [2] Ex avibus *hisce*, quæ volatu fidunt, firmioris sunt nutrimenti, quæ grandiores, quam quæ minutæ, ut ficedula & turdus.

*Tandem ad aquaticas aves accedamus.*

Anser.
[3] Ælian. 5. 29.
[4] Plin. 29.3.

[3] Anser natura calidissimus, idcirco lavationum cupidissimus existit: [4] ab æstate in autumnum morbo conflictari dicitur.

[5] Idem 10.22. [5] Romani eos jecoris bonitate novere, quod fartilibus in magnam amplitudinem crescit.

[6] Iuven. 5. [6] *Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par.*

*Et alius,*

[7] Mart. 13. 58.

[7] *Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus,*
*Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?*

*Præstantissimum est*

[8] Hor. 2. Sat. 8.

[8] *Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.*

Anas.
[9] Petron.

[9] *— At albus anser,*
*Et pictis anas enovata pennis,*
*Plebeium sapit. —*

*Hinc lauti delicatiores modo partes eligunt.*

[10] Mart. 13. 52.

[10] *Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum,*
*Et cervice sapit; cætera redde coquo.*

*Gulæ potius, quam sanitati tantum tribui solet; ut*

Mergus.
[11] Horat. 2. Sat. 2.

[11] *Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,*
*Parebit pravi docilis Romana juventus.*

*Patet idem & ex aliis. Ita*

[12] Ibid.

[12] *Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,*
*Donec vos author docuit prætorius. —*

Ciconia.
[13] Plin. 10. 23.

[13] Cornelius Nepos scribit Ciconias magis placere, quam grues; cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse.

*Quippe*

[14] Iuven. 13.

[14] *— serpente ciconia pullos*
*Nutrit, & inventa per devia rura lacerta.*

*Nec Animalia modo carnem suam, sed & alia hominibus in cibum largiuntur:*

[1] *— nec*

[1] —*nec nobis lacteus humor* Lac. [1] *Ovid.* 15. *Met.*
*Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.*

[2] Omnium rerum, quas cibi caussa capimus, liquentium maximè est lac alibile. [2] *Varro* 2. *de R.R.* 11.

[3] Quare pro potu usurpandum non est, sed ut cibus vim validam, & ad nutriendum copiosam habens. [3] *Plut. in prae. san.*

[4] *Lacte mero veteres usi narrantur, & herbis* [4] *Ovid.* 4. *Fast.*
*Sponte sua si quas terra ferebat.*

[5] Aristoteles sive Theophrastus narrat Philinum quendam, nullo unquam alio cibo vel potu fuisse usum, sed totam vitam solo lacte. [5] *Athen.* 2. 6.

[6] Sed & integræ gentes solo lacte vitam tolerant, [6] *Idem c.* 7.
[7] Γλακτοφάγων τ' ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων. [7] *Hom. Il.* 5.
[8] Nomades Cynocephalorum lacte viventes *citat Plinius*, [9] Scythas *Herodotus*. [8] *l.*6.*c.*30. [9] *Melpom.*

[10] Arcades quidem non medicaminibus uti, sed lacte circa ver, quoniam tunc maximè succis herbæ turgeant, medicenturque uberius. Bibunt autem vaccinum, quoniam boves omnivoræ ferè sunt in herbis. [10] *Plin.* 25.8.

Colostra.
[11] Colostra, prima à partu spongiosa densitas lactis, *quamvis olim in deliciis.* [11] *Plin.* 28. 10.

[12] *Surripuit pastor, quæ nondum stantibus hædis,* [12] *Mart.* 13. 38.
*De primo matrum lacte, Colostra damus.*

*insalubris admodum est. Ita* [13] pullis Asinarum, biduo à partu maternum lac gustasse lethale est. genus mali vocatur Colostratio. [13] *Plin.* 11. 41.

Caseus.
*Ex lacte fit Caseus, crassiori scilicet ejus parte. Siquidem* [14] plus casei illud habere videmus, quod crassius est. [14] *Arist.* 1. *de hist. an.* 20.

[15] Laus Caseo Romæ, ubi omnium gentium bona cominus judicantur, è provinciis, Nemausensi præcipua. Tradunt Zoroastrem in desertis caseo vixisse annis viginti, ita temperato, ut vetustatem non sentiret. *Miratur tamen Plinius* barbaras gentes, [15] *Plin.* 11. 42.

tes, quæ lacte vivant, ignorare aut ſpernere tot ſeculis caſei dotem, denſantes id alioquin in acorem jucundum, & pingue butyrum.

Butyrum. [1] Ariſt.cit.

[1] Ineſt *enim* lacti pinguedo, quæ etiam concreto oleum prope trahit.

[2] Plin.28.9.

[2] *Eſtque* barbararum gentium laudatiſſimus cibus, & qui divites à plebe diſcernat.

Serum.

*Tertia lactis pars Serum eſt, quo ferunt canes impinguari.*

[3] Virg. 3. Georg.

[3] *—— acremque moloſſum Paſce ſero pingui.*

[4] Plin.28.9. [5] Agell.12.1.

*Vt de infantium lactatione aliquid addam.* [4] Utiliſſimum cuique maternum. [5] Qua in re naturæ ſollertia evidens eſt, quod poſteaquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit; adventante jam partus tempore, in ſupernas ſe partes profert, & ad fovenda vitæ & lucis rudimenta præſto eſt, & recens natis notum & familiarem victum offert.

[6] Plutarch.de educ.libb.

[6] Quare matres ipſæ nutrire infantes atque lactare debent. Majore etiam cum affectu alunt eos, utpote intimè diligentes.

*Paullatim deinde ad alia aſſuefaciendi alimenta. Ita olim medulla & pinguedine ovilli lactis Trojanos aluiſſe infantes ex Homero patet.*

Medulla. [7] Homer.Il. 10.

[7] Ἀστυάναξ, ὃς πρὶν μὲν ἑοῦ ἐπὶ γούνασι πατρὸς
Μυελὸν οἶον ἔδεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημόν.
*Aſtyanax, qui ante quidem ſui ſuper genua patris*
*Medullam ſolam comedebat, & ovium pinguem*
*adipem.*

Mel.

*Sed utrique mel aut ſaccharum, ad evitandam nauſeam addi debuit; ut Lacti, ne coaguletur, ſal miſcere ſolemus: quod etiam melle fieri poteſt. Scribunt*

[8] Iuſtin.Hiſt. 13.

[8] Ariſtæum in Arcadia latè regnaſſe, eumque primum & apium & mellis uſum, & lactis ad coagula hominibus tradidiſſe.

[9] Idem 2.

[9] Scythæ *quoque* lacte & melle veſcuntur.

[1] *Mel*

[1] *Mel apibus debemus. Hæ* vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quicquid attulere, diſponunt, ac per favos digerunt: & ut Virg. noſter ait, [1] *Senec. Ep. 84.*

[2] *—liquentia mella* [2] *1. Æn.*
*Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.*

De illis non ſatis conſtat, utrum ſuccum ex floribus ducant, qui protinus mel ſit: an quæ collegerunt in hunc ſaporem mixtura quadam & proprietate ſpiritus ſui mutent. Quibuſdam enim placet, non faciendi ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi. Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipſius arundinis humor dulcis, & pinguior gignat. In noſtris quoque herbis vim eandem, ſed manifeſtam & notabilem poni: quam perſequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam exiſtimant conditura & diſpoſitione in hanc qualitatem verti, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpſerint: non ſine quodam, ut ita dicam, fermēto quo in unum diverſa coaleſcunt. Saccharum.

[3] Mel jucundo ſapore magnam cœleſtis naturæ voluptatem affert. non alia ſuavitas, viſque, mortalium malis à morte vocandis, quam divini nectaris. [3] *Plin. 11. 12.*

[4] Democritum Abderiten ob tædium ſenectutis, cum mortem ſibi conſciſcere decreviſſet, fama eſt de quotidiano cibo aliquid detrahentem, inſtantibus jam feſtis diebus Theſmophoriorum, rogantibus domeſticis mulieribus ne per id celebritatis tempus moreretur, ſibi ut liceret ſolemnes & feſtivos illos dies agere, annuiſſe, & mellis vas ſibi juſſiſſe propius admoveri, atque ſic in multos dies vitam prorogaſſe, ſolo mellis odore & halitu continuatam: interiiſſeque diebus poſt aliquot aſportato melle, quo ſemper is delectatus fuerat: adeò ut cuidam percontanti, qua ratione vitam ſanus degeret, is re- [4] *Athen. 2. 7.*

is reſponderit, ſi corporis interiora melle rigaret, exteriora oleo.

Pythagoricorum nutrimentum panem cum melle fuiſſe Ariſtoxenus ſcribit, additque morbum nunquam ſenſuros, qui pranſuri eo cibo quotidie veſcantur. Lycus ſcripſit, ideo longævos eſſe Corſos, quod melle apud eos abundantiſſimo nunquam non utantur.

[1] Plin. 22. 24. [1] Mellis quidem ipſius natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore atque non aſpero, alia quam ſalis natura.

*Hinc & cadavera eo condire ſolent: & inter alia Alexandri quoque Magni corpus melle oblitum conſervaſſe legimus.*

[2] Statius in Sylvis. [2] *Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis*
*Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.*

[3] Macrob. 7. Sat. 4. [3] Mel, quod recentiſſimum, optimum.

[4] Plin. 22. 24. [4] Uſus deſpumati ſemper aptior: ſtomachum tamen inflat, bilem auget, faſtidium creat, & oculis per ſe inutile aliqui arbitrantur.

*Qualecunque nimium, in calidis præcipuè corporibus, facile in bilem vertitur:*

[5] 1. Epigr. μεη. [5] Πᾶν τὸ περιττὸν, ἄκαιρον. ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιὸς,
Ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.

*Omne ſupervacuum ingratum, proverbia dicunt;*
*Lingere mel nimium non ſine felle potes.*

[6] Caſsiodor. 7. Ep. 6. [6] Dulcedo mellis ſi aſſiduè ſumatur, horreſcit.

Hydromel. [7] Plin. 22. 24. [7] In mellis operibus & aqua multa tractari debet. Duo genera ejus: ſubitæ ac recentis, alterum inveteratæ. Repentina deſpumato melle præclaram utilitatem habet in cibo ægrotantium levi, hoc eſt alicæ elutę, viribus recreandis, ore ſtomachoq; mulcendo, ardore refrigerando. Inveteratæ uſum damnavere poſteri, minus innocentem aqua, minuſque vino firmum. Longa tamen vetuſtate tranſit in vinum,

num, ut constat inter omnes stomacho inutilissimum, nervisque contrarium.

Semper mulsum ex vetere vino utilissimum, facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. Ex austero factum non implet stomachum, neque ex decocto melle, minusque inflat; quod fere evenit. Appetendi quoque revocat aviditatem cibi. Alvum mollit frigido potu pluribus, calido sistit. Corpora auget. Multi senectam longam mulsi tantum nutritu toleravere, neque ullo alio cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo. Centesimum annum excedentem eum Divus Augustus hospes interrogavit, quanam maximè ratione vigorem illum animi corporisque custodisset. At ille respondit: intus mulso, foris oleo. Mulsum.

*Vt lac ex quadrupedibus, mel ex avibus, ita &* Ovum.

[1] *Ova parire solet genu' pennis condecoratum.* [1] *Ennius.*

[2] Nullus est alius cibus, qui in ægritudine magis alat, neque oneret, simulq; vim potus ac cibi habeat. [2] *Plin.29.3.*

[3] Ova, bulbus, cochlea, & similia gignere semen videntur, quia prima illorum natura eandem cum genitura speciem & potestatem habeat. [3] *Athen.2.23.*

[4] Aquatilium rotunda, reliqua fere fastigio cacuminata. Quæ oblonga sint ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus: [4] *Plin.10.52.*

[5] *Longa quibus facies ovis erit, illa memento,* [5] *2.Sat.4.*
*Vt succi melioris, & ut magis alba rotundis,*
*Ponere, namq; marem cohibent callosa vitellum.*

*Quidam* [6] Ova pavonum omnibus præferunt, deinde chenalopecum, ac tertio loco gallinarum. [6] *Athen.2.16.*

*Tandem à terrestribus ad aquatilia: & cibos concludamus piscibus. Hi tanto olim Romæ apud gulosos in pretio, ut Cato Censorius publicè conquestus fuerit,* Pisces.

[7] Non posse salvam esse urbem, in qua pluris piscis, quam bos veniret. [7] *Plutarch.4. Symp.4. & in Apophth.*

[1] *Plin.7.2.*

*Sunt gentes, quæ* [1] nullum alium cibum novere, quam piſcium, quos unguibus diſſectos, Sole torrent: atque ita panem ex his faciunt.

[2] *Idem 6.23.*

[2] Sed Ichthyophagos omnes Alexander vetuit piſcibus vivere.

[3] *Diphilus apud Stob.449.*

[3] Διὰ γὰρ τὸ πλῆθος τῶν παρ' αὐτοῖς ἰχθύων
Πάντες βληχώδεις εἰσὶ καὶ μεστοὶ λάπης.

[4] *Grotius vertit.*

[4] *Nam quæ eſt apud ipſos piſcium frequentia,*
*Muccoſos omnes, & pituitoſos facit.*

[5] *Plutarch.4. Symp.4.*

*Quare malè quidam* [5] ægrotantes ante omnes alios cibos ad piſcem ablegant, ut leviſſimum.

[6] *Plutarch. 8. Symp.8.*

[6] Pythagoræi verò à piſcibus abſtinuiſſe videntur. quod reliqua animalia utcunq; maleficio cauſſam necis hominibus præbent, piſces neque injuria nos afficiunt, neque afficere poſſunt.

Piſcium differentia.

*Magna autem piſcium differentia. Quod enim ad locum:*

Piſces marini.

*Marinos fluvialibus Medici præferunt.*

[7] *Plutarch.4. Symp.4.*

[7] Nec caret ratione mare ſaluberrima & elaborata corporibus alimenta gignere: quando etiam nobis aërem tenuitate & puritate.

[8] *Plin.9.54.*

Piſces fluviatiles.

*Quinetiam* [8] eadem aquatilium genera, alibi atq; alibi meliora, ſicut Lupi piſces in Tyberi amne inter duos pontes.

[9] *Horat. 2. Sat.2.*

[9] *Vnde datum ſentis, Lupus hic Tyberinus, an alto*
*Captus hiet, ponteſne inter jactatus, an amnis*
*Oſtia ſub Tuſci?*

[10] *Columell.8. de R.R.*

[10] Memoria avorum circumfertur M. Philippi urbaniſſimum, quod erat luxurioſiſſimum factum atque dictum: nam is fortè Caſſini, cum apud hoſpitem cœnaret, appoſitumq; è vicino flumine Lupum deguſtaſſet, atque expuiſſet; improbum factum dicto proſequutus, Peream, inquit, niſi piſcem putavi; hoc perjurium, multorum ſubtiliorem fecit gulam, doctaque & erudita palata faſtidire docuit fluvialem Lupum, niſi quem Tyberis adverſo torrente fatigaſſet.

[1] *Ita*

*Ita ille urbis purgamentis inter duos pontes pastus pinguior quidem, & gulæ gratior, corpori tamen insalubrior. Quanquam locus ipse multum præstet.*

[1] Non enim si Murænæ flutæ optimæ sunt in Sicilia, & Ellops ad Rhodum, continuò hi pisces in omni mari similes nascuntur. [1] *Varro 2. de R.R.*

[2] *Quod ad ætatem, parvi & juniores facile digeruntur. Huc* [2] *Xenocrat.*

[3] *— pertinet ergo* [3] *Hor. 2. Sat. 2.*
*Proceros odisse lupos.*

[4] Senectute omnes deteriores fiunt, quia tunc multum carnis absumitur. [4] *Arist. 8. hist. anim. 30.*

*Nisi fortè Barbum excipias;*

[5] *Liberior laxos exerces barbe natatus,* [5] *Auson. in Mosell.*
*Tu melior, pejore ævo: tibi contigit uni*
*Spirantum ex numero non illaudata senectus.*

*Quivis etiam* [6] piscis nequam nisi recens. *Quod notum adeò Romanis,* [7] ut nollent attingere, nisi eodem die captum piscem: qui, ut ajunt, saperet ipsum mare: ideò cursu advehebatur; ideò gerulis, cum anhelitu & clamore properantibus, dabatur via. [6] *Plaut. Asin.* [7] *Senec. 3. Nat. 18.*

*Et hæc in genere.*

Pisces saxatiles.

[8] Diphilus tradit, ex marinis piscibus Saxatiles facilè corrumpi, bonum succum gignere, detergere, leves esse ventriculo, parum nutrire: Pelagios autem corrumpi difficilius, multum alere, vix in corpus digeri. [8] *Athen. 8. 14.*

[9] Apud antiquos piscium nobilissimus habitus Acipenser. [9] *Plin. 9. 17.* Acipenser.

[10] *Ad Palatinas acipensem mittito mensas,* [10] *Mart. 13. 91.*
*Ambrosias ornent munera rara dapes.*

Postea præcipuam authoritatem fuisse Lupo & Asellis C. Nepos & Laberius tradidere. Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, à candore mollitieque carnis. Lupus. Asellus.

[1] Mart. 13. 89. [1] *Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,*
*Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.*

[2] Athen. 7. 17. [2] Lupi bonum succum gignunt, nec alunt multum, sed minus facilè egeruntur, at gustus suavitate primas obtinent. A voracitate huic pisci nomen dederunt.

Scarus. [3] Plin. 9. 17. Athen. 7. 19. [3] Nunc Scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci.

[4] Ennius apud Apul. in Apol. [4] *— At quid*
*Scarum præterii, cerebrum Iovis pene supremi!*

[5] Mart. [5] *Hic Scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,*
*Visceribus bonus est: cætera vile sapit.*

Muræna. *Muræna laudatur gravida:*

[6] Horat. 2. Sat. ult. [6] *Affertur squillas inter Muræna natantes.*
*In patina porrecta: sub hoc herus, hæc gravida, inquit,*
*Capta est, deterior post partum carne futura.*

Gobius. [7] Athen. 7. 17. [7] Gobii multum succi præbent, gustu eximiè placent, excernuntur facile, malum succum gignunt.

Perca. [8] Auson. in Mosella. [8] *Nec te delicias mensarum, Perca, silebo,*
*Amnigenos inter pisces dignande marinos.*

[9] Plin. 32. 11. [9] Est marina & fluvialis. *Sed illa præstat.*

Aurata. [10] Xenocrat. [10] Aurata est candidæ carnis, solidæ, condensæ, boni succi, facilis distributionis, alitque, & non difficulter excernitur. *Verum*

[11] Mart. 13. 60. [11] *Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur,*
*Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.*

Anguilla. [12] Senec. 3. Nat. 19. [12] Anguillæ latebrosis locis nascuntur. gravis cibus ob ignaviam, utique si altitudo illas luti penitus abscondit: *quamvis aliter sentiat* [13] Icesius.

[13] apud Athen. 7. 13. *Qui præter hos in cibum veniunt,*

[14] Ovid. in Halieut. [14] *Fulgentes soleæ candore, & concolor illis*
*Passer,* reliquique apud Athen. & alios fusius examinantur.

Ostrea. [15] Senec. Ep. 108. [15] Ostrea non cibi, sed oblectamẽta sunt, ad edendum saturos cogentia, quod gratissimum est edacibus,

cibus, & se ultra quam capiunt sarcientibus, facilè descensura, facilè reditura.

[1] *— Lucrinis* [1] *Petron.*
*Eruta littoribus vendunt Conchylia cœnis,*
*Vt renovent per damna famem.*
*Hinc in antecœnio, vel promulside sumere solent.*
[2] *Iunctus limicolis musculus ostreis,* [2] *Auson. 7. Epist.*
*Primo composuit fercula prandio,*
*Gratus deliciis nobilium cibus.*

[3] Ostrea stomacho prosunt, facile per alvum deferuntur. *ut & alia ejusdem generis.* [3] *Athen. 3. 12.*

*Quare*
[4] *— Si dura morabitur alvus,* [4] *Horat. 2. Sat. 4.*
*Mitylus, & viles pellent obstantia conchæ.*
*Sed hæc omnia trahunt naturã alimenti sui.* [5] Quid, illa ostrea, inertissimam carnem, cœno saginatam, nihil existimas limosæ gravitatis inferre? [5] *Senec. Ep. 95.*

[6] E piscibus quæ fiunt Salsamenta, Diphilus inquit, parum nutrire, exiguum succum præbere, æstuosa esse, ventriculum juvare, alvum ducere, appetentiam irritare. Salsamenta. [6] *Athen. 3. 33.*

*Sed sunt*
[7] *Sine omni lepore, & sine suavitate,* [7] *Plautus Pœnul.*
*Nisi multa aqua, & diu macerantur.*
*Olent, salsa sunt, tangere ut non velis.*

*Nec pisces modo, sed & carnes sale conservantur; imo cibi omnes insulsi & insuaves absque sale, ut meritò dictum sit,*

[8] Sal aliorum condimentorum condimentum esse, iisque suavitatem conciliare. Sal. [8] *Plutarch. 4. Symp. 8.*

[9] Quin & pecudes, armentaque, & jumenta, sale maxime sollicitantur ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. [9] *Plin. 31. 7.*

*Itaque*
[10] *— cui lactis amor, cythisum lotosq; frequentes* [10] *Virg. 3. Georg.*
*Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas.*

*Hinc & amant fluvios magis & magis ubera tendunt,*
*Et salis occultum referunt in lacte saporem.*

[1] *Plin. cit.* [1] Ergò Hercle, Vita humanior absque sale nequit degere.

[2] *Plutarch. 4. Symp. 4.* [2] Primum absque sale nihil omnino est esui, qui admixtus etiam ipsum etiam panem condit. Itaque eodem in fano Neptunus & Ceres habentur.

[3] *Plin. cit.* [3] Et Varro pulmentarii vice veteres usos autor est: esitasse enim panem cum sale & caseo.

*Et certe*
[4] *——cum sale panis*
*Latrantem stomachum bene leniet.——*

[4] *Horat. 2. Sat. 2.*

[5] *Plut. cit.* [5] Deinde reliquis obsoniis Sales dulcius sunt obsonium. Nam heröes tenui & frugali victui & exercitationi assueti, omnem ascititiam & ociosam voluptatem à mensis arcentes suis, carnes nihilominus absque sale edere non sustinuerunt: testantes id solum obsonium repudiari non posse.

[6] *Plutarch. qu. nat.* *Neque modo* [6] appetitum acuit Salis acrimonia, *sed* & meatus reserando cibum facilius deducit ad digestionem. Itaque etiam graciles & qui parum nutrirentur, Apollonius dulcibus vesci & alica nolebat, sed salsamentis & salsuginem habentibus pro cibo uti jubebat: cujus tenuitas tanquam in fricationis locum succedens, alimentum per meatus corpori apponeret.

[7] *Idem 5. Symp. 10.* [7] Ægyptiorum sacerdotes castissimi cum sint, sale in universum abstinent, adeo ut pane quoque insulso vescantur; vel, quia ob calorem, ad rem incitat veneream: *vel*, quia appetitu exacuendo magis bibulos & voraciores reddit.

[8] *Cicero 2. de nat. Deor.* *De cibis, eorumq; condimentis hactenus.* [8] Sed illa quanta benignitas naturæ, quod tam multa ad vescendum, tam varia tamq; jucunda gignit? neque ea uno tẽpore anni: ut semper & novitate delectemur, & copia.

CAP.

## CAP. IV.

### *Aquæ & Vini differentiæ.*

SOlidiori cibo, de quo hactenus egimus, opus fuit [1] ὄχημα τροφῆς, alimenti vehiculum: potus *scilicet, qui chylum in omnes partes deferat.*

[1] *Idem 6. Symp. 3.*

Vini dotes.

[2] Vinum est & potuum utilissimus, & de obsoniis omnibus gratissimum appetitionibus nostris, si occasione magis etiam, quam aqua sit probè temperatum. Aqua & vino si misceatur, prodest: & quæ inter diluti usum bibitur, ipsum dilutum reddit minus noxium.

[2] *Plutarch. in præc. Sanit.*

Aquæ potus.

*Prisci fere aquam potabant,*
[3] *Ac sedare sitim fluvii fontesque vocabant.*
[4] *Vt nunc montibus è magnis decursus aquai*
*Claricitat latè sitientia secla ferarum.*

[3] *Lucr. 5.*
[4] *Spartian. in vit.*

Aqua quæ salubris.

[5] Et Romanis militibus vinum petentibus, dicebat Pescennius Niger Imperator: Nilum habetis, & vinum petitis.

[5] *Plin. 31. 31.*

Aquam salubrem aëri quam simillimam esse oportet, & ejus sapor odorve nullus esse debet. Quidam statera judicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum, ut levior sit aliqua. Certior subtilitas inter pares meliorem esse, quæ calefiat refrigereturque celerius.

Aqua stagnans.

Stagnantes pigrasque aquas Medici meritò damnant, utiliores quæ profluunt existimantes; cursu enim percussuque ipso extenuari.

Aqua cisternæ.

Cisternarum ab aliquibus maximè probatur, quoniam levissima sit imbrium aqua, ut quæ subire potuerit ac pendere in aëre.

Aqua nivalis.

[6] Aquam ex dissoluta ac colliquefacta nive pessimam esse, & jampridē Arist. quasi oraculo edidit, & eorū, qui palato obsequi, quam illius authoritatem sequi malunt, quotidiana experimenta declarant.

[6] *Muret. 9. Var. Lect. 9.*

[1] Senec. Ep. 95. — [1] Quid, tu illam æstivam nivem non putas callum jecinoribus obducere?

[2] Plin. 31. 31. — *Ideo autem* [2] ex gelu ac nivibus insaluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde, quod tenuissimum fuerit. Minui certe liquorem omnem congelatione deprehenditur.

Aqua pluvia. — Pluvias quidem aquas celerrimè putrescere convenit, minimeque durare in navigatione. Damnantur inprimis fontes, qui cœnum faciunt, quique malum colorem bibentibus: refert & si vasa ærea inficiunt, aut si legumina tardè percoquunt.

Fontana.

Frigida. — *Noxia & frigida continuo pota. Nam &*

[3] Sueton. — [3] Vespasianus creberrimo frigidæ aquæ usu intestina vitiavit. *Magis verò turbida affatim à lassis sumpta.* Sitis, *inquit* [4] *Curtius*, præcipuè fatigatos exurebat, passimque omnibus viis proſtraverant corpora, præterfluentem aquam hianti ore captantes. quam cum avide turbatam hausissent, tendebantur extemplo præcordia premente limo, resolutis & torpentibus membris.

Turbida.

[4] Hist. 4.

Aqua salubris.

[5] Plutarch. 8. Symp. 5. — [5] Salubris verò est aqua, quæ non corrupta sit: hoc fit, si non misceatur, sed pura maneat. Aquæ enim montanam & lapidosam permeantes terram, quia non multum terræ secum trahunt, validiores palustribus & in plano fluentibus.

Montana.

Lacustris.

Decocta.

[6] Plin. 31. 31. — [6] Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.

[7] Iuven. Sat. 5. — [7] *Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,*
*Frigidior Scythicis petitur decocta pruinis.*

Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit: item calefactam magis refrigerari, subtilissimo invento. Vitiosæ aquæ remedium, si decoquatur ad dimidias partes.

Aquarum sapor unde.

[8] Senec. 3. Nat. 20. — [8] At quare aquis sapor varius? Propter quatuor caussas. Ex solo prima est, per quod feruntur. Secunda, ex eadem simulatione ejus nascitur. Tertia

ex

ex ſpiritu, qui in aquam transfiguratus eſt. Quarta ex vitio, quod ſæpe concipiunt corruptæ per injuriam. Hæ cauſſæ ſaporem dant aquis varium: hæ medicaminum potentiam: hæ gravem ſpiritum, odoremque peſtiferum: levitatem, gravitatemque, aut calorem, aut nimium rigorem. Intereſt, utrum per loca ſulphure, an nitro, an bitumine plena tranſeant. Hac ratione corruptæ, cum vitæ periculo bibuntur. Hinc illud, de quo Ovidius ait,

[1] *Flumen habent Cicones, quod potũ ſaxea reddit* [1] *15. Met.*
*Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.*

Aliquam harum habent cauſſam illi lacus, quos quiſquis faucibus hauſit, ut idem poëta ait,

[2] *Aut furit, aut patitur nimium gravitate ſoporẽ.* [2] *Ibid.*

Similem habet vim mero, ſed vehementiorẽ. Nam quemadmodum ebrietas, donec exſiccetur, dementia eſt, & nimia gravitate defertur in ſomnum: ſic aquæ hujus ſulphurea vis habet quoddam acrius ex noxio aëre virus, quod mentem aut furore movet, aut ſopore opprimit.

Aquæ dotes.

*Quamvis autem legamus* [3] multos ſolius aquæ potu vixiſſe; & Eubulus dicat, eos qui ſolam aquam bibũt, inveniendis rebus ſagaces ac ingenioſos eſſe, [3] *Athen. 2. 6.*

Τὸν δ' οἶνον ἡμῶν τὸ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν,
*Vinum verò noſtram obumbrare prudentiam;*

*ideoq; nonnulli,* [4] potum, ſi uſum reſpicias, nõ neceſſarium, ſi voluptatem, prẹſtantiſſimum *eſſe ſtatuant: longè tamen aquæ præferendum, &* [5] Aſclepiades utilitatem vini æquari vix Deorum potentia poſſe exiſtimavit. [4] *Max. Tyr. Diſſert. 11.* [5] *Plin. 23. 1.*

Vini dotes.

Vino *enim* aluntur vires, ſanguis colosque hominum. modico nervi juvantur, copioſo læduntur; ſic & oculi. Stomachus recreatur: appetentia ciborum invitatur. triſtitia & cura hebetatur.

[6] *Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,* [6] *Ovid. 2. Arte.*
*Cura fugit multo diluiturque mero.*

*Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,*
*Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.*
*Ejus laudes non unica pagina claudunt poëtæ,*
[1] *— nec non & carmina, vino*
*Ingenium faciente, canunt.—*
*Immeritò igitur eorum princeps*
[2] *Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.*
*Namque*
[3] *Nulla manere diu, neq; vivere carmina possunt,*
*Quæ scribuntur aquæ potoribus.—*
[4] Ἐνῆν γὰρ ὡς ἔοικε κἀν οἴνῳ λόγος.
Ἔνιοι δ' ὕδωρ πίνοντές εἰσ' ἀβέλτεροι.
[5] *Nimirum & in vino aliqua vis sapientiæ est.*
*Hebescit multis animus, cum potant aquam.*

[6] Vinum saluberrimum omnibus liberaliter genitis. Vino urina expellitur: somnus conciliatur:
[7] *Adde merum, vinoque novos compesce dolores,*
*Occupet ut fessi lumina victa sopor.*
*Quin & fessis remedio est,*
[8] Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.
*Vina viro robur fesso, viresque ministrant.*

Vini commoda & incommoda.

*Sed vini commoda & incommoda eleganter exprimuntur his versibus:*

[9] Τὸν οἶνον οἱ θεοὶ
Θνητοῖς κατέδειξαν. τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις
Ἀγαθὸν μέγιστον. τοῖς δ' ἀτάκτως, τοὔμπαλιν.
Τροφήν τε γὰρ δίδωσι τοῖσι χρωμένοις,
Ἰσχύν τε ταῖς ψυχαῖσι καὶ τοῖς σώμασιν.
Εἰς τὴν ἰατρικήν τε χρησιμώτατον.
Καὶ τοῖς ποτοῖς γὰρ φαρμάκοις κεράννυται.
Καὶ τοῖσιν ἑλκωθεῖσιν ὠφέλημ' ἔχει.
Ἐν ταῖς συνουσίαις τε ταῖς καθ' ἡμέραν,
Τοῖς μὲν μέτριον πίνουσι καὶ κεκραμένον,
Εὐθυμίαν φέρει· ἂν δ' ὑπερβάλλῃς, ὕβριν.
Ἐὰν δ' ἴσον ἴσῳ προσφέρῃς, μανίαν ποιεῖ.
Ἂν δ' ἄκρατον, παράλυσιν τῶν γε σωμάτων.

Διὸ

[1] *Idem 7. Met.*
[2] *Horat. 1. Epist. 19.*
[3] *Idem ibid.*
[4] *Amphis apud Stob. 121. 139.*
[5] *Grotius vertit.*
[6] *Plin. 23. 1.*
[7] *Tibull. 1. El. 7.*
[8] *Homer. Il. 6.*
[9] *Mnesitheus.*

Διὸ καὶ καλοῦσι τὸν Διόνυσον πανταχοῦ
Ἰατρόν. ἡ δὲ Πυθία εἴρηκέν τισι
Διόνυσον Ὑγιάτην καλεῖν.
[1] *Dono deûm* — [1] *Grotius vertit.*
*Obvênit vinum nobis, ingens his donum*
*Qui rectè utuntur, aliis pestis pessima.*
*Alimentum namque præstat rectè utentibus,*
*Additque vires pariter animo & corpori.*
*Sed & ad medicinam maximos usus habet;*
*Miscetur quippe poculentis remediis,*
*Opemque fert vulneribus præsentissimam.*
*Quotidianis hominum autem in convictibus,*
*His qui bene temperatum, nec nimium bibunt,*
*Dat hilaritatem: ulterius, insolentiam:*
*Si par aquæ bibatur, etiam insaniam:*
*Si purum, siderationem corporum.*
*Meritò propterea Liber Medici nomine* — **Vinum medicus.**
*Passim indigetatur. atque eundem Pythia*
*Iussit vocari Sospitem.*

[2] Mustum omne stomacho inutile, venis jucundum. Prodest (*malim* obest) renibus, jocinori, & interaneis vesicæ. *Sed* [3] vinum, quod vetustissimum, optimum, *& in eo* [4] ipsa nos amaritudo delectat. *Verum* [5] non ad voluptatem solum, sed ad bonam valetudinem conducibilius est, quoniam cibum magis coquit, & ob partium tenuitatem magis digeritur. *Quare*

**Mustum.** [2] *Plin.* 23. 1. **Vinum vetus.** [3] *Macrob.* 7. *Saturn.* 4. [4] *Senec. Ep.* 63. [5] *Athen.* 2. 1.

[6] *Qui utuntur vino vetere, eos sapientes puto.* — [6] *Plautus Casina.*
*Hinc & apud Virgilium*
[7] *— victu revocant vires, fusique per herbam* — [7] 1. *Æneid.*
*Implentur veteris Bacchi —*

[8] Dulce minus inebriat, sed stomacho innatat: austerũ facilius concoquitur. Levissimum est, quod celerrimè inveteratur. Minus infestat nervos, quod vetustate dulcescit. Stomacho minus utile est pingue, nigrum, sed corpora magis alit. Tenue & austerum minus alit. — [8] *Plin.* 23. 1.

[1] Illud

Vinum fulmine gelatum.
[1] Senec. 2. Nat. 53.

[1] Illud est mirum, quod vinum fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat aut dementes facit. Quare id accidat, quærenti mihi illud occurrit. Ineſt fulmini vis peſtifera. Ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo humore, quem coëgit gelavitque, veriſimile eſt. Nec enim alligari potuiſſet, niſi aliquod illi additum eſſet vinculum.

Vini temperamentum.
[2] Athen. 11. 10.
[3] Senec. 2. de ira 19.
[4] Plin. 14. 15.
Vinum lymphatum.
[5] Plin. 7. 56.
[6] lib. 1. Anthol.

*Quod ad temperamentum*; [2] Vinum eſt calidum & humidum: [3] calorem auget pro cujusque natura & incendit.

*Quoniam itaque* [4] vino natura eſt accendendi calore viſcera: *hinc* [5] aqua eum miſceri inventum.

*Et vinum idcirco aqua miſcendum eſſe venuſto epigrammate docet Meleager,*

[6] Αἱ νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ᾽ ἐκ πυρὸς ἥλαθ᾽ ὁ κοῦρος,
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος. ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

*Ignivomo Bacchus ſaliens è fulmine, Nymphis*
*Abluitur liquidis pulverulentus aquis.*
*Propterea junctis Nymphis eſt gratus Iacchus,*
*His ſine, adhuc ardens, quod bibis, ignis erit.*

[7] Athen. 15. 2.

[7] Quapropter Græci, cum temetum inter cœnandum affertur menſæ, elato clamore bonum Deum invocant, illum venerantes, qui repperit. Cum verò poſt cœnam, primum aqua temperatum poculum miniſtratur, Jovem ſervatorem exultantes acclamant, pluviæ largitorem & moderatorem exiſtimantes, jucundæque temperationis ac commixtionis authorem.

*Sic Calypſo Vlyſſem alloquitur*;

[8] Homer. 5. Odyſſ.

[8] Αὐτὰρ ἐγὼ σῖτον, καὶ ὕδωρ, καὶ οἶνον ἐρυθρὸν
Ἐνθήσω μενοεικέ᾽, ἅ κέν τοι λιμὸν ἐρύκοι.

*Sed ego panem, & aquam, & vinum rubrum,*
*Apponam placidè, quæ à te famem repellant.*

[1] Qui-

[1] Quidam tribus aquæ partibus tres vini addebant: nonnulli æquales partes: *alii aliter: sed Hesiodo judice,* [1] *Plutarch.3. Symp.9.*

[2] *Tres miscebis aquæ partes, sit quarta Lyæi.* [2] *Eustath. ad Iliad.11.*

[3] Vini etiam vitium transit in remedia. Aceto summa vis est in refrigerando, non tamen minor in discutiendo. Cibos quidem & succos non alius magis succus commendat aut excitat: in quo usu mitigatur tosto pane aut vino. [3] *Plin.23.1.* Acetum.

[4] *Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti.* [4] *Martial.7. Epigr. 24.*

*Quin &* [5] *Pescennius Niger imperator aliquando* jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos. [5] *Spartian.*

[6] Dionysius eos, quorum regio à vinearum usu aliena esset, potum hordeaceum conficere docuit, paulo deteriorem vini suavitate; *qualem Cerevisiam nostram experimur.* [6] *Diodor.Sic. 4.Bibl.*

## CAP. V.

### *Cibo & potu utendi modus.*

Quod [7] comestum est, concoquitur, digeritur in corpus, inde nervi, carnes, sanguis, ossa generantur, bonus color efflorescit, spiritus sustentantur. [7] *Epictet. 2. Dissert.9.*

Et [8] *cibus in membra atq; artus cũ ditidur omnis,*
*Disperit, atque aliam naturam sufficit ex se.* [8] *Lucret.3.*

[9] Alimenta *enim* quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt: at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tum demum in vires & in sanguinem transeunt. [9] *Senec. Ep. 84.*

[10] Ipsa enim cum humore permixtio comminuens cibos, & auxilio utens calido innato, atque spiritu, subtilius quam ullum instrumentum, secando dividendoque nutrimentum attenuat, ut omnis ejus pars omni parti corporis conveniens accommodataque redigatur. [10] *Plutarch.6. Symp.3.*

*Itaque*

[1] *Cicero 3. ad Heren.* [2] *Muſonius ap. Stob.*

*Itaque* [1] eſſe oportet ut vivas, non vivere ut edas; [2] ſiquidem ad optimam Socratis ſententiam te accommodare volueris, qui bonam hominum partem vivere dixit ut edant, ſe autem edere ut vivat.

[3] *Ariſt. 3. de part. an.*

[3] Duplex autem exuperantia cibi eſt; aut enim quantitate, aut qualitate, id eſt, modo & genere: quippe cum cibus non æquè concoctu facilis quiſque ſit.

*Hic igitur conſideranda alimenti qualitas & quantitas; præterea conſuetudo, tempus & ordo ſumendi.*

*Quod ad qualitatem;*

Alimenti qualitas.

[4] *Senec. ad Helv. 9.*

[4] Corporis exigua deſideria ſunt: frigus ſubmoveri vult, alimentis famem extinguere: quicquid extra concupiſcitur, vitiis, non uſibus laboratur. Non eſt neceſſe omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto litore eruere. Ultra Phaſin capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat.

[5] *Petron.*

[5] *Ales Phaſiacis petita Colchis,*
*Atque Afræ volucres placent palato.*
*Quicquid quæritur, optimum videtur.*

[6] *Agellius 6. 16.*

[6] Hanc autem peragrantis gulæ & in ſuccos inſuetos inquirentis induſtriam, atque has undique verſum indagines cupediarum majore deteſtatione dignas cenſebimus, ſi verſus Euripidis recordemur, quibus utebatur ſæpe Chryſippus philoſophus, tanquam edendi irritationes quaſdam repertas eſſe, non per uſum vitæ neceſſarium, ſed per luxum animi parata atque facilia faſtidientis per improbam ſatietatis laſciviam. Verſus Euripidis adſcribendos putavi.

[7] *Cit. Stob. 35. Athen. 14. 15.*

[7] Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ᾽ ὑδρηχόου;

Ἅπερ

*Ἅπνα πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν.*
*Ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονῆς· τρυφῇ γέ τοι*
*Ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρώμεθα.*

[1] *Homini quid est necesse præterquam duo,* [1] *Grotius vertit.*
*Cereale germen, atque limpharum latex,*
*Quæ sunt parata semper, & vitæ satis?*
*Sed non sat illud sat placet: quippe inciti*
*Luxu ciborum inventa sectamur nova.*

[2] Julianus imp. imitatus egregium illud Cyri veteris dictum: qui cum delatus ad hospitem interrogaretur ab eo, quid ad convivium parari juberet, Panem responderat solum: Sperare enim ajebat prope rivum cœnaturum. [2] *Ammian. Hist. 21.*

[3] *—— Satis est populis fluviusque Ceresque.* [3] *Lucan. 4.*

[4] *Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris* [4] *Lucr. 4.*
*Vitigeni laticem mortalibus instituisse:*
*Cum tamen his posset rebus sine vita manere;*
*Vt fama est aliquas etiam nunc vivere gentes.*

*Ex frugalitate hac manavit olim matrimonii ineundi ritus, de quo Curtius,* [5] Rex, *inquit*, medio cupiditatis ardore jussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedonas sanctissimum coëuntium pignus) quem divisum gladio uterque libabat. Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluisse jungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. [5] *Hist. 8.*

[6] Disce *igitur* parvo esse contentus, & illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipsi de fœlicitate controversiam faciamus. [6] *Epicur. apud Senec. Ep. 110.*

*Et ipsa profecto* [7] natura parvo contenta. Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem: cibi condimentum esse famem, potionis sitim. [7] *Cicer. 2. de Finib.*

[8] Regina Cariæ Ada cibos & bellaria curiosissimo apparata à cupediariis & coquis artificio subinde ad [8] *Plutarch. in Apophth.*

de ad Alexandrum M. studio quodam ostentandi mittente: Meliores sibi esse dixit coquos, iter nocturnum, quo prandium, & parcitatem prandii, qua cœnam sibi suavem redderet.

[1] *Velleius 2. Hist.*

[1] C. Cæsar Magno illi Alexandro, sed sobrio neq; iracundo simillimus, qui semper & cibo & somno in vitam, non in voluptatem uteretur.

[2] *Cicer. 5. Tusc.*

[2] Darius in fuga cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius, nunquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolomæus ederat: cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius.

[3] *Plutarch. in conv. 7. Sap.*

[3] Certè cibus ut remedium famis sumitur, & curare seipsos dicuntur, qui victus ratione utuntur certa: quod non voluptatem, aut jucunditatem aliquam consectentur, sed naturæ necessitati obsequantur.

[4] *Idem de Curiosit.*

*Hinc* [4] Socrates hortabatur, ut caveremus à cibis, qui non esurientes ad edendum invitant, & potu, qui non sitientes ad bibendum pellicit.

[5] *Ælian. 8. Hist. an. 9.*

*Namque* [5] homines illecebris ciborum, quæ vel nolentes invitant, immoderatè abutuntur.

[6] *Senec. Ep. 108.*

*Quare etiam ciborum varietas in eadem mensa vitanda. & rectè* [6] colligebat Sextius, bonæ valetudini contraria esse alimenta varia, & nostris aliena corporibus.

[7] *Idem Ep. 2.*

*Et sanè* [7] fastidientis stomachi est, multa degustare: quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt: *ita ut* [8] multos morbos multa fercula faciant.

[8] *Idem Ep. 95.*

[9] *Arist. 1. Probl. 15.*

[9] Turbulenta enim, nec æqualis concoctio eorum agitur.

[10] *Polyb. Hist. 3.*

*Itaque* [10] singula fercula degustando, neque in præsentia ullam veram voluptatem è cibis capiunt: neque in posterum utile ex eorum digestione alimentum

mentum ferunt: sed omnia potius contraria experiuntur.

[1] Homini *autem* cibus utilissimus simplex. Acervatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora. Difficulter autem perficiuntur omnia in cibis, acria, nimia, & avidè hausta, & æstate quam hyeme difficilius, & in senecta quam in juventa. [1] *Plin.* 11.53.

[2] *Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaq; secum*
*Afferat, inprimis valeas bene: nam variæ res*
*Vt noceant homini credas, memor illius escæ,*
*Quæ simplex olim tibi sederit. at, simul assis*
*Miscueris elixa: simul conchylia turdis:*
*Dulcia se in bilem vertent: stomachoq; tumultum*
*Lenta feret pituita. vides, ut pallidus omnis*
*Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum*
*Hesternis vitiis animum quoque degravat una:*
*Atque affligit humo divinæ particulam auræ.*

[2] *Horat.* 2. *Sat.*2. *Vide fusius Plutarch.* 4. *Symp.* 1. & *ex eo Macrob.* 7. *Sat.*4.

*Contra*

[3] Timotheus ex magnificis & imperatoriis cœnis, à Platone ad convivium in Academia, simplici quidem apparatu, sed velut musica concinnitate eleganti, acceptus, professus est, qui cœnarent apud Platonem, illos etiam postridie bene habituros. [3] *Athen.*10.4.

*Itaque*

Sit [4] *victus facilis, sine arte mensa.* [4] *Martial.*

*Quod ad quantitatem*: [5] Esculenta, & poculenta copiosiora & parciora valetudinem lædunt ac perdunt. At verò moderata efficiunt, augent, & tuentur. Quinetiam cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. *Certè* [6] copia ciborum subtilitas animi impeditur.

*Arist.* 1. *Eth.*2.

Cibi quantitas.

[5] *Cicer.* 2. *de nat. Deor.*

[6] *Senec. Ep.* 15.

[7] Tantum igitur cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. [7] *Cicer.* 1. *Offic.*

[8] Est enim immoderata ciborum congestio lethifera naturaliter & venefica, utpote concoctionem præ multitudine non admittentibus quæ in- [8] *Philo de mundi opific.*

gesta sunt, quando adduntur alia super alia priusquam priora digesta sunt.

*Sed hic distinguendum esse docet cibi qualitas, tempus anni, hominis ætas & exercitium.*

[1] *Plutarch. in præc. Sanit.*

[1] Cum *igitur* contendere adversus ventrem auribus, ut Cato dicebat, carentem difficile sit: danda est opera, ut ciborum qualitate copiam minus molestam reddamus. Itaque eos cibos, qui solidi sunt, multumque habent nutrimenti, (carnes puta, caseos, ficus aridas, ova assa, & qui horum sunt similes) quando semper aversari vix possumus: tenues & leves arripiamus interim, cujus generis olera sunt pleraque, & aves, & pisces non pingues. Licet enim his vescentem & gratificari appetitui, & corpus non affligere. Maxime autem cruditates metuendæ sunt ab esu carnium: nam hæ & initio statim valde prægravant, & reliquias post se malas relinquunt.

Tempus comedendi.
[2] *Cels. 1. 3.*
[3] *Arist. 1. Probl. 39.*

[2] Tempus quoque anni considerare oportet. [3] Parcus cibus, & potio liberalis convenit æstate; hoc quidem omnino, illud autem magis. Potioni quidem per æstatem ob siccitatem omnino est indulgendum. parcimonia verò cibi semper, sed magis æstate convenit. incalescimus enim ob tempus à cibis. *At* [4] hyeme minus, sed meracius bibere: plus *verò* esse convenit. *Nam* [5] animalium corpora per hyemem sunt calidiora, quod calorem à foris circumstante frigore compulsum intus cohibent, *ideoque melius coquunt, & plus digerunt.*

[4] *Cels. 1. 3.*
[5] *Plutarch. de primo frigido.*

[6] *Plutarch. 2. Symp. 2.*

[6] Aristoteles unumquemque seipso edaciorem esse circa extremum autumnum asserit: cujus rei varii varias caussas afferunt. Ille, quod alvum subducens vacuando corpore novos subinde crearet appetitus. Hic, quod maturi plerique fructus acrimonia quadam & vi vellicandi præditi, stomachum quovis obsonio atque condimento magis ad cibi appetitionem provocarent. quando etiam, qui inedia

dia laborant, pomo aliquo gustato concupiscentiam cibi recuperant. Alius dixit, innatum nobis calorem, quo alimur, per æstatem dispersum imbecilliorem esse & rarum. eum autem sub autumni exitum colligi, ac viribus augeri, intus occultatum ob frigus circumdatum & densationem corporis. Quidam, Æstate nos magis siticulosos esse, plusque humoris sumere ob æstum. hoc autem tempore naturam in mutatione more suo contrarium quærentem, nos magis famelicos efficere, alimentumque siccum temperiei corporis reddere. Sed & cibos non plane caussa hujus rei vacare. nam quæ è novis & recentibus fiunt fructibus, non mazæ modo, legumina, panes, triticum, sed & carnes animalium ipso hoc anno natorum quæ eduntur, succis à veteribus differre, magisque allicere vescentes solent.

[1] Quod ad Ætates verò pertinet, inediam facillimè sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minimè pueri, & senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo sæpius debet cibum assumere, maximeque eo eget, qui increscit. [1] *Cels. 1.3.*

*Hic valet & Exercitium*, [2] quandoquidem laboriosis certaminibus qui exercentur, assuescunt & multa comedere, unde Athletæ voraces sunt. [3] Aniculæ sæpe inediam biduum, aut triduum ferunt: subduc cibum unum diem Athletæ, Jovem Olympium eum ipsum, cui se exercebit, implorabit: ferre non posse clamabit. Consuetudinis *quoque* magna vis est. [2] *Athen. 10.2.* [3] *Cicer. 2. Tusc.*

[4] Corpora quidem cùm primis cibis aliquibus & potibus laboribusque utuntur, turbantur quodammodo, deinde ex diuturno harum rerum usu concrescunt pinguiaque redduntur, atque hujusmodi victu utpote jam consueto, familiari & amico delectantur admodum, & optimè valent: at si ex probabili aliqua caussa ad aliam cogantur transire diæ- [4] *Plato 7. de Leg.*

tam, in morbos initio conturbata incidunt, antequam novo victui consuescant.

[1] *Sleidan. Hist. 9.*
*Ita* [1] Clemens VII. Pontifex diuturno stomachi vitio sublatus, cum jam senex victus rationem suasore Medico Curtio mutasset.

[2] *Cels. 1. 3.*
*Hinc* [2] periclitatur & qui semel & qui bis die cibum inconvenienter, contra consuetudinē assumit.

*Quod ad Tempus;*

[3] *Muret. 4. Var. Lect. 12.*
[3] Falsa multorum animos occupavit opinio, veteres semel tantum die cibum sumsisse, quam, ut puto conceperunt è verbis Platonis, qui in illa nobili epistola ait, displicuisse sibi, quod in Sicilia bis saturi fierent. Sed aliud est, capere cibum, aliud ἐμπιπλᾶσθαι.

[4] *Plutarch. 8. Symp. 6.*
[4] Fides adhibenda est iis, qui vitæ rationem, qua prisci usi sunt, memoriæ prodiderunt. Hi docent illos, cum & laboribus dediti & temperantes essent, mane panem edisse mero intinctum, aliud nihil. Itaque hoc dictum fuit ἀκράτισμα, cum ἄκρατον sit merum. Ὄψον autem dicebatur cœna, quod ad eam ὀψὲ, id est, serò, negociis jam defuncti se conferrent.

[5] *Athen. 1. 9.*
[5] Philemon tradit antiquis cibi sumendi tempora fuisse ἀκρατισμὸν, jentaculum, ἄριστον prandium, ἑσπέρισμα merendam, δεῖπνον cœnam sive vespernam. Jentaculum etiam ἀριστισμὸν appellarunt, ut & prandium δορπιστὸν, & cœnam ἐπιδορπίδα. Harum dictionum ordo apud Æschylum extat, quo in loco Palamedes ait:

— σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα,
Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα.
— *& quando cibum capiant præfinivi,*
*Ientaculum, cœnā, prandium sumant ut tertium.*

Quarti cibi meminit Homer. Od. 11. his verbis:

— σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας.
*post merendam ipse venito.*

δειλινὸν hunc cibatum quidem nominant, interpositum

tum prandio & cœnæ. Jentaculum ſumitur auroræ exortu: prandium ad meridiem, cœna veſperi.

[1] Xerxes ſemel quotidie cibum aſſumere conſuerat. *Sed præſtat* [2] bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quamplurimum, dummodo hunc concoquat. [3] Semper *enim* ad ſanitatem proclivius eſt, quod poteſt detractione curari. illi ſuccurri non poteſt, qui deficit.

[1] *Herodot.* 7. *Hiſt.* 120.
[2] *Celſ.* 1. 1.
[3] *Senec.* 4. *Contr.* 25.

*Plerique autem* [4] prandere largè, cœnare parce præcipiunt.

[4] *Ariſt.* 4. *Probl.* 32.

*Bonum à paſtu ſtomachum cydonio, vel ſimili claudere.*

[5] Μετὰ γὰρ ἄριστον, ὡς ἀμυγδαλὰς ἐγὼ
Παρέθηκα, καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν.
*Poſt prandium ſimul amygdalas ego*
*Appoſui, deque Punicis guſtavimus.*

[5] *Menander.*

Potus.

*Hactenus de Cibo. Reſtat Potus, in quo conſiderabimus quantitatem, & qua ætate & tempore bibere vinum liceat.*

[6] Principio legem ſanciemus, ut pueri uſque ad duodevigeſimum annum vini uſum prorſus ignorent. Nempe eos monebimus non oportere ignem igni in corpus atque animam ſuggerere, antequam viri effecti ſubire labores incipiant. Furioſum namque habitum juventutis cavere oportet. Deinde vino moderatè utantur uſque ad annum ætatis trigeſimum. Ab ebrietate verò & vini repletione juvenes omnino abſtineant. Sed cum ad quadrageſimum pervenerint, tum in conviviis liberius diſcumbentes, cum alios Deos, tum Dionyſium ad ſacra ſenum, & ludos invocent, qui hominibus vinum quaſi remedium adverſus ſenectutis duritiam eſt largitus, ut rejuveneſcere videamur, & mœſtitiæ nos oblivio capiat: ipſaque affectio animi, ſicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat.

[6] *Plato* 2. *de Leg.*
Vinum non dandum pueris.
Vinum ſenibus utile.

[1] *Athen.* 10.9. *Ita* [1] ex heroibus largiſſimè bibebat Neſtor ter ſenex, qui etiam inſtante ſæviſſimo prœlio à potu non abſtinuit. Itaque Homerus ait:

[2] *Ibid.* 14. [2] Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

*Neſtora non latuit conflictus, quamvis interea bibentem.*

Hujus ergo ſolius poculum Homerus depinxit, ut Achillis ſcutum: ſiquidem cum poculo is prælia-batur, non aliter, quam Achilles cum ſcuto.

[3] *Plutarch.* 1. *Symp.* 7. [3] Quæſitum fuit de ſenibus, cur meraciore potu magis gauderent. Ii qui refrigeratam eorum corporis habitudinem & calefactu difficilem cauſabantur, cui propterea vini meraci temperies conveniret: nihil novi, ſed in promptu quod eſſet, neque ſufficienter vereque cauſſam explicaret, attulerunt. Idem enim in reliquis ſenſibus contingit. Difficulter etenim moventur, difficulter qualitatibus afficiuntur, niſi eæ nimiæ iis accidant. In cauſſa eſt laxatio ſeu remiſſio temperamenti: quod ob languorem porro non niſi ictu aliquo perculſum ſolet affici. Quod enim ferro duratio ad vim roburque confert, id corpori præbet ſpiritus. Spiritu ergo minuente & langueſcente, ocioſum ac terrenum relinquitur ſenſus inſtrumentum, requiritque aliquid, à quo vehementius percellatur. tale autem eſt merum.

[4] *Plutarch.* 5. *Symp.* 4. *Hoc nec Homerus ignoravit, apud quem* [4] Achilles Phœnicem & Vlyſſem ſciens eſſe ſenes, & diluto non delectari, ſed mero, reliquorum ſenum more, juſſit validiorem potum apparari.

[5] *Hom. Il.* 9. [5] Ζωρότερον δὲ κέραιρε, δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.

*Meracius infunde, & poculum præbe ſingulis.*

Deinde cum eſſet Chironis diſcipulus, & non imperitus victu curandi corporis rationum, ratiocinatus nimirum eſt corporibus in ocio præter conſuetudinem degentibus temperamentum convenire remiſ-

remissius & languidius. Nam equis quoque inter alia pabula apium præbet, non absque ratione: sed quia equi præter morem ociosi læduntur pedes, adversus quod damnum remedio est, ut quod maxime, apium. itaque in Iliade non invenies aliàs equo apium exhibitum, aut aliquid similis saporis. Sed Achilles, utpote medicus, cum equos solerter curavit: & corpori suo desidens in ocio facillimam rationem victus ut saluberrimam procuravit. Viros autem qui in pugna diem exegissent, existimans non eo victu, quo desides esse tractandos, vinum præbere jussit meracius.

Apii facultas.

*Tempus bibendi, cum cibus sumitur.*

Bibendi tempus.

[1] Contra naturam vivunt, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt. *Verum in prandio; vel certè* [2] vespere in cœna vino utendum est: Tunc est frigidior aër ambiens, ut introducto calore fovendus sit tepor innatus, qui deficit. Sed hic quoque vino exiguo utendum: neque enim usque ad contumeliæ crateras accedendum est. [3] Anacharsis primum poculum sanitatis esse dixit, secundum voluptatis, tertium contumeliæ, ultimum insaniæ. *Quod aliquantum extendit Eubulus magno Grotio interprete:*

[1] *Senec. Ep.* 123.
[2] *Clem. Alex.* 2. *Pædag.* 2.
[3] *Stobæus Serm.* 18.

*Tres ego crateras solos his queis cor sapit*
*Miscere soleo. sanitati is est sacer*
*Qui primus bibitur: alterum sibi vindicant*
*Amor & voluptas; tertium poscit sopor:*
*Quem postquã ebiberunt, qui esse sapientes volunt*
*Demum recedunt: quartus contumeliæ*
*Non ultra noster: quintus vociferantium:*
*Sextus nequitiæ: sugillarum septimus:*
*Octavus revocatoris: nonus bilis est:*
*Decimus furoris, tela ut mittantur quoque.*
*Nam Liber multus parvo infusus vasculo*
*Suos potatores facile evertit è gradu.*

[1] Plato 2. de Leg.

*Hinc*[1] multi dixerunt, Vinum ad ultionem hominibus datum esse, ut insaniant. Ut verò sermo habet noster, remedium & medicinam in contrarium, ut animus quidem pudorem, corpus autem sanitatem & vires adipiscatur. *Moderatè scilicet sumptum, alioqui*[2] nihil est ebrietas, quam voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrium habitum; nunquid de furore dubitabis? Nunc quoque non est minor, sed brevior. Adjice ignorationem sui, dubia & explanata parum verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cum effervescit merum & viscera ipsa distendit. [3] Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus effundentes plena vasa.

Ebrietatis noxæ.

[2] Senec. Ep. 83.

[3] Plinius 14. 22.

[4] Lucret. 3.

[4] *Denique cur hominem, cum vini vis penetravit*
*Acris, & in venas discessit deditus ardor,*
*Consequitur gravitas membrorum? præpediuntur*
*Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?*
*Nant oculi? clamor, singultus, jurgia gliscunt,*
*Et jam cætera de genere hoc quæcunq; sequuntur,*
*Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini*
*Conturbare animam consuevit corpore in ipso?*

[5] Plutarch. de ira cohib.

*Quare rectè*[5] Callisthenes, Alexandro convivante, cum meri poculum quod ad eum pervenerat, aspelleret, rogante quodam, cur non biberet, respondit, nolle se dum Alexandri poculum ebiberet, Æsculapio indigere. *Vnicuique igitur dictum puta,* [6] quod Androcydes sapientia clarus ad *eundem* Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam ejus cohibens: Vinum potaturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ. Prorsus ut jure dici possit, neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit.

[6] Plin. 14. 5.

[1] *Scito etenim bene longinquum mortalibus morbũ* [1] *Lucil.*
*In vino esse, ubi quis invitat dapsilius se.*

[2] Neque etiam noctu viro, vel mulieri, quando liberis operam dant, *multum* vini concederem. *Nam* [3] ebrii gignunt ebrios. *Quare* [4] ut solidus, stabilis, & quietus conceptus sit, non oportet corporibus ebrietate diffusis, dare operam liberis. Qui autem vino refertus est, tam animæ, quam corporis rabie concitatus, quovis & trahit & trahitur. Nempe verisimile est, eum fœtus inæquales, instabiles, obliquos tam membris, quam moribus procreare. [2] *Plato 2. de Leg.* [3] *Agell. 12.1.* [4] *Plato 6. de Leg.*

[5] Quamobrem etiam Diogenes adolescentulum videns animo abalienatum, & mentis malè compotem, dixit: Adolescens pater te ebrius genuit. [5] *Plutarch. de educ. lib.*

[6] Quare qui rem habere cum mulieribus prolis gignendæ caussa volunt, aut omnino vini vacuos, aut certè mediocriter eo usos hoc convenit facere. [6] *Ibidem.*

Vini usus fœminis interdictus.

[7] Vini usus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. [7] *Val.Max. 2. 1.*

[8] Romulus hoc utrumq;, ut muliebrium delictorum gravissimum, puniri jussit: quia stuprum demẽtiæ, ebrietatem verò stupri originem esse judicabat. [8] *Dion.Halicarn.2.Rom. Ant.*

[9] Invenimus inter exempla, Egnatii Mecennii uxorem, quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuste à marito, eumque cædis à Romulo absolutum: Matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inedia mori coactam. Cato ideò propinquos fœminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent. [9] *Plin. 14.13.*

[10] Bibere autem solitas ferunt, loream, passum, murrhinam, & quæ id genus aptant, potu dulcia. [10] *Agell. 10. 23.*

[11] *Quod si opus est, ut dulce promat* [11] *Plautus*
*Indidem, ecquid habet?* CHAR. *rogas?* *Pseud.*
*Murrhinam, passum, defrutum, mellinam.*

[1] Polybius 3. Hist.
[2] Hipp. 5. Aph. 27.
[3] Plutarch. 6. Symp. 2.

[1] Quidam adeò vini ſunt avidi, ut ne ſomnũ quidem capere, niſi alienata ebrietate mente, queant. *Depravata conſuetudo: cum etiam*[2] ipſi, qui noctu bibere appetunt, iis admodum ſitientibus, ſi obdormierint, bonum: *nam*[3] abſque potu ſiti liberantur.

---

LIB. III.

# DE MOTV ET QVIETE.

## CAP. I.

*Exercitationis neceßitas, differentiæ, tempus, modus. Exercitia virginum, militum, puerorum, adoleſcentum, ſenum, infirmorum. Laßitudinis remedia.*

[4] Plutarch. de occulte vivendo.
Exercitii neceſſitas.

QUies alta[4] vitaque in otio depoſita, non corpora modo, ſed & animos tabefacit: & ſicut aquæ latẽtes ſub umbra ac non fluentes putreſcunt: ita in vita motuum expertæ facultates hominibus inſitæ conſeneſcunt & pereunt, cum quod utile adfuit, uſurpatum non eſt.

[5] Ovid. 1. de Ponto 6.
[6] Senec. Ep. 122.

[5] *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,*
*Et vitium capiant, ni moveantur, aquæ?*

[6] Aves quæ conviviis comparantur, ut immotæ facile pingueſcant, in obſcuro continentur: ita ſine ulla exercitatione jacentibus, tumor pigrum corpus invadit, & ſuper membra iners ſagina ſucreſcit. Ita iſtorum corpora, qui ſe tenebris dicaverunt, fœda viſuntur. Quippe non ſpecioſior illis, quam morbo pallentibus, color eſt: languidi & evanidi albent, & in vivis caro morticina eſt.

[7] Plato Timæo.
[8] Lucian. de Gymnaſ.

*Quemadmodum autem*[7] quies contabefacit, *ita* exercitium roborat. [8] Nam quod qui triticum ventilant,

tilant, hoc in corporibus exercitia nobis præſtant, quæ paleas inanesque ſpicas flatu diſpellunt, purum verò fructum ſeparant & accumulant. Quo fit ut bene valeant, & diutiſſimè in laboribus perdurent.

Exercitia virginum.

*Hinc* [1] Lycurgus corpora virginum lucta, curſu, diſcorum & telorum jactu exercuit, ut & fœtus radix validum in valentibus corporibus exordium accipiens germinaret melius, atque illæ ſtrenuæ partus excipientes, benè & facile adverſus puerperii decertarent dolores.

[1] *Plutarch. in vita.*

[2] Rei militaris periti, plus quotidiana armorum exercitia ad ſanitatem militum putaverunt prodeſſe, quam medicos. Itaque pedites ſine intermiſſione imbribus vel nivibus ſub Lecto, reliquis diebus in campo exerceri voluerunt. Similiter equites non ſolum in planis, ſed etiam in abruptis & foſſarum hiatu difficillimis ſemitis, ſeque & equos ſuos aſſidue exercere juſſerunt. cum laboris conſuetudo & in caſtris ſanitatem, & in conflictu poſſit præſtare victoriam.

[2] *Veget.* 3.2.

Exercitia militum.

*Varia autem ſunt exercitationis genera, neque omnia omnibus conveniunt, aut eaſdem partes exercent.*

Exercitii genera.

[3] Sunt exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. [4] Inprimis verò prodeſt ambulatio. Equitatio ſtomacho, & coxis utiliſſima. [5] Pilæ ludus cervicem maximè roborat. [6] Geſtatio & corpus concutit & animo non officit. Quodlibet ex his elige, uſu fit facile. Quicquid facies, citò redi à corpore ad animum, illum diebus ac noctibus exerce. labore modico alitur ille. Neque ego te jubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. dandum & aliquod intervallum animo: ita tamen ut reſolvatur, non remittatur.

[3] *Senec. Ep.* 15.
[4] *Plin.* 28.4.
[5] *Athen.* 1.12.
[6] *Senec. cit.*

[7] Una demum eſt ad utrumque ſalus & conſervatio,

[7] *Plato Timæo.*

vatio, ut neque animam ſine corpore, neque corpus abſque anima moveamus, ut in mutua contentione exæquatis invicem viribus inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur. Quapropter quicunque mathematicis doctrinis operam dat, aut cuivis mentis indagationi vehementius ſtudet, debet etiam motum corporis adhibere, & in gymnaſtica exercitatione verſari. Ac rurſus, qui ſumma corpus diligentia format & roborat, animæ quoque viciſſim motus adjungere, muſica & omnibus philoſophiæ ſtudiis uſus.

[x] *Plutarch. in præc. Sanit.*

Exercitia ſtudioſorum.

*Quod autem ad* [x] exercitationes, quæ ſtudioſis literarum conveniant, hoc dicimus. Sicut is qui ſe nihil ſcribere juxta mare habitantibus de curatione dentium ajebat, uſum marinæ aquæ hoc ipſo docuit: ita & nos profiteri poſſimus, non eſſe cur literarum ſtudioſis de exercitationibus aliquid præſcribamus. Uſus enim ſermonis voce pronuntiati quotidianus, mirum dictu, quam utile ſit genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed etiam ad vires: non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeant, & extremas corporis tanquam ædificii partes condenſent: ſed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ facultas potiſſimum eſt, naturale robur, vigoremque verum ingenerat. Vox *enim* cum ſit animæ motus, non in ſuperficie, ſed intimis in viſceribus, tanquam fonte, invaleſcens, calorem auget, ſanguinem tenerum reddit, omnes expurgat venas, omnes aperit arterias, coire & concreſcere humorem nullum ſupervacaneum patitur, aut tanquam fœcem ſubſidere iis in vaſis, quæ alimentum excipiunt ac conficiunt. Itaque continenter orando debemus nobis familiarem hanc facere exercitationem: vel ſi ſuſpicio inſinuet, corpus imbecillius eſſe, aut aliquanto laſſius, legendo vel colloquendo. Quod enim geſtatio eſt, ſi cum exercitatione

tione conferatur, id lectio præstat vice colloquii tanquam vehiculo orationis alienæ vocem molliter movens atque differens. Colloquium concertationem & vehementiam adjicit, animo conatum corporis adjuvante.

[1] Socrates sæpius saltabat, eam exercitationem plurimum ad tuendam bonam valetudinem [2] & robur corporis conducere existimans.

[1] *Laërt. 2.*
[2] *Xenophon. in Symp.*

[3] Domitianus Imp. assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, Clinopalen vocabat, *quasi palæstram lecti.*

[3] *Sueton.*

*Sed non omnia omnibus, & semper conveniunt.*

[4] Quamobrē dum quidam æquis laboribus cunctos astringunt, paribusq; exercitationibus agitant, fit ut vel nimis incitent vel enervent, & inepta ad cursum palæstramq; & alia certamina corpora reddant.

[4] *Plato Politico.*

Exercitia puerorum.

[5] Ne corporum quidem exercitatio *in tenera ætate* prætermittenda, sed mittendi in ludum ejus rei pueri, ut in eo genere, quantum satis est, elaborent, cum propter corporis concinnam conformationem, tum roboris gratia. Nam bonæ senectuti fundamentum in juventute jacitur, firma nimirum corporis ad sanitatem constitutio.

[5] *Plutarch. de educ. libb.*

Exercitia adolescētum.

Exercendi sunt adolescentes ad militaria opera, jaculorum ac sagittarum missionibus, ac venationibus. Eorum enim, qui in prœlio succumbunt, bona, præmia victoribus sunt proposita.

[6] Sibi habeant juvenes arma, sibi equos, sibi clavam & pilam, sibi natationes atq; cursus: senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras. Sunt *enim* senibus labores corporis minuendi: *non tamen prorsus tollendi.* Nam potest *conveniens* exercitatio & temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

[6] *Cicero Catone.*

Exercitia senum.

*Vocem nimium intendere senibus noxium, & sæpè perni-*

[1] *Plutarch. in Flaminio.*

*perniciosum.* [1] Attalus, quum præter ætatem majore contentione oratorem Quintio præstare vellet, & vertigine quadam vel pituita, esset in media oratione correptus, collapsus est, nec multis diebus post expiravit.

Exercitia infirmorum.
[2] *Idem de educ. libb.*

*Valetudinarios etiam modicè exerceri permittimus.* [2] Quis *enim* fuit ita invalida natura, ut non exercitationibus & certaminum studio maxima fecerit ad robur incrementa.

*Sed ne quid nimis. Nam tales* pervigilando & hinc inde cursitando malè affectas corporis partes vitiumque alentes in apertum conjiciunt morbum.

Exercitii tempus.
[3] *Cels. 1.2.*
[4] *Quintil. decl. 298.*
[5] *Odyss. ult.*

*Quod ad tempus;*

[3] Exercitatio semper antecedere cibum debet. [4] Juvat enim cibus post opus. *Quod nec Homerum latuit:*

[5] Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα.

*Hi postquam finem imposuerunt labori, paraverunt convivium.*

[6] *Cicer. 5. Tusc.*

[6] Socratem ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem.

[7] *Plutarch. in præc. sanit.*
[8] *Xenophon. lib. 1.*

[7] Post *prandium, aut* cœnam etiam movenda corpora, non cursu, aut pancratio, sed lentis ambulationibus. *Audi Cyrum:* [8] Primum operam do, ne unquam me repleam, quum id gravare soleat. Deinde, quæ ingesta sunt, laborando digero: quare fieri equidem existimo, ut & valetudine bona diutius utar, & robur etiam aliquod mihi accedat.

Exercitii modus.
[9] *Clem. Alex. 3. Pædag. 10.*
[10] *Arist. 1. Ethic. 2.*
[11] *Cels. 1.2. Senec. Ep. 83.*

*Sed* [9] quemadmodum est optimum, laborem præcedere cibos: ita supra modum laborare est pessimum, & laboriosum, & morborum caussa.

[10] Nam & immoderatæ, quam par sit, exercitationes, vires minuunt, & corrumpunt.

[11] Exercitationis autem plerumque finis esse debet

bet ſudor, aut certè laſſitudo, quæ citra fatigationem ſit.

*Sanitatis igitur curam habentibus* [1] palæſtricè in foro ſpatiari liceat, non ab Olympiis coronam petant. Qui cum careant omni vitio, non ſunt contenti quaſi bona valetudine, ſed vires, lacertos, ſanguinem quærunt, quandam etiam ſuavitatem coloris: eos imitemur ſi poſſumus: ſin minus, illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt; quam eos, quorum vitioſa abundantia eſt.

[1] *Cicer. de opt. Orat.*

*Itaque* [2] eas corporis exercitationes amplectere, non quæ ad robur, ſed quæ valetudini proſint. Quod ita conſequére, ſi laborare deſinas, dum adhuc laborare queas.

[2] *Iſocrat. ad Demon.*

[3] Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus, inutile credimus. *Quare* [4] cavere debemus laſſitudinem corporis: conſumit enim quicquid in nobis mite placidumque eſt, & acria concitat: & adhuc magis, ne corpus *ſudore madens gelidæ exponamus auræ, aut frigidam bibamus.*

[3] *Senec. Ep.* 108.
[4] *Idem* 3. *de Ira.* 9.

[5] Tiberius languore paullum levatus, ludis interfuit, &c. ſtatimque latere convulſo, & ut exæſtuarat, afflatus aura, in graviorem cecidit morbum.

[5] *Sueton.*

[6] Pompeii exercitus æſtu ſitique vehementer afflictus ad Cambyſen fluvium porrexit: cujus aqua frigidiſſima affatim pota, multi admodum lædebantur.

[6] *Dion Hiſt.* 37.

[7] Ab exercitatione lavari, frigida quidem aqua, plus habet oſtentationis, quam ad ſanitatem utilitatis. Videtur ſanè hoc præſtare, ut minus facilè ab externis rebus corpus lædatur, duritiemque corpori aliquam conciliare. Majus tamen internis partibus damnum affert, meatibus obſiſtens, humoreſque cogens, & vapores condenſans, qui ſemper laxari & digeri ſuapte natura cupiunt.

[7] *Plutarch. in præc. ſanit.*

[8] Alexandrum Magnum pulvere ac ſudore ſimul per-

[8] *Curtius Hiſt.* 3.

perfuſum invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veſte depoſitâ, &c. deſcendit in flumen, vixque ingreſſi, ſubito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.

*Noxius etiam iis frigidæ potus.*

*Calida fomenta & lavacra laudat in feſſo & naufrago Vlyſſe Homerus his verbis:*

[1] Odyſſ. 10.

[1] Αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,
Ἔς ῥ' ἀσάμινθον ἕσασα, λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο,
Θυμῆρες κεράσασα κατὰ κρατός τε καὶ ὤμων,
Ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμοφθόρον εἵλετο γυίων.
*At poſtquam calefacta eſt aqua in ſplendido lebete,*
*In balneum cũ me locaſſet, lavit in tripode magno,*
*Placide effundens in capiteque & humeris, (bris.*
*Vt mihi laſſitudinem pernicioſam eximeret à mẽ-*

[2] *Plutarch. cit.*

[2] Uſus balnei calidi multo plus veniæ meretur. Non enim tantum roboris vigorisque aufert, quantum ad ſanitatem conducit, eò quod exordia concoctioni præbet, eaque lenia: ac iis, quæ concoctionem effugiunt, niſi planè ſint cruda & in ſummo ſuſpenſa maneant, diffuſiones dolorem nullum afferentes comparat, occultasque membrorum defatigationes demitigat. Verumtamen ubi natura præbet mediocriter ſatiſque commodè affecti corporis ſenſionem, omiſſo balneo ad ignem inungi præſtat, ſi tepore corpus indigeat. Sic enim conſervatur magis inſitus ac diſpenſatur calor. Sole neque magis, neque minus utendum eſt, quam temperies aëris ab eo profecta permittat.

## CAP. II.

### *Quietis neceſſitas.*

[3] *Plutarch. de educ. libb.*

LAborem excipiat [3] Quies, laborum condimentum. Namque

[1] *Quod caret alterna requie, durabile non est,*
*Hæc reparat vires, fessaque membra levat.*
[2] *Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,*
*Immodicus contra carpit utrumque labor.*

[1] *Ovid. Epist. 4.*
[2] *Idem 1. de Ponto 5.*
[3] *Senec. de Tranquill. 15.*

[3] Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem, inter & otium & curas dividebant, qualem Pollionem Asinium, oratorem magnum, meminimus: quem nulla res ultra decimam detinuit. ne epistolas quidem post eas horas legebat, nè quid novæ curæ nasceretur: sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interjunxerunt, & in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt. Majores quoque nostri novam relationem, post horam decimam, in Senatu fieri vetabant. Miles vigilias dividit, & nox est immunis ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo; dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit: & in ambulationibus apertis vagandum, ut cœlo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando vectatio, iterque, & mutata regio, vigorem dabunt: convictusque & liberalior potio: nonnunquam & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet: & ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur.

Ebrietatis commoda.

LIB. IV.

# DE SOMNO ET VIGILIA.

## CAP. singulare.

*Somni necessitas, tempus, modus. quomodo fiat.*

Somnus quid.
[1] *Plin.* 10. *ult.*

HIs ut viribus, ita ordine connexi & affines sunt Somnus & Vigilia. [1] Estq; Somnus nihil aliud, quam animi in medium sese recessus.

[2] *Ovid.* 11. *Met.*

[2] *Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
*Fessa ministeriis mulcet, reparatque labori.*

Insomnes qui vixerint.
[3] *Plin.* 7. 51.
[4] *Philostr. de vit. Soph.*

*Quamvis autē legamus nonnullos diu insomnes vixisse. ut* [3] C. Mecœnati triennio nullo horæ momento contigit somnus. *Et* [4] Scopelianus Sophista maximè insomnis hominum factus, Nox, ajebat, tu duntaxat plurimum divinæ particeps es sapientiæ. Eam enim suarū lucubrationum cooperatricem effecerat. Nam à vespere ad diluculum studiis intētus erat.

Somni necessitas.
[5] *Homer. Od.* 19.
[6] *Cicero* 6. *de finib.*

[5] Ἀλλ᾽ οὐ γάρ πως ἐστὶν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν Ἀνθρώπους.
*Impossibile tamen est homines semper insomnes esse.*

[6] Somnum *siquidem* nobis nisi requietem corporibus, & medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque si aut requietem natura non quæreret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur, qui etiam nunc agendi aliquid discendique caussa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

Somni modus.
[7] *Senec. de Tranquill.* 15.
[8] *Clem. Alex.* 2. *Pæd.* 9.

[7] Somnus *quidem* refectioni necessarius est: [8] non oportet tamen eum plenam esse corporis solutionem, sed tantum remissionem. Et assumendus est, non ad otium & socordiam, sed ad negotiorum & actionum quietem.

[9] *Ovid.* 2. *Amor.* 9.

*Et certè* [9] quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

*Imò*

*Imò* [1] hunc si per diem, noctemque continues, *ipsa* mors erit. Multum inest remittas aliquid an solvas. [1] *Senec. cit.*

[2] Aristoteles somnum corpori cum anima facit communem. esse enim evaporationem humidi è pectore in caput, & refrigerationem caloris in corde ab elemento subjecto: mortẽ esse absolutam refrigerationem: *ita ut non nisi gradu & tẽpore distent.* [2] *Plutarch. 5. de plac. Philos. 25.*

*Sit igitur moderatus.* [3] Somnus enim multus, nec corporibus, nec animis, neque rebus gerendis natura conducit. Nemo quidem dum dormit, alicujus est pretii, non magis quam si non viveret. Quare quicunque vivere & sapere cupit maximè, quam longissimo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate servata. Ad hanc verò non multo opus est somno, si bene assueveris. [3] *Plato 7. de Leg.*

*Sufficiunt septẽ horæ. Et* [4] Augustus non amplius, quum plurimum, quam septem horas dormiebat. [4] *Sueton.*

Somnus quomodo fiat.

[5] *Somnus fit, ubi est distracta per artus*
*Vis animæ, partimque foras ejecta recessit;*
*Et partim contrusa magis concessit in altum.*
*Dissolvuntur enim tum demum mẽbra fluuntq;.* [5] *Lucr. 4.*

*Hinc apud Ciceronem,* [6] fessum de via, & qui ad multam noctem vigilasset, arctior, quam solebat, somnus complexus est. [6] *Somn. Scip.*

[7] Medicorum nonnulli somnum oboriri ajunt, quando alimenti vapor veluti serpens leniter circum intestina, & ea contrectans titillationem inducit, *plerique quando in caput sublatus cerebrum irrigat.* [7] *Plutarch. de Isid. & Osir.*

*Hinc facile* [8] cibum sequitur somnus; quia quæ facit aër, [8] *Lucr. 4.*

*Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omnis,*
*Efficit, & multo sopor ille gravissimus extat,*
*Quem satur, aut lassus capias: quia plurima tũ se*
*Corpora conturbant magno concussa labore.*

Somni tempus.

[1] Plutarch.

*Saturi tamen non dormiamus*, [1] ne cibi nos gravent, sed allevent, ut quam maximè fieri poterit, somno minimè lædamur, ut gravantur natantes, quibus appenduntur onera.

[2] Plin. 11.53.

[2] Somno concoquere corpulentiæ, quam firmitati, utilius. Ideò athletas malunt cibos ambulatione perficere. Pervigilio quidem præcipue vincuntur cibi.

[3] Plaut. Most.

*Quare* [3] non bonus somnus est de prandio: *& oportet ideò*

[4] Theocr. Id. 10.

[4] φεύγειν τὸ μεσαμβρινὸν ὕπνον,

*fugere meridianum somnum.*

*Nisi forte senes: in quibus Gal. laudat Homericum hoc de Nestore.*

[5] Odyss. ult.

[5] ἐπεὶ λοῦσαιτο φάγοιτε

Εὕδοι μὲν μαλακῶς. ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

*Vt lavit, sumpsitque cibum, dat membra sopori:*

*Namque hæc justa seni.* —

*Ex aliis*

[6] Persius Sat. 5.

[6] *Qui satur irriguo mavult turgescere somno, caput vaporibus implet, & coctionem turbat. Nec obstat, quod* [7] Augustus post cibum meridianum, ita ut vestitus calceatusque erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu.

[7] Sueton.

[8] Plutarch. in Sanit. præc.

[8] Nos autem Medicis pareamus, qui monent semper inter cœnam & somnum faciendam aliquam intercapedinem: ne congestis in corpus cibis & oppresso spiritu, confestim crudo ac fervido alimento aggravemus vim concoctricem, sed respirationem & relaxationem concedamus.

[9] Plutarch. de occultè vivendo.

*Nocte quoque, non die dormiendum.* [9] Non vides ut nocte appetente, & corpora gravis quidam languor invadit, & animas torpor inefficax, & cōtracta in se ipsam ratio, tanquam obscurus ignis, ob ignaviam & languorem leviter divulsis agitatur visis hoc unum indicans vivere adhuc hominem?

*Verum*

*Verum ubi ſol oriens velocia ſomnia abegit,*
& tanquam in unum commiſcens convertit, & excitavit una cum luce omnium cogitationes; tunc (ut ait Democritus) nova inita die homines mutuis conatibus tanquam condimento quodam refecti, alius aliunde ad res agendas ſeſe conferunt.

[1] Turpis, qui alto ſole ſemiſomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit. [1] *Senec. Ep. 122.*

*Sanius* [2] ut vivas igitur vigila: *& à pueris. Nam* [3] pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri: advertimusque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adoleſcere. [2] *Horat. 2. Sat. 3.* [3] *Agell. 4. 19.*

*Modus tamen ſervandus. Nam aliàs*
[4] *Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.* [4] *Ovid. 1. de Arte.*

---

LIB. V.

## DE IIS, QVÆ EXCERNVNTVR. ET RETINENTVR.

### CAP. I.

### *Flatuum retentio noxia.*

Cum [5] ipſa per ſe excrementa multorum ſint cauſſa morborum, tum aliis cauſſis materiam viresque ſuppeditent: *tempeſtivè evacuari debent:* [5] *Plutarch. in præc. San.*

*Vnde &* [6] Stoici crepitus ajunt æque liberos ac ructus eſſe oportere. Crepitus. [6] *Cicer. 9. Ep. F. 22.*

*Atque licet* [7] veteres per menſas, munditiarum cauſſa deflare vetabant: *tamen* [8] Claudius Cæſar dicitur meditatus edictum, quo veniam daret efflatum crepitumque ventris in convivio emittendi: cum periclitantem quendam præ pudore ex continentia reperiſſet. [7] *Plin. 28. 2.* [8] *Sueton.*

*Feſtivè Nearchus;*

[1] Antholog. Epigr.

[1] Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα.
Πορδὴ καὶ σώζει, τραυλὸν ἱεῖσα μέλος.
Οὐκοῦν εἰ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδή,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

[2] Roverius vertit.

*[2] Interimit multos crepitus in ventre retentus,*
*Et ſervat, balbum quando dat ille ſonum.*
*Ergo ſi crepitus pariter ſervatque necatque,*
*Regibus hunc magnis quis neget eſſe parem?*

## CAP. II.

### *Coitus moderatio.*

[3] Ariſt. 1. de gen. anim. 18.

SEmen [3] excrementum eſt alimenti utilis atque ultimi. Multum etiam atque inutile excrementum permiſcetur, ut vel morbi nonnullis contrahantur, cum non bene expurgatur, & alii evadant, alii obeant mortem. *Ita Michael Verinus,*

Veneris mod. commoda.

*Ni ſe pollueret, maluit ille mori.*

[4] Plin. 28. 6.

[4] Athletæ torpentes reſtituuntur venere, vox revocatur, cum è candida declinat in fuſcam. Medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis ac melancholicis.

*Sed hic voto Euripidis locus:*
*Adſis mihi, ſed mediocris, neque me deſtituas.*

[5] Plin. 10. 63.

[5] Cæteris animalibus ſtati per tempora anni concubitus, homini omnibus horis dierum noctiumque. Meſſalina Claudii Cæſaris conjunx, hoc regalem exiſtimans palmam, elegit in id certamen nobiliſſimam è proſtitutis ancillam mercenariam; *quæ tamen*

[6] Iuven. Sat. 6.

*[6] — adhuc ardens rigidæ tentigine vulva,*
*Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.*

[7] Vopiſcus in vita.

*Ex meliori ſexu, hæc legitur Proculi epiſtola:* [7] Proculus Metiano affini. S. D. Centum ex Sarmatia virgines cœpi. Ex his una nocte decem inivi: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies quindecim reddidi.

*Huic pœne par, si qua est ea gloria, nequitiæ magister, qui ita de se gloriatur:*

[1] *At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,*
*Ter Libas officio continuata meo est.*
*Exigere à nobis angusta nocte Corinnam,*
*Et numeros memini sustinuisse novem.*

[1] *Ovid. 3. Amor. 7.*

Veneris immod. incommoda.

*Sed* [2] qui *ita* salaces sunt, & semine redundant, ocissimè senescunt. nam semen, excrementum est: & insuper cum prodit, assiccat. Ob idque mulus equo & asino, ex quibus procreatus est, plus temporis vivit, & fœminæ maribus, si mares salaces sint. Quocirca & in passerum genere, mares breviorem, quam fœminæ vitam obtinent.

[2] *Arist. de long. & brev. vitæ.*

*Hinc* [3] Pythagoras rogatus, quando esset concumbendum, Tunc, inquit, quum teipso infirmior fieri vis.

[3] *Laërt. 8.*

[4] Venerem *quoque* damnavit Democritus, ut in qua homo alius exiliret ex homine. Est hercle raritas ejus utilior.

[4] *Plin. 28. 6.*

[5] Zenobiæ ea castitas fuisse dicitur, ut ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam cum semel cõcubuisset, expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat.

[5] *Trebell. Pollio.*

*De Xenocrate scribunt:* [6] Phrynen nobile scortum, illum aliquando tentasse, quum videlicet à quibusdam dedita opera insectaretur, ab eo intra ædiculam admissam humanitatis caussa. Quumque solus illic & unicus lectulus esset, oranti lectuli ipsius partem concessisse: demum, quum multa nequicquam orasset, infecto opere profectam esse, ac dixisse percontantibus, se non à viro, sed à statua exire. Quidam verò discipulos Laidem illi injecisse in lectulum tradunt, illumq; adeò fuisse continentem, ut quum se ad libidinem incitari præsensisset, & secare & urere verenda sæpe pateretur.

[6] *Laërt. 4.*

*[1] Polybius Hist. 3.*

[1] Nonnulli dum rebus Venereis indulgent, atque amore ſtupent, non urbes ſolum, ac domos ſuas evertunt, ſed etiam vitæ jacturam cum dedecore fecerunt.

Coëundi ætas.

*Conſideranda hic ætas, tempus, modus.*

*[2] Cicer. 1. off.* *[3] Id. Catone.*

*Quod ad ætatem*; [2] Adoleſcentium ætas maximè à libidinibus arcenda eſt. [3] Libidinoſa enim intemperansque adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti.

*[4] Plin. 7. 14.*

*Et quamvis* [4] Maſiniſſam regem, poſt LXXXV. annum generaſſe filium, clarum eſt: Catonem Cenſorium octogeſimo exacto, è filia Salonii clientis ſui: *tamen plerumque* [5] Venus ſenes averſatur.

*[5] Euripid. apud. Plut. An ſeni &c.* *[6] Ovid. 1. Am. 9.*

[6] *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.*

Coëundi tempus.

*Quod ad tempus anni*;

*[7] Laërt. 8.*

[7] Sic ait Pythagoras, Venerea hyeme, non æſtate facienda, in autumno, ac vere levius. Omni autem tempore eſſe gravia, & ad ſanitatẽ minimè idonea.

*Quod ad tempus diei*;

*[8] Plutarch. 3. Symp. 6.*

[8] Quando quies corpori accidit, ac nutrimenti per corpus penetrantis digeſtio finem habet, tum re Venerea utendum.

*[9] Cruccius apud Sept. in Ariſt. Probl.*

[9] *Quærenti Erſiliæ quænam hora ſalubrior eſſet*
*Ad Venerem, medicus ſic ait Hermogenes:*
*Mane ſalubre magis Veneris decerpere fructus,*
*Iudice me fuerit; veſpere dulce magis.*
*Hic illa arridens, formoſo, ait, ore, Voluptas*
*Mî curæ fuerit veſpere, manè ſalus.*

*[10] Plin. 10. 63.* *[11] Oper. & d.*

[10] Viros Veneris avidiores hyeme, fœminas æſtate Heſiodus prodidit:

[11] — θέρεος καματώδεος ὥρη
Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τοι ἄνδρες
Εἰσὶν, ἐπεὶ κεφαλὴν, καὶ γούνατα σείριος ἄζει.
*— agros cum inſana Canicula torret,*
*Fœmineo Cypris tunc eſt magis effera ſexu,*
*Mitior illa viris, & ſæpe accita relanguet.*

Ratio

*Ratio est*, [1] quoniam naturæ calidæ præ nimio calore æstivi temporis æstuant collabunturque: frigidæ verò refoventur & vigent. Est autem vir calidus & siccus, mulier frigida humidaque: ergo virorum tunc vires infirmantur, mulierum verò corroborantur & vigent per compensationem qualitatis contrariæ. [1] *Arist. 4. Probl. 26.*

[2] *Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,*
*Id quoque permagni refert.* [2] *Lucret. 4.*

*Modum exprimit poëta ad eam rem unicus:*

[3] *Mille modi Veneris. simplex minimique laboris*
*Cum jacet in dextrum semisupina latus.* [3] *Ovid. 3. de arte.*

*Nec abludit Satyricus:*

[4] *Hæc ubi supposuit dextro corpus mihi lævum,*
*Ilia & Egeria est, do nomen quodlibet illi.* [4] *Horat. 1. Sat. 2.*

*Vbi ut cum Ovidio congruat, Lambinus legendum putat, dextrum corpus mihi lævo.*

*Ipsi Veneri Martis prœlium ita gratulatur naturalis poëta:*

[5] *Hunc tu Diva tuo recubantem corpore sancto*
*Circumfusa super.* [5] *Lucr. 1.*

---

## LIB. VI.

# DE ANIMI AFFECTIBVS.

## CAP. I.

### *Affectuum necessitas, natura, modus.*

IUre [6] prudentissimus Deus animis nostris indidit Affectus, ut sint quasi adminicula ad præclaras actiones. Quod enim ventus navigio, id nobis Affectus: in quorum temperie animi nostri tranquillitas, *& corporis sanitas* consistit. [6] *Vossius 2. Orat. 1.* Affectuum necessitas.

[7] Verum satius sit modicos habere affectus, an nullos, [7] *Cicer. Tusc.*

nullos, sæpe quæsitum est. Nostri illos expellunt. Peripatetici temperant.

[1] Senec. Ep. 116.

[1] Ego, *inquit Stoicus*, non video, quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi.

[2] Cicer. 5. Tusc.

[3] Cicer. 3. Tusc.

[2] Ut maris tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: sic animi quietus & placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est. [3] Hic ille vultus semper idem, quem dicitur Xantippe prædicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem vultu semper se vidisse exeuntem illum domo & revertentem.

*Sed impossibile omnes penitus affectus exuere.* Non enim silice nati sumus; sed est naturale in animis tenerum quiddam atque molle, quod ęgritudine quasi tempestate quatiatur, *& à ratione nonnunquam gubernari se neget.* [4] Quod minimè fit in homine prudenti, qui non affectu vacat, sed affectui imperat.

[4] Voss. cit.

Affectuum modus.

[5] Cicer. 4. Tusc.

*Ideoque non placet* [5] Zenonis hæc definitio, ut Affectus sit, aversa à recta ratione, contra naturam animi commotio: cum in affectibus modus servari possit, imo debeat.

[6] Plutarch. de virt. morali.

[6] Enimverò sicut Musica in sonis concentum non acutorum ac gravium vocum exstirpatione, in corporibus Medicina sanitatem non internecione caloris aut frigoris, sed proportione contemperationis quærunt atque conficiunt: ita in animo etiam victoria paratur, cum ea perturbationibus modum mediocritatemque imposuit. Animus enim nimio dolore, aut gaudio correptus, similis est corpori affluxu humoris alicujus supervacanei tumenti atque inflammato, non ipsum gaudium aut dolor. Et præclarè Homerus his verbis:

Τοῦ δ' ἀγαθοῦ οὔτ' ἂρ τρέπεται χρὼς, οὐδέ τι λίην
Ταρβεῖ·

*Semper adest forti color idem: nec gravis illum*
*Pertentat metus:*

non

non metum ademit, sed nimium metum: ut fortitudo non in væcordiam, aut fiducia in temeritatem abeat. Sic etiam circa voluptatem nimiæ cupiditates, & in vindicandis flagitiis nimium in malos odium tollantur, & habebis temperantem, qui tamen non omnis sensus voluptatum sit expers, justumque citra sævitiam & acerbitatem. Adde, quod si omninò evelli ex animis affectus possint multorum: eorum ratio hebetior fieret atque ociosior. Sicut gubernator vento cessante non admodum habet, quod agat. Atque hæc ut apparet observantes legum conditores, in civitate Ambitionem Æmulationemque excitant.

[1] Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset: quærentibusque respondebat, Miltiadis trophæis se è somno suscitari. Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ? qui dolere se ajebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Philosophię denique ipsius principes nunquam in suis studiis tantos progressus, sine flagranti cupiditate, facere potuissent. Gloriæ cupiditas. [1] Cicer. 4. Tusc.

*Et profecto* [2] contemptu famæ, contemnuntur virtutes. [2] Tacit.

[3] Sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum. Idque in maximis ingeniis altissimisque animis & existit maximè & apparet facillimè. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis viveret? loquor de principibus. Quid poëtæ? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud? [3] Cicer. 1. Tusc.

[4] *Aspicite ô cives senis Ennî imaginiʼ formam,*
*Hic vestrum panxit maxima facta patrum.* [4] Ita leg. Scalig. in Catal.

Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria.

*Idemque,*

Nemo

*Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu,*
*Faxit, cum volito viva per ora virûm.*

Sed quid poëtas? opifices & post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias? sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? nonne in iis ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?

*Et meritò. Quidni enim, quandoquidem*

[1] Horat. 1. Od. 4.
[2] Plin. 3. Epist.

[1] *Vitæ summa brevis spē nos vetat inchoare longā,* [2] tanto magis hoc quicquid est temporis futilis & caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu) certè studiis proferamus? & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur?

Iracundiæ commoda.
[3] Cicer. 4. Tusc.

*Honesta igitur sive ambitio, sive æmulatio non tollenda. Quin &* [3] Peripatetici multis verbis Iracundiam laudant: cotem fortitudinis esse dicunt, multoque & in hostem & in improbum civem vehementiores iratorum impetus esse: leves autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent: Prælium rectum est hoc fieri: convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. hæc nullam habent vim, nisi irâ excanduit fortitudo. Nec verò de bellatoribus solum disputant. imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ. quæ etiamsi non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci nesciat. eamque, quam lenitatem dicimus, lentitudinis nomine appellant.

[4] Plutarch. de virt. mor.

[4] Ipsos adeò illos, contra quos nobis est sermo, videmus in eo esse, ut sępenumero & laudando adolescentes excitent atque propellant, & castigando coër-

coërceant: quorum alterum delectatio, alterum dolor ſubſequitur. correctio enim & reprehenſio pœnitentiam pudoremque incutit: quorum prius dolorem, poſterius metum genus habet: iisque maximè ad caſtigandum utuntur. Unde etiam Diogenes Platonem laudantibus quibuſdam dixit: Et quidnam ille habet tantopere prædicandum, qui tanto philoſophatus tempore, neminem dolore affecit? Non enim tam rectè cum Xenocrate dixeris, mathematicas diſciplinas eſſe anſas philoſophiæ: quam hoc, affectus iſtos verecundiam, cupiditatem, pœnitentiam, voluptatem, dolorem, anſas eſſe adoleſcentium: quas ſalutari atque concinna opportunitate ratio & lex apprehendentes, eos cum profectu in rectam perducant viam. ut non malè profeſſus fuerit Laco ille pædagogus, effecturum ſe, ut puer gaudeat honeſtis, ac moleſtè ferat turpia. Animi & Corporis ſocietas.

[1] Quamvis *autem* animi hominum incorporei ſint, tamen multa habent cum corporum natura convenientia: contrahuntur metu, turgent ira, dolore minuuntur, audacia inflantur, ut non multum à corporum natura differant, atque eandem fere ſanationem inquirant. [1] *Dion. Hiſt.* 55.

[2] *Præterea mentem ſanari, corpus ut ægrum,*
*Et pariter flecti medicina poſſe videmus.* [2] *Lucr.* 3.
*Inſignis certe animi & corporis* συμπάθεια:
[3] *Æger enim traxit contagia corpore mentis.* [3] *Ovid.* 5. *Triſt.* 13.
[4] *Quinetiam morbis in corporis avius errat* [4] *Lucr.* 3.
*Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:*
*Interdumque gravi lethargo fertur in altum,*
*Æternumque ſoporem oculis, vultuque cadenti;*
*Vnde neque exaudit voces; nec noſcere voltus*
*Illorum potis eſt, ad vitam qui revocantes*
*Circumſtant lacrymis rorantes ora, genasque.*
*Quare rectè dicebant* [5] Hegeſiaci, corpus morbis multis paſſionibusque affligi, animam verò ſi- [5] *Laërt.* 2.

mul

[1] *Plin. 22.24.* mul cum corpore pati & una turbari.[1] Ideoque observanda sunt, quæ non solum corporum medicinam, sed & morum habent.

[2] *Plato Timæo.* [2] Porro ad bonam & malam valetudinem, ad virtutes & vitia nulla moderatio vel immoderatio majoris momenti, quam animæ ad ipsum corpus esse videtur. Quando enim anima corpore admodum potentior est, exultat in eo atq; effertur, totũ ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet. Quando etiam ad discendum investigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus & labefactat. Denique cum ad docendum disserendumque privatim & publicè ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque resolvit. Nonnunquam etiam distillationes fluxusque commovens medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias caussas judicare. Rursus quando corpus grande & pigriori mole superexcedens pusillæ exiliq; cogitationi animi copulatur, cum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, una quidem per corpus alimentorum, altera verò per id quod divinissimum nobis inest, prudentiæ: tunc sanè potentioris illius prævalentes agitationes quod suum est adaugent, quod verò animi, hebes, indocile obliviosum reddunt atque ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiam generant.

[3] *apud Erasm. 3. 6. Adag. 18.* [3] Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
*Subtile pectus venter obesus non parit.*

*Animus autem nulla re magis afficit corpus, quam Affectibus. qui si rationi non obtemperent, merit[o] πάθη & Perturbationes dicuntur.* Nam [4] Pertur-

[4] *Cicer. 3. de finib.* batio nomine ipso declarari vitiosa videtur: *nec non*

[5] *Idem 4. Tusc.* *Morbi animi, & Ægritudines: quia* [5] quod ægrotatio in corpore, id in animo ægritudo.

*Ejusmodi affectibus Stoicorum definitio convenit*

*qu[i]*

qua πάθος esse dicitur ὁρμὴ πλεονάζουσα, impetus immodicus ac redundans; & veluti

*[1] Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas;* [1] *Virg. 1. Georg.*
Sic [2] *trahit invitam nova vis, aliudque Cupido,* [2] *Ovid. 7. Met.*
*Mens aliud suadet.* —
*Hinc Phædra nutrici bene consulenti respondet:*
[3] — *Quæ memoras scio* [3] *Seneca Hippol.*
*Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi*
*Pejora: vadit animus in præceps sciens,*
*Remeatque, frustra sana consilia appetens.*
*Sic cum gravatam navita adversa ratem*
*Propellit unda, cedit in vanum labor,*
*Et victa prono puppis aufertur vado:*
*Quod ratio poscit, vincit, ac regnat furor.*

[4] Has Perturbationes, Animi morbos Philosophi appellant, negantque stultum quenquam his morbis vacare. [4] *Cicer. Tusc. 3.*

*Ideoque* [5] in omni vita rectissimè præcipitur, ut Perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios rationi non obtemperantes. [5] *Idem Off. 1.*

## CAP. II.

### *Affectuum genera, eorum natura, & vires.*

CUm [6] omnis Perturbatio sit animi motus vel rationis expers, vel rationem aspernans, vel rationi non obediens: isque motus aut boni aut mali opinione citetur: bifariam quatuor Perturbationes æqualiter distributæ sunt. nam duæ sunt ex opinione boni: quarum altera voluptas gestiens, id est, præter modum elata lætitia opinione præsentis magni alicujus boni: altera vel cupiditas rectè, vel libido dici potest, quæ est immoderata appetitio opinati magni boni rationi non obtemperans. Ergo hæc duo genera, voluptas gestiens & libido, bonorum opinione turbantur: ut duo reliqua, metus & ægritu- [6] *Cicer. 3. Tusc.*

ægritudo, malorum. nam & metus opinio magni mali impendentis, & ægritudo est opinio magni mali præsentis: & quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi: id autem est, ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere.

*Has respexit & Virgilius:*

[1] 6. Æneid.

*[1] Igneus est ollis vigor & cœlestis origo*
*Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,*
*Terrentq; & hebetant artus, moribundaq; mēbra.*
*Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentq;.—*

*Quatuor has agnovit quoque Varro: alii septem, alii undecim, alii plures: nos eos tantummodo Affectus seu Perturbationes considerabimus, qui corpus maximè afficiunt, ejusque valetudinem perturbant.*

Dolor.
[2] Plutarch. Consol. ad Apollon.

[2] Cum animum multi Affectus moveant, Doloris ea est natura, ut omnium hoc gravissimè faciat. quem & insaniæ nonnullis caussam ajunt fuisse, & aliorum insanabilium morborum; ac fuerunt, qui præ dolore sibi ipsis mortem consciscerent.

[3] Cicer. 4. Tusc.

[3] Ægrè tulisse Rutilium fratris repulsam Consulatus, scriptum apud Fannium est: sed tamen transisse videtur modum, quippe qui ob eam caussam à vita recesserit.

*Et ille apud Comicum:*

[4] Plaut. Capt.
[5] Sophocl. Tyro.
[6] Iustin. Hist. 32.

*[4] Mœrore maceror, marcesco, & consenesco miser.*

*Et,* [5] Sæpè æger animus corpori morbos dedit.

[6] Philippus Macedoniæ rex morbo ex ægritudine animi contracto decessit.

Lacrymæ.
[7] Senec. Ep. 99.

*Indicia doloris lacrymæ plerumque esse solent.*

[7] Cum primum nos nuncius acerbi funeris perculit, lacrymas naturalis necessitas exprimit: & spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit & expellit. Hæ lacrymæ per illisionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ sunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amisimus

mus

mus, retractatur: & ineſt quiddam dulce triſtitiæ; cum occurrunt ſermones eorum jucundi, converſatio hilaris, officioſa pietas, tunc oculi in gaudio relaxantur. *Immenſus verò dolor lacrymas ſupprimit.*

[1] *Troades exclamant: obmutuit illa dolore:*
*Et pariter vocem, lacrymasque introrſus obortas*
*Devorat ipſe dolor.*——

[1] Ovid. 13. Met.

[2] Pſammenitus Ægyptiorum rex à Cambyſe regno pulſus eſt. Ejus filiam ancillari veſte indutam cum aliquot nobilium virginibus Cambyſes mitti juſſerat ad hauriendam aquam, ut hoc ſpectaculo parentum captivorum animos diſcruciaret. Cæteris indignè ferentibus, ſolus Pſammenitus demiſit oculos. Mox juſſit duci filium illius cum aliis plurimis ejuſdem ætatis, vinctis cervicibus & ore frænato. Ne hoc quidem ſpectaculo ſolus Pſammenitus ad lachrymas commotus eſt. Idem, quum vidiſſet familiarem quendam exutum opibus mendicantem obambulare, hoc ſpectaculo adeò commotus eſt, ut ingenti fletu hominem amicum compellans, caput ſuum barbarico more cæderet. Ea re cognita, cum Cambyſes per nuntium cauſſam ſciſcitaretur, cur in liberorum calamitate tacitus, unius ſeniculi calamitatem tam impotẽter ferret, reſpondit, Fili Cyri, domeſtica mala graviora ſunt, quam ut lacrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad ſummam inopiam redactus eſt, idque in extremo ſenectutis limine.

[2] Eraſmus 6. Adag. ex Herod.

[3] *Fine carent lacrymæ: niſi cum ſtupor obſtitit illis,*
*Et ſimilis morti pectora torpor habet.*

[3] Ovid. 1. de Ponto 2.

*Sed præſtat eas effundere.* Nam

[4] *Expletur lacrymis egeriturque dolor.*

[4] Idem 2. Triſt. 3.

*Alias*

[5] *Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus;*
*Cogitur & vires multiplicare ſuas.*

[5] Idem 5. Triſt. 1.

Gaudium. *Nec Dolorem modo, sed & Gaudium, si immoderatum sit, morbos & mortem attulisse constat.*

[1] Cicer. 4. Tusc. [1] Cum ratione animus movetur placidè atque constanter, tum illud Gaudium dicitur: cum autem & inaniter & effuse animus exultat, tum illa Lætitia gestiens, vel nimia dici potest: quam ita definiunt Stoici, sine ratione Animi elationem. *Illud spiritus diffundendo, & calorem suscitando, sanitatem conservat: hæc utrumque dissipando, vel Syncopen, vel mortem repentinam infert.*

[2] Agell. 3. 15. [2] Cognito repente insperato gaudio exspirasse animam refert Aristoteles philosophus Polycratam, nobilem fœminam à Naxo insula. Philippides quoque comœdiarum poëta haud ignobilis, ætate jam edita, cum in certamine poëtarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, inter illud gaudium repente mortuus est. De Rhodio etiam Diagora celebrata historia est. Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem: eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiæ die. Et cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris impositis suaviarentur: cumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret; ibi in stadio inspectante populo, in oculis, atque in manibus filiorum animam efflavit. Præterea in nostris Annalibus scriptum legimus, qua tempestate apud Cannas exercitus P. R. cæsus est, anum matrem, nuntio de morte filii allato, luctu atque mœrore affectam esse. Sed is nuntius non verus fuit: atque adolescens non diu post ex ea pugna in urbem rediit: anus repente filio viso, copia atque turba, & quasi ruina incidentis inopinati gaudii, oppressa

[3] Plin. 3. 15. exanimataque est. *Ita &* [3] Sophocles & Dionysius Siciliæ tyrannus gaudio obiere, uterque accepto Tragicæ victoriæ nuntio.

[1] Sur

[1] Sunt qui dicant Chrysippum risu effusum expirasse. Nam cum asinus manducaret ficus, aniculæ dixisse vinum asino sorbendum daret, nimioque risu occupatum, exhalasse animam. [1] *Laërt. in vit*

Invidia.

[2] Invidentiam esse dicunt ægritudinem susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti. [2] *Cicer. 4. Tusc.*

[3] Publius Mucium inprimis malevolum cum vidisset solito tristiorem, aut Mucio, inquit, nescio quid incõmodi accessit, aut nescio cui aliquid boni. [3] *Macrob. 2. Sat. 2.*

[4] *Invidus alterius rebus macrescit opimis.*
*Invidia Siculi non invenere tyranni*
*Majus tormentum.——* [4] *Horat. 1. Ep. 2.*

*Nam* [5] sicut rubigo ferrum, ita invidiam invidos consumere, ajebat Antisthenes. [5] *Laërt. 5.*

[6] *Pallor in ore sedet: macies in corpore toto:* [6] *Ovid. 2. Met.*
*Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:*
*Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno.*
*Risus abest, nisi quem visi movere dolores.*
*Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:*
*Sed videt ingratos, intabescitque videndo*
*Successus hominum, carpitque & carpitur una,*
*Suppliciumque suum est.*

Amor.

[7] Si explicatum in aperto Amorem intueri velis, ac pernoscere, invenies nullam animi perturbationem vel dolores adferre acriores, vel gaudia vehementiora, vel majores furores mentisque abalienationes. [7] *Plutarch. 1. Symp. 5.*

[8] *Amorem cuncta vitia sectari solent,* [8] *Plautus Merc.*
*Cura, ægritudo, dolor, nimiaque elegantia,*
*Insomnia, ærumnæ.*

*Ea in semetipsa eleganter notat Canace;*

[9] *Fugerat ore color; maciesque obduxerat artus;* [9] *Ovid. Epist. 11.*
*Sumebant minimos ora coacta cibos.*
*Nec somni faciles, & nox erat annua nobis,*
*Et gemitum nullo læsa dolore dabam.*

[1] Qui se Venereis amoribus dediderit, non aliud quicquam potest cogitare, quam illud quod diligit: *unde* [2] nulla jam Cereris subit

*Cura, aut salutis.——*

*Namque*

[3] *Qui amat, quod amat si id habet, id habet pro (cibo.*

*Non mirum igitur, si* [4] ex amore interdum morbus oritur, ut accidit Antiocho Seleuci filio, cujus morbus est à Medicis deprehensus.

[1] *Columell. 1. de R.R. 1.*

[2] *Senec. Hippolyto.*

[3] *Plaut. Merc.*

[4] *Suidas.*

[5] Forte enim Antiochus amore deperiens Stratonices juvenculæ, quæ puerum jam ex Seleuco ediderat, graviter fuit affectus, multaque ad reluctandum animi motui molitus est. Postremò perpendens dirâ se libidine teneri, ægritudine affligi deplorata, & consilio esse destitutum: rationem quæsivit vitæ deponendæ, corpusque instituit sensim curationis negligentia atque inedia conficere, morbum simulans. At medicus Erasistratus facile amorem ejus deprehendit. verum ut cujus amore flagraret, quod conjectu erat arduum, exploraret: agebat assiduè apud eum in cubiculo. Si quis formosus adolescens vel fœmina ingrederetur, observabat Antiochi vultum, & membra, quæ potissimum solent affectibus animi consentire, ac corporis inspiciebat motus. Quum igitur ad cæterorum ingressum nihil moveretur: Stratonice verò & sola & cum Seleuco subinde eum invisente, illa Sapphus in eo omnia existerent, vocis compressio, rubor vultus igneus, tectus oculorum conjectus, sudores præcipites, confusio & perturbatio pulsus, denique vi victo animo perplexitas, stupor & pallor: his verisimilibus conjecturis reputans Erasistratus in nullam aliam exardescentem regis filium in silentio ad mortem usque perseverare, grave hoc putavit enuntiare & detegere: attamen indulgentia Seleuci in filium fretus tentavit aliquando aperire ei amore adolescentem affligi

[5] *Plutarch. in Demetrio. Lucian. de Syriâ deâ.*

ffligi, ſed deplorato amore incurabilique. Obſtupefacto & rogante rege, quemadmodum incurabi-: Quia hercle, inquit Eraſiſtratus, meam amat uxorem. Et tu, infit, neges, Seleucus, Eraſiſtrate, qui amicus noſter es, haſce filio meo nuptias, idque qui unum hunc cernis rerum noſtrarum ſacram anchoram eſſe? Ne tu quidem, inquit ille, id facias, pater, ſi Stratonicen Antiochus adamaret. Utinam vero, inquit, amice, Deus aliquis vel homo eò traducat morbum. nam equidem vel regnum, modo retineam Antiochum, cupiam dimittere. Ita commotè Seleuco multis cum lacrymis fato, dexteram Eraſiſtratus injiciens, nihil eum Eraſiſtrato ait indigere, nam cum pater, vir, & rex eſſet, ipſum ſimul medicum domus ſuæ optimum fore. Atque Antiochi cum Stratonice ex hujuſmodi perhibent occaſione conciliatas fuiſſe nuptias.

*Similiter* [1] Hippocrates ad Perdiccam Macedonum regem, qui tabe laborare exiſtimabatur, publicè vocatus, animi morbum eſſe indicavit. Cum enim poſt Alexandri patris mortem, Phylam ejus pellicem amore deperiret, ad eamque re dilata, poſtquam ex ejus conſpectu illum prorſus immutari animadvertit, propulſato quidem morbo, regem ſanitati reſtituit.

[1] *Soranus in vita.*

Ira.

[2] Ira eſt libido puniendi ejus, qui læſiſſe videatur injuria.

[3] Ad eã opportuniſſima fervidi animi natura eſt. [4] Volunt itaque quidam ex noſtris iram in pectore moveri,

[5] (*— calido ſub pectore maſcula bilis*
*Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ*)

efferveſcente circa cor ſanguine.

[6] *Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris.*

[7] Cauſſa cur hic potiſſimum aſſignetur iræ locus, non alia eſt, quam quod in toto corpore calidiſſimum

[2] *Cicer. 4. Tuſc.*
[3] *Senec. 2. de ira 18.*
[4] *Ibid. 19.*
[5] *Perſius Sat. 5.*
[6] *Homer. apud Cic. Tuſc.*
[7] *Senec. 2. de Ira 19.*

dissimum pectus est. Neque alia est caussa, cur iracundi sint flavi rubentesque: quibus talis natura calor est, qualis fieri cæteris inter iram solet: mobilis enim illis agitatusque sanguis est.

*Ab eodem fonte*

[1] *Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,*
*Lumina Gorgoneo sævius angue micant.*

*Hinc etiam* [2] Vinum incendit iram, quia calorem auget, *& bilem producit.*

*Et quia* [3] fames & mora bilem in nasum conciunt: *ideò* [4] fames quoque & sitis exasperant & incendunt animum.

[5] Ingentis *inde* iræ furor est: & ideò ira vitanda est non moderationis caussa, sed sanitatis.

*Neque tantum calidioris naturæ, sed etiam* [6] levis est animi atque infirmi vitium, iracundia.

*Nam* [7] ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur.

*Hinc* [8] iracundissimi infantes, senesque & ægri sunt, & invalidum omne natura querulum est.

[9] In infantibus hoc videre est, qui statim atque nati sunt, pleni ira apparent.

*Ita & mulieres* [10] & senes difficiles & queruli sunt.

*Hoc Cicero de se fatetur:* [11] Amariorem me senectus facit, stomachor omnia.

*Iracundi etiam ægroti. Isocrates de quodã:* [12] Cum natura satis asper erat, tum morbo erat longè morosior. *Et* [13] Imperator Manuel Comnenus ex morbo gravissimo pronior ad iram factus.

*Et ut Ira ex morbo augetur, ita ipsa quoque morbum auget, vel accersit: imò & ipsam mortem.*

[14] Imperator Valentinianus ira vehementi perculsus, & inter exordia respondendi tumidior, increpabat, &c. paullatimque lenitus, & ad molliora propen-

[1] *Ovid. 3. Arte.*
[2] *Senec. 2. de ira 19.*
[3] *Plautus Amphitr.*
[4] *Senec. 3. de ira 9.*
[5] *Senec. Ep. 18.*
[6] *Cicer. 1. Ep. ad Q. fr. 1.*
[7] *Idem 3. de ira 9.*
[8] *Seneca 1. de ira 13.*
[9] *Plato 4. de Rep.*
[10] *Senec. 2. de ira 19.*
[11] *24. ad Attic. 24.*
[12] *in Ægin.*
[13] *Nicet. 7. 6.*
[14] *Ammian. Marc. 30. Hist.*

propensior, tanquam ictus telo vitalia, voceque simul obstricta, suffectus igneo lumine cernebatur; & repete cohibito sanguine lethali sudore perfusus, &c. ubi locatus in lecto exiguas spiritus reliquias trahens, nondum intelligendi minuto vigore, &c. Et quoniam viscerum flagrante compage laxanda erat necessariò vena, &c. unus tamen repertus venam ejus iterum sæpiusque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate caloris ambustis: vel, ut quidam existimabant, arefactis ideò membris, quod meatus aliqui, quos hæmorrhoidas nunc appellamus, obserati sint, gelidis rigoribus concrustati.

[1] Magis illud videndum est, quam multis ira per se nocuerit. Alii nimio fervore rupere venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in morbos ægri recidere. nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaq; continuaverunt iræ furorem; nec quam expulerant mentem unquam receperunt. Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira. [1] *Senec. 2. de ira 36.*

Avaritia.

[2] Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat, semper infinita, & insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. [2] *Sallust. Catil.*

[3] Avari omnes perpetuo morbo agitantur, suspicantur omnes timidus, sibique ob aurum insidiari putat, nunquam quiescens. [3] *Plin. 14. Proœm.*

[4] *Ex uno Euclione disce omnes:* [4] *Plautus Aulul.*

*Oculos hercle ego istos, improba, effodiam tibi,*
*Ne me observare possis, quid rerum geram.*
*Abscede etiam nunc, etiam nunc, etiam ohe nunc.*
*Istic adesto. si hercle tu ex istoc loco*
*Digitũ transversum, aut unguem latũ excesseris,*

*Aut si respexis, donicum ego te jussero,*
*Continuò hercle te dedam discipulam cruci.*
*Scelestiorem me hac anu certè scio*
*Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo malè,*
*Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,*
*Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum.*
*Quæ in occipitio quoque habet oculos pessima.*

*Et mox:*

*Abi intro, occlude januam, jam ego hîc ero.*
*Cave quenquam alienum in ædes intromiseris.*
*Quod quisquam ignem quærat, extingui volo.*
*Ne caussæ quid sit, quod te quisquam quæritet.*
*Nam si ignis vivet, tu extinguêre extempulò.*
*Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.*

*Et quæ sequuntur, incredibiles ostendunt avarorum curas & sollicitudines, quibus ingenium suum defraudantes sanitatem offendunt.*

*Quare*

[1] Horat. 2. Sat. 3.

[1] *Danda est ellebori multo pars maxima avaris.*
*Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

Metus.

[2] Arist. 3. Ethic. 9.

[2] Metus est dolor quidam ac perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit.

[3] Xenophon 3. Cyrop.
[4] Plutarch. de fortun. Alex.

[3] Metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit, & [4] non solum memoriam consternat, sed & institutum animi omne, & laudabilem conatum atque incitationem: ipsamque impedit loquelam;

[5] apud Stob.

[5] Ἀψυχία γδ γλῶσσαν ἀςπάζει φόβος.
*Ita quippe vecors impedit linguam pavor.*

[6] Arist. 29. Probl. 9.

[6] Quam verò ob caussam, cum & metus & dolor quædam sit ægritudo, qui dolent, clamant, qui metuunt, silent? An qui dolent, suum retinent spiritum: itaque is universus erumpens, cum clamore emittitur: metuentibus corpus refrigeratur, calorque ima petit, qui spiritum movet? Quò igitur hic se

contu-

contulerit, ibidem ſpiritum potiſſimum excitabit: quapropter venter eorum, qui metuunt, obcrepare ſolitus eſt. Vox autem ſpiritus ſurſum verſus elatus eſt, partibus quibuſdam veluti inſtrumentis conficiendus, abſolvendusque.

*Quinetiam* (*ſtupuit, pectore*
[1] *Membra metu debilia ſunt: animus timore ob-* [1] *Terent. Adelph.*
*Conſiſtere nihil conſilii quicquam poteſt.*
*Ipſum etiam cor, vitæ fontem, oppugnat,*
[2] *Vagus per artus errat excuſſus tremor,* [2] *Seneca Herc. Oet.*
*Erectus horret crinis, impulſis adhuc*
*Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,*
*Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.*
[3]*Verũ ubi vehementi magis eſt cõmota metu mens;* [3] *Lucret. 3.*
*Conſentire animam totam per membra videmus:*
*Sudores itaque, & pallorem exiſtere toto*
*Corpore, & infringi linguam, vocemq; aboriri:*
*Caligare oculos, ſonere auris, ſuccidere artus.*
*Denique concidere ex animi terrore videmus*
*Sæpe homines: facilè ut quivis hinc noſcere poſſit,*
*Eſſe animam cum animo conjunctam; quæ cum animi vi*
*Percuſſa eſt, exin corpus propellit & icit.*

[4] Cur *autem* homines metuentes tremunt, maximeque vocem & manus, & imum labrum? An vocem, quia calor hinc deficit, quo in loco vox poſita eſt: labrum verò, & manus, quoniam partes iſtæ nobiliores ſunt, minimeque ſanguinolentæ? Bilem quoque iidem dejiciunt, & teſticulos contrahunt. Dejiciunt, quia calor deſcendens diffundit & liquefacit. Contrahunt, quia metus invectus extrinſecus eſt, ut fugam in adverſum agi oporteat. [4] *Ariſt. 29. Probl. 7.*

*Examen plurium Metus ſymptomatum apud Ariſtotelem videre eſt. Sed antequam finem facimus, duobus exemplis, quantum poſſit, oſtendemus.*

[5] Franciſco Gonzagæ Mantuæ principi, affinem [5] *Scalig. Ex. 312.*

suum suspectum conjurationis cum ad quæstionem aut supplicium servari jussisset, nuntiatum est, totum repente canum factum.

[1] Thuanus Hist. 15.

[1] Melenianus humili casa tectus lectica: nam tum forte podagra vexatus latebat. Monlucius illuc directum tormentum displodi aliquoties jubet, quo plures occisi sunt, delatoque forte in casam ictu, Melenianus ejus ruina pœnè obrutus, vehementique pavore correptus, quasi contrario morbo, podagræ doloribus tunc temporis solutus est.

*Sed terror sæpius morbum, quam remedium affert; imo quandoque ipsam mortem. Ita aliquando*

[2] Vopiscus Caro.

[2] tantum fuit subito tonitruum, ut multi terrore ipso exanimati esse dicantur.

*Quare, ut tandem Affectus terminemus, quicunq; animi & corporis sanitati studes, immoderata*

[3] Boëth. 1. de Cons. 7.

*[3] Gaudia pelle,*
*Pelle timorem,*
*Spemque fugato,*
*Nec dolor adsit.*

*Inprimis, qui valetudinarius, aut æger.*

[4] Theognis.

[4] Μῆτε κακοῖσι νοσῶν λυπου φρένα, μήτ᾽ ἀγαθοῖσι
Τερφθῆς ἐξαπίνης, πρὶν τέλος ἄκρον ἰδεῖν.

*Neque malis ægrotans auge mentem, neque bonis*
*Oblecteris repētè, antequā finē extremū videris.*

[5] Plin. 22. 24.

[5] Est & ratio subtilitatis immensæ à Platone descendens: corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideò non eadem omnibus amara aut dulcia esse.

[6] Lucret. 2.

*[6] Hôc accedit, uti mellis lactisque liquores*
*Iucundo sensu linguæ tractentur in ore.*
*At contrà tetra absinthî natura, ferique*
*Centauri fœdo pertorquent ora sapore.*

[7] Plin. cit.

[7] Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti. Ergo & hæc animi asperitas, seu potius

tius animæ, dulciore ſucco mitigatur. Lenit tranſitum ſpiritus, & molliores facit meatus, ne ſcindant euntem redeuntemque. Experimenta in ſe cuique: nullius non ira luctusque, triſtitia, & omnis animi impetus cibo mollitur. Ideoque obſervanda ſunt, quæ non ſolum corporum medicinam, ſed & morum habent.

[2] Qui voluptatem maximè ſequuntur, ii minimè aſſequuntur. [2] *Cicer. 5. Tuſc.*

*Quare vivamus memores moniti Pythagoræi:*

[3] Ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. [3] *Plutarch. in præc. Sanit.*

[4] Optima vivendi ratio eſt eligenda, eam jucundam conſuetudo reddet. [4] *Cicero 4. ad Heren.*

*Exemplo ſit* [5] L. Thorius Balbus. is ita vivebat, ut nulla tam exquiſita poſſet inveniri voluptas, qua non abundaret. erat & cupidus voluptatum, & cujuſvis generis ejus intelligens, & copioſus; ita non ſuperſtitioſus, ut & illa plurima in ſua patria ſacrificia & fana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie ſit ob remp. interfectus. cupiditates non Epicuri diviſione finiebat, ſed ſua ſatietate. habebat tamen rationem valetudinis. utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam & eſuriens & ſitiens veniret: eo cibo, qui & ſuaviſſimus eſſet, & idem facillimus ad concoquendum: vino & ad voluptatem, & ne noceret: cætera illa adhibebat, quibus demptis, negat ſe Epicurus intelligere quid ſit bonum. aberat omnis dolor. qui ſi adeſſet, nec molliter ferret, & tamen medicis plus, quam philoſophis uteretur. color egregius, integra valetudo, ſumma gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. [5] *Idem 2. de finib.*

IOH.

IOH. BEVEROVICII

# MEDICINÆ VETERUM PARS III.

DE

## Morbis dignoscendis & curandis.

*Comprehendens*

ΠΑΘΟΛΟΓΙ'ΑΝ,
ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ`Ν,
ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ'Ν.

---

## LIB. I.

## DE MORBIS ET SYMPTOMATIS.

### CAP. I.

### *Morborum essentia, genera, & differentiæ.*



*Vomodo usu, vel abusu sex rerum non-naturalium eximiam corporis humani naturam conservare aut lædere possimus, superiori libro demonstratũ est. Igitur morbos, morborum differentias,*

[1] *Morborum quoq; nunc caussas, & signa docebo.*
[2] *Quinetiam succos, atq; auxiliantia morbis*
*Gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,*
*Quid faciat somnos, quid hiãtia vulnera claudat,*
*Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis.*

[1] *Virgil. 3. Georg.* [2] *Statius 2. Achill.*

Morbus quid.

*Morbus est affectio corporis contra naturam, actionem lædens.*

[3] *Arist. in cat. Qualit.*

[3] Affectiones sive διαθέσεις sunt, quæ facilè commutari, celeriterque evelli possunt, & distrahi; ut calor & frigus, ut morbus & bona valetudo, omniaque, quæ sunt generis ejusdem. Nam & his homo quodam-

quodammodo afficitur, & celeriter ex calore in frigus commutatur.

*Actionis itaq; læsione morbus Sanitati contrarius.*

[1] Cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus ferè singulis. Valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis.

[1] *Cicero Lælio.*

*Sed neque omnium, qui sani aut ægri degunt, una est eademque constitutio, nec una igitur sanitas, nec unus morbus; sed utriusque ampla est latitudo. Inter has media quædam interjecta est utrinque obscura: quæ idcirco nec sanitas, nec morbus, sed neutra est constitutio. De hac Seneca:*

[2] In statu non pessimo, ita maximè querulo & moroso positus sum: nec ægroto, nec valeo.

[2] *Senec. de Tranquill. 1.*

[3] Non est *autem* bona valetudo, mediocritas morbi. [4] Hoc interest inter sanum, & ex morbo gravi, ac diutino emergentem. Illi sanitatis loco est levior accessio: hic nisi attendit, subinde gravatur, & in eadem revolvitur. *Quare multò* [5] fœlicior est inconcussa valetudo, quam ex gravibus morbis, & extrema minitantibus, in tutum vi quadam & patientia educta.

[3] *Idem Ep. 86.*
[4] *Idem Ep. 33.*
[5] *Idem Ep. 67.*

Morborum genera.

*Morbi omnes ratione partium* [6] quæ similares & organicæ, *etiam duplices. Morbus similaris in intemperie consistit. Ita dicebat Alcmæo,* [7] caussam bonæ valetudinis continentem esse æquabilitatem facultatis humidi, calidi, sicci, frigidi, amari, dulcis, ac reliquarum qualitatum. Contra si qua harum qualitatum sola prævaleat, cæteris morbum gigni: ideoq; Sanitatem temperiem esse qualitatum concinnam, hoc est certa invicem proportione respondentium. [8] Quum verò partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas, *pars jam læditur, quatenus instrumentum est, & oritur morbus organicus. Quum autem utriq; parti commune sit coagmentatione, & adhæsu consistat,*

[6] *Arist. 2. de part. an. 1.*
[7] *Plutarch. 5. de plac. philos. 30.*

Sanitas quid.

[8] *Cicero 4. Tusc.*

*ſtat, harum diſſolutio, utriusq; morbus eſt, & utriusque functiones peræquè incommodat: qui communis, & unitatis ſolutio dici conſuevit.*

## CAP. II.

### *Morborum cauſſæ.*

*QVemadmodum in reliquis artibus & diſciplinis, [1] Fœlix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas: ita inprimis neceſſaria eſt Medicis cauſſarum, quæ morbos effecerunt, obſervatio, ſine qua neque morbos præcavere, neque obſervare licet.*

[1] *Virgil. 2. Georg.*

[2] Nam quorſum ægroto Medicus, qui cauſſas ignoret affectionum humani corporis? Siquidem ille curandi corpora rectam viam nunquam inſiſtet. Idcirco nihil adeo obſervandum, atque omnium eventuum cauſſas.

[2] *Polybius Hiſt. 3.*

*Tanti verò hæc res momenti; ut* [3] Medici cauſſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putent.

[3] *Cicero 3. Tuſc.*

Cauſſa quid.

[4] Cauſſa ea eſt, quæ id efficit, cujus eſt cauſſa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaque non ſic cauſſa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei cauſſa ſit, ſed quod cuique efficienter antecedat.

[4] *Cicero de fato.*

[5] Neq; *etiam* cauſſæ malorum in ea transferendæ ſunt, quæ poſtremo acciderunt, ſed & in prima delicta, quæ conſequutis infortuniis quaſi materiam præbuerunt.

[5] *Iſocrat. de pace.*

[6] Non *autem* foris duntaxat, ut mare, ita corpus etiam tempeſtatibus & procellis poteſt exagitari: ſed plus turbarum, earumque majorum intus alit atque effert. ac rectius tranquillitatem hybernam aliquis, quam carnis incolumitatem ſperaverit ſibi conſtanter affuturam.

[6] *Plutarch. non poſſe vivi ſec. Epicur.*

[7] Nam cum quatuor illa ſint, ex quibus compactum eſt corpus, Terra, Ignis, Aqua, Aër, horum contra

[7] *Plato Timæo.*

contra naturam abundantia, defectusque, & ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod sibi conveniens est, non tenent, intestinam quandam seditionem & morbos inferunt.

*Et* [1] omnis coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos senectutemque compellitur. [1] *Cicer. de Univers.*

[2] Quando enim præter naturam unumquodque fit, aut transfertur, calescunt utique quæ ante frigebant, arida madent, gravescunt levia, & cætera omnia similiter permutantur. Solummodo verò idem aliquid sibimet secundum idem, atque similiter & debita proportione servata accedens vel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrumque manere. Quod autem aberrat, sive accedendo, sive decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. [2] *Plato cit.*

Morbificarũ Caussarum genera.

*Igitur humanum corpus alias à seipso, ab insitisque principiis, alias ab adventitiarũ caussarum injuria lacessitur. Harum alia externa, alia interior: hæc rursum duplex, antecedens, &* [3] proxima sive continens caussa. [3] *Cicero de fato.*

*Externarum caussarum aliæ, quæ necessariò nobis ferendæ, & sine quibus vivere non licet, ut sex res non-naturales, de quibus prout salubres vel insalubres superiori libro egimus: aliæ non necessariæ, quas declinare possumus, ut gladii ictus, ruentis lapidis, & bestiarum occursus, omniaque fortuita.*

## CAP. III.

### *Morborum signa, & Symptomata.*

VT [4] Medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam invenienda quæ latent, sæpe ipsis ea, qui sanandi sunt, occulentibus: *in signis* [4] *Quintil. 12. Orat. 10.*

Signum quid. *signis morborum exercitatos eos esse convenit.*

[1] *Cicero 1. de Invent.*

[1] Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, & quiddam significat, *quod latebat.*

*Sic & Symptoma, quia conspicuum, interioris occultique morbi, à quo fluxit, expressum est signum.*

[2] *Plutarch. 5. de plac. Philosoph. 29.*

*Ita* [2] quæ videntur, conspectui nobis exhibent ea, quæ in obscuro sunt.

*Est autem signum genere duplex: Demonstrativum, quo præsens indicatur constitutio; Prognosticum, quo futura.*

[3] *Idem in præc. Sanit.*

[3] Non enim omnes morbi invadunt nos, sicut Hesiodus ait,

Σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα Ζεύς·

*Muti, nam vocis privavit Iupiter usu:*

sed plerique tanquam prænuncios habent & præcursores ac præcones suos, cruditatem & motus difficultatem. [4] quædam enim segnitia nervis inest, & sine labore ullo lassitudo & oscitatio & horror membra percurrens.

[4] *Senec. Ep. 74.*

Lassitudo spontanea.

[5] *Plin. cit.*

[5] Gravitas membrorum, inquit Hippocrates, & defatigationes sponte ortæ, morbum indicant: nimirum ob plenitudinem, spiritu nervorum compresso & obstructo.

[6] *Idem in qu. nat.*

[6] Medici periti ex appetitionibus ægrotantium, de eorum vel salute, vel interitu præsagiunt.

[7] *Cicero 2. de Divin.*

[7] Medici ex quibusdam rebus & advenientes & crescentes morbos intelligunt, nonnullas etiam valetudinis significationes, ut hoc ipsum pleni enective simus, ex quodam genere somniorum intelligi posse dicunt.

[8] *Plutarch. in præc. San.*

[8] Ergo non ad nutritionem modo corporis quod attinet, & exercitationes notandum est, an iis corpus segnius, minorive cum alacritate, quam consueverat, utatur, & an solito amplius fame sitive tentetur: sed Somnus quoque si continuus aut lenis non sit, verum inæquabilitatem habeat & divulsiones,

Somni indicatio.

suspi-

suspicionem nobis morbi impendentis injicere debet. atque ipsa adeò Somnia absurda si sint, visaque nobis per quietem offerantur non legitima neque consueta, multitudinem aut crassitiem humorum internam, spirituumve conturbationem deferunt. Somniorum indicatio.

[1] *— cujus, velut ægri Somnia, vanæ*
*Finguntur species. —* [1] *Horat. de arte.*

[2] Augustus somnia neque sua, neque aliena de se negligebat. Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem; egressus est tamen Medici somnio monitus: cessitque res prosperè, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est. [2] *Sueton. in vita.*

[3] Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. [3] *Homer. Il. 1.*
*Nam somnium ex Iove est.*

[4] Artifex quidam delapsus ex alto, ita fuit afflictus, ut haberetur à Medicis pro deplorato. Inopi consilii Minerva in somnio se Pericli offerens, præscripsit medicinam, qua usus ille hominem citò & facillimè curavit. *ita* [5] sine medico Medicinam dabat Minerva. [4] *Plutarch. in vita.* [5] *Cicer. 2. de Divinat.*

[6] Pan Trœzeniorum magistratibus ostendit somnia, quæ attulerunt remedium pestis, quæ eos apprehenderat. [6] *Pausan. Corinth.*

[7] Pestis etiam curata admonitu Toxaris in somnio facto Demanetæ, irrorandis scilicet angiportis. [7] *Lucian. Scythâ.*

*Hinc forte quasi* [8] Æsculapius posset præscribere per somnium curationem valetudinis, *consuetudo, noctu in fano ejus cubandi.* [8] *Cicero 2. de divinat.*

[9] — κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ
Κράτιστόν ἐστι. — [9] *Aristoph. Pluto.*

[10] *Id eo fit, quia hic leno ægrotus incubat*
*In Æsculapii fano. —* [10] *Plautus Curcul.*

[11] Ipsi etiam motus Animi significant interdum corpus ad morbum esse proclive, nulla enim caussa [11] *Plutarch. in præc. san.* Animi mot. indicatio.

 extante

extante oboriuntur aliquando ſubitæ mœſtitiæ & metus, repente ſpes animo conceptas extinguentes. Stomachus quoque facile quibuſdam movetur, irasq; & dolores celeriter ob res minutiſſimas ſuſcipiunt, lacrymantque, & animi ſeſe angunt, cum vapores exhalationesque vitioſæ coëunt, & animi (ut ait Plato) permiſcentur circuitionibus. Quibus ergo hæc accidunt, ii perpendere ſecum ea debent, & ſcire, ſi ſpiritalis nulla ſit cauſſa, ſubeſſe corpoream aliquam, quam comprimi aut contemperari oporteat.

Morborum cauſſæ quæ facil. auf.

[1] *Polybius* 11. *Hiſt.*

[1] Nocivæ corporibus cauſſæ, extrinſecus advenientes, veluti frigora, æſtus, laſſitudo, vulnera, & priuſquam contingunt, poſſunt caveri, & ubi contigerunt, curari facile queunt: at quæ ex ipſis ortum habent corporibus ulcera aut morbi, & prius quam oriantur, difficile prævidentur, & ſemel orta difficile curantur.

Dolor indicat part. aff.

*E Symptomatibus Dolor potiſſimum, qua pars affecta ſit, indicat.*

[2] *Seneca Ep.* 78.

[2] Maximi dolores conſiſtunt in macerrimis corporis partibus: nervi articulique & quicquid aliud exile eſt, acerrimè ſævit, cum in arcto vitia concepit. Sed cito hæ partes obſtupeſcunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt: ſive quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in pejus, vim ſuam, qua viget admonetque nos, perdit: ſive, quia corruptus humor, cum deſiit habere, ipſe ſe elidit, & his, quæ nimis implevit, excutit ſenſum. *Imo &* [3] acerrimi dolores mitigantur.

[3] *Plutarch. de Superſt.*

*Quorundã verò cauſſa incurabilis: quare minimè*
[4] *Omnes humanos ſanat medicina dolores.*

[4] *Propert.* 2. *El.* 1.

*Nullus doloris ſenſus, ubi cauſſa adeſt, mentis laborantis ſignum eſt Hippocrati. Et* [5] morbi ſunt pejores, qui ſtuporem ſenſuum habent adjunctum, ut veternus, ut dolor capitis, ut morbus comitialis, ut febres.

Stupor.

[5] *Plutarch. animine an corp. aff.*

febres. ipſæque illæ febres, quæ vehementi inflammatione animum abalienant, ſenſum tanquam in inſtrumento quodam conturbantes

*κινῦσι χορδὰς τὰς ἀκινήτυς φρενῶν,*

*non ante motas mentis commovent fides.*

Itaque medici hoc volunt, ut ne ægrotet homo: ſi ægrotet, ne hoc neſciat. *Sic* [1] dicebat Crantor, Optandum eſt, ne ægrotemus. Sed ſi in morbo ſimus, ſenſus ejus aliquis adeſſe debet, ſive ſecetur pars noſtri aliqua, ſive avellatur. Indolentia enim illa non ſine magna jactura poteſt parari: *uti podagrici exemplo alibi videre eſt.*

[1] *Idem conſ. ad Apollon.*

*Omnes autem* [2] morbi tunc ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. & bonum recuperandæ ſanitatis ſignum eſt morbi in partes corporis non præcipuas averſio.

[2] *Senec. Ep. 56.*

[3] Rectè igitur Medici morbos, quos planè abolere non poſſunt, foras in ſuperficiem corporum avertunt, *excretione, ut Medici vocant, critica, quæ in morbis acutis fieri ſolet die ſeptimo, aut nono. Hinc Achilles apud* [4] *Homerum*, ut erat rei medicæ peritus, poſt nonum diem, quo judicari tales natura fert, ſentiit morbum non eſſe vulgarem, aut ab uſitata aliqua cauſſa profectum.

[3] *Plutarch. in præc. polit.*

[4] *Iliad. 1.*

*Neque verò ideò deſperandum, ſi valetudo tardius interdum reſtitui videatur. Nam* [5] Medicina ægroto nullum ſenſum mutatæ in melius valetudinis afferet, antequam corpore priſtinæ ſanitati reddito, contrarius habitus integer morbo ſucceſſerit.

[5] *Idem de prof. virt. ſent.*

*De ægrotis diximus. at* [6] corpora ſana, & integri ſanguinis, & exercitatione firmata, ex iiſdem ſpeciem accipiunt, ex quibus vires: namque & colorata & aſtricta, & lacertis expreſſa ſunt.

[6] *Qnintil. præf.* 8.

*Ex his itaque* [7] Medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum ſit, quid quibus ſignis providendum, docebit. Vim ſentiendi pulſus venarum,

[7] *Idem 7. Orat.* 10.

caloris motum, ſpiritus meatum, coloris diſtantiam, quæ ſua cujusque ſunt, ingenium dabit.

## CAP. IV.

### *Pulſus, & urina quid indicent.*

[1] *Cicer. 2. de divin.*

MEdici [1] ſigna quædam habent ex venis, & ex ſpiritu ægroti, multisque ex aliis, quæ jam diximus, futura præſentiunt.

[2] *Senec. Ep. 22.*

[2] Quædam nonniſi à præſentibus monſtrantur. Non poteſt Medicus per epiſtolas cibi, aut balnei tēpus eligere; vena tangenda eſt. Vetus proverbium eſt, Gladiatorem in arena conſilium capere, &c. cum rebus ipſis deliberandum eſt.

[3] *Plinius 11. Nat. 37.*

[3] Arteriarum pulſus in cacumine maximè membrorum evidens, index ferè morborum in modulos certos, legesque metricas, per ætates, ſtabilis, aut citatus, aut tardus, deſcriptus ab Herophilo medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter ſubtilitatem deſertus: obſervatione tamen crebri aut languidi ictus, gubernacula vitæ temperat.

[4] *Senec. 6. Nat. 14.*
[5] *Ovid. Ep. Heroid. 20.*
[6] *Idem 1. de Pont. 11.*
[7] *Senec. 6. Nat. 14.*
[8] *Plutarch. animine an corp. aff.*
[9] *Eraſm. 2. 6. Adag. 68.*

[4] In corpore noſtro, dum bona valetudo eſt, venarum quoq; imperturbata mobilitas modum ſervat.

[5] *Dumque ſuo tentat ſalientes pollice venas,*
*qui ſanus eſt, nullam percipit inæqualitatem,*
[6] *Sed peragit ſoliti vena tenoris iter.*

[7] Ubi aliquid adverſi eſt, micat crebrius, & ſuſpiria atque anhelitus, laborantis ac feſſi ſigna ſunt.

*Ita* [8] morbi pulſibus, & rubore cutis, calore, & ſubitis doloribus indicantur: *ut & quidam ex urina, non omnes. Quare* [9] *fruſtra* ægroti quidam imprudentes à medicis expectant, ut viſo duntaxat lotio divinent & ſexum & ætatem, & omnem morbi naturam, ubi & unde acciderit, quid ſentiant, ac propemodum quid in febre ſomniarint.

# LIB. II.

# METHODVS MEDENDI GENERALIS.

## CAP. I.

## *Experientiam eruditioni conjunctam perfectum reddere Medicum.*

*SVperiori libro de Morbis in genere egimus: ad medendum nunc accedemus*, [1] si *prius* illud monuerimus, artem sine assiduitate medendi non multum juvare: ut intelligas hanc rationem præceptionis accommodari ad exercitationem oportere. [1] *Cicero adHerenn.*

[2] Omnes *siquidem* artes, omniaque opera quotidiano usu, & jugi exercitatione proficiunt. [2] *Veget. 3. 10.*

*Vt igitur* [3] in omni disciplina, infirma est artis præceptio, sine summa assiduitate exercitationis, [4] peculiariter utique Medicinæ usus efficacissimus omnium rerum magister. [3] *Cicero 3. ad Heren.* [4] *Plin. 26. 2.*

*Quare* [5] prudens ægrotus eos medicos non accerset, qui quam optimè de arte disserere possunt, sed qui in ejus usu se exercuerunt. [5] *Lucian. Hippia.*

*Namque* [6] nec Medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis precepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt. [6] *Cicero 1. Offic.*

[7] Nihil est autem, quod non *experientia*, & longinquitas temporum, excipiente memoria prodendisque monumentis efficere atque assequi possit. Mirari licet, quæ sint animadversa à Medicis herbarum genera, quæ radices ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim atq; naturam ratio nunquam explicavit; utilitate & ars & inventor probatus. [7] *Idem 1. de Divinat.* Experientiæ natura.

[8] Fit autem ex memoria, experientia hominibus. [8] *Aristot. 1. Metaph. 1.*

Multæ etenim ejuſdem rei memoriæ unius experientiæ vim efficiunt. Quare experientia pœne ſimile quid ſcientiæ ac arti eſſe videtur. Per experientiam autem ars & ſcientia hominibus efficitur. Experientia enim artem efficit, imperitia verò casum. Fit autem ars, cum è multis experimentalibus conceptibus, una de ſimilibus univerſalis opinio fuit. Opinari etenim quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conduxit, ſimiliter Socrati, ac ſingillatim aliis multis, experientiæ: quod autem omnibus hujuſcemodi ſecundum unam ſpeciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, utpote phlegmaticis, ac cholericis, aut æſtu febricitantibus, hoc artis proprium eſt. Ad agendum itaque nil experientia videtur differre ab arte: quinimo videmus expertos magis id, quod intendunt, conſequi, quam illos, qui rationem abſq; experientia tenent. Cauſſa verò eſt, quod experientia ſingularium, ars verò univerſalium cognitio eſt. Actiones autem ac generationes omnes, circa ſingulare ſunt: non enim hominem, niſi per accidens, ſanat, qui medetur, ſed Calliam, aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui ſic dicuntur, cui accidit homini eſſe. Si quis itaque rationem abſque experientia teneat, & univerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt, ignoret, ſæpenumerò errabit à ſanando: id enim magis ſanabile eſt, quod ſingulare eſt. Nihilominus ſcire & cognoſcere magis arti, quam experientiæ arbitramur ineſſe: ac eos, qui artem tenent, quam eos, qui experientiam habent, ſapientiores eſſe putamus: eo quod ſapientia propter ſcientiam, magis omnes ſequitur. Hoc autem, quoniam illi quidem ſciunt cauſſam, hi verò minimè: experti enim ſciunt quidem quod eſt, propter quid autem, neſciunt: illi verò propter quid, & cauſſam cognoſcunt. Quare & eos, qui in quaque re architecti

Artium origo.

Scientia.

chirecti sunt, honorabiliores & doctiores, ac eis, qui manibus operantur, sapientiores putamus, quoniam caussas eorum, quæ fiunt, sciunt: illi verò, sicut & quædam inanimata, faciunt quidem, sed nescientia faciunt ea, quæ faciunt, ut ignis comburit: sed inanimata natura quadam, horum singula faciunt; manibus laborantes, propter consuetudinem.

*Quapropter* [1] Empiricos, qui sola experientia gloriantur, non laudarim. *Nam* [2] ad artium perfectionem tria oportet concurrere; naturam nimirum, rationem, & assuefactionem. Rationem verò intelligi volo doctrinam, & assuefactionis nomine exercitationem. Initia hoc in genere debentur disciplinæ, usus exercitationi, perfectio omnibus.

[1] *Plutarch. lib. anim. an corp. affect. peiores.*

Artis perf. requisita.

[2] *Idem de educ. libb.*

*Quare* [3] præstantissimi Medici evaderent, si ab ineunte ætate præter discendæ artis studium inter plurimos corpore malè affectos conversarentur, ipsique omni morborum genere laborarent, naturaque imbecilla essent. Neque enim corpus corpore curant.

[3] *Plato 3. de Rep.*

[4] Magnopere autem conducit, ut cùm invisis ægrotantes, diligenter de caussa morbi scisciteris: non sophistarum hoc more & supervacanea curiositate, ut instantias, incidentias, communitates in ore habeas, & medicarum vocum literarumq; peritiam ostentes: sed ut vilia hæc & vulgaria non obiter audias, redundantiam, defectum, defatigationem, insomnia: maxime autem eam victus rationem, qua is usus in febrim incidit.

[4] *Plutarch. in præc. San.*

*Qui verò multa cum pompa apud ægros de morbo, morbi caussa, & remediis differet, meritò audiet,* [5] quod hac in re plurimis medicorum in promptu semper esse solet: Non mederis ægrotanti, ô fatue, sed quasi doctrina, non sanitate indigeat, doces.

[5] *Plato 9. de Leg.*

[6] Non quærit æger Medicum eloquentem, sed sanantem. Sed si ita competit, ut idem ille, qui sa-

[6] *Seneca Ep. 75.*

nare poteſt, comptè de his, quæ facienda ſunt, diſſerat, boni conſulet.

[1] Plato 4. de Leg.

*Et certè* [1] Medicus non ante imperat, quam perſuaſerit. Atque ita perſuadendo ſemper manſuetè ad ſanitatem perducere ægrotantes conatur.

[2] Ariſt. 1. de part. animal. 1.

[2] Ubi enim vel per intellectum, vel per ſenſum medicus ſanitatem definierit, rationes & cauſſas rei, quam facit, reddere ſolet, & cur ita faciat, ſubjungit.

## CAP. II.

### *Recta medendi ratio.*

Medendi varietas.
[3] Iſocrat. de pace.
[4] Senec. Ep. 51.
Medendum jucundè.
[5] Plato 3. de Leg.
Medendum tutò.

MOrborum [3] corporis multæ ſunt & variæ curationes à Medicis inventæ: *Inter quas* [4] non eſt acerba medicina, quæ protinus delectat, dum ſanat. aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt.

[5] Medici igitur, quantum fieri poteſt, cum voluptate corpora curent, eisque jucundè medeantur. Pulcrè tamen ſæpenumerò habet ſi quis parva cum moleſtia bonam habitudinem, & ſanitatem corporibus reddat.

[6] Plutarch. de adul. & amic. diſcr.

[6] Quamvis *enim* humanus medicus ſomno aut victu mallet morbum depellere, quam caſtorio aut ſcammonio: *tamen, quia quæ grata, non ſemper æquè utilia*, ubi res poſcit, crocum nardumve adhibet. Et aliquando leni lavacro, alimentoque grato utitur: nõnunquam his omiſſis, caſtorium injicit,

*ἢ πόλιον βαρύοσμον, ὃ δὴ ῥίγιστον ὄδωδεν,*

*aut polium, tetrum latè quod jactat odorem,*

aut veratrum tritum potui exhibet: quod neque hic moleſtiam, neq; ibi voluptatem ſibi finis loco proponit, ſed utrobique utilitatem ejus reſpicit, quem curat.

[7] Dionyſ. Halic. Ant. Rom. 9.

[7] Peccant *itaque illi* Medici, qui ægrotis pro libitu

bitu morem gerunt. non enim ægra pars ſanabitur, ſed ſana inficietur contagio. *Nam* [1] pars ægra niſi medicina convenienti ſanetur, in reliquas etiam omnes morbum diffundit. [1] *Dion Hiſt.* 41.

[2] Oportet *igitur* optima & ſalutaria facillimis & jucundiſſimis anteferre. [2] *Demoſth. Philipp.* 2.

*Hinc rectè, ubi opus eſt*, [3] & medici alligant, & corporibus noſtris, ut medeantur, vim afferunt. [3] *Senec.* 4. *contr.* 8.

*Vbi itaque*

[4] *—triſti languebunt corpora morbo,* [4] *Virgil.* 4. *Georg.*
*Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis:* Medendum initio.

[5] in primis finibus hoſtis arcendus eſt. Nam cum intravit, & portis ſe intulit, modum à captivis non accipit. [5] *Senec.* 2. *de ira.*

*Sic* [6] omne malum naſcens facile opprimitur: inveteratumque fit plerumque robuſtius. [6] *Cicer.* 5. *Philipp.*

[7] Facilius *autem* eſt excludere pernicioſa, quam regere: & non admittere, quam admiſſa moderari. nam cum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi ſe minuive patiuntur. [7] *Seneca* 2. *de ira* 7.

*Quare* [8] medere amabo, dum eſt ἀρχή. [8] *Cicer.* 10. *Ep. ad Att.*

[9] *Principiis obſta. ſerò medicina paratur,* [9] *Ovidius* 1. *de rem.*
*Cum mala per longas invaluêre moras.*

[10] Quamvis levia initia morborum ſerpunt: & ægra corpora minima interdum mergit occaſio. [10] *Seneca Ep.* 85.

*Hinc ante omnia* Medendum opportunè.

[11] *—Medici quoque tempora ſervant.* [11] *Ovid.* 1. *Art.*

*Namque* [12] in morbis nihil eſt pernicioſius immatura medicina. [12] *Senec.* 1. *ad Helv.*

[13] Καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων, [13] *Sophocles Philoct.*
Πολὺ παρὰ πόδας κράτος ἄρνυται.
*Occaſio, quæ omnium conſilia ſuperat,* Occaſio.
*Vim magnam in promptu ſuppeditat.*

*Sed* [14] rei gerendæ occaſio præceps: [15] quia ſæpe uſu venit, ut multarum rerum & magnarum occaſio paulo momento temporis concludatur. [14] *Polyb.* 5. *Hiſt. Hipp.* 1. *Aph.* 1. [15] *Demoſth.* 2. *de falſ. legat.*

[1] Plutarch. Lucullo.

*Et ita* [1] Occasio medicamentis salutis adferendæ, & necis tribuit momentum.

[2] Plato de justo.

*Quapropter* [2] Medici est opportuno tempore Secare, Vrere, & Extenuare. *Namque*

[3] Ovid. art.

[3] *Temporibus medicina valet.*——

*Respicienda hic etiam morbi qualitas.*

[4] Cicero 1. Offic.

[4] Medici leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur.

[5] Senec. 1. de ira. 5.

[5] Nempe Medicus primo in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata vitæ dispositione firmare: proximus est, ut modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, subducit aliqua & circumcidit. si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec ulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est.

[6] Appian. de bell. Hisp.

[7] Dion Hist. 55.

[6] Summæ *verò* amentiæ est ob res leves discrimen adire. quare non solent Medici prius ustionibus aut sectionibus uti, quam medicamentis: *& nonnisi* [7] rarissimè sectiones & ignes adhibent, ne ipsa videlicet vitia corporis magis exasperent: pleraq; autem mitibus & lenibus medicamentis molliunt & sanant.

[8] Curtius Hist. 5.

[9] Cicero 10. Ep. ad Att.

[8] Graviores morbos, asperis remediis curant. *Alias enim* [9] imbecillior est medicina, quam morbus.

## CAP. III.

### *Contraria morborum remedia. & in medendo quid observandum.*

[10] Plutarch. in præc. polit.

E [10] morbo ad sanitatem redeundi initium, non fit ab una correptis morbo membris, sed tum, cum

cum rectè valentium partium temperies prævalens, id quod naturæ repugnabat depellit.

*Quare necessariò* [1] curationes ex contrariis rebus adhiberi solent. [1] *Arist.1.Eth.2.*

*Nam* [2] si omnia fieri vel ex contrariis, vel ex mediis soleant, constat ut illud ægrotet, quod vel siccius, vel humidius, vel tale aliquod est. Igitur ex nimis frigido in minus frigidum, & postremò in justam vicem caloris, vel siccitatis, vel humoris medicus adducit, transferens sese ex contrariis aut mediis ad eum habitum, qui sanitati accommodatus est: ex quo quidem nihil esse natura fert, nisi quod medium. [2] *Idem 30. Probl.8.*

*Itaque* [3] in corporibus Medicina sanitatem non internecione caloris aut frigoris, sed proportionis quærit atque conficit. [3] *Plutarch.de vita morali.*

Tempus exhibendi medicam.

*In ipsis autem accessionibus nihil movendum: tantum enim* [4] in remissionibus remedia prosunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem movendo incitaturi, nec cætera vitia dum fervent. Initia morborum quies curat. [4] *Senec.3.de ira 39.*

*Hinc* [5] Medicos quoque plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficere *rectè dixit Fabius.* [5] *Livius Hist.22.*

*Præterea*

[6] — ὅστι θέλει σ' ἰατρεύειν καλῶς,
Πρὸς τὰς διαίτας τ' ἐνοικούντων πόλιν,
Καὶ γῆν ἰδόντας, τὰς νόσους σκοπεῖν χρεών.
— *quotquot ritè medicari volunt,*
*Spectare debent ipsa terrarum sola,*
*Populiqui victum: ferre sic morbis opem.*

[6] *Eurip. incert.*

Soli & cœli observatio.

*Et quandoquidem*

[7] *Principium rerum, & custos natura latentum,*
*Fata quoque, & vitas hominum suspendit ab astris:*
*cœli etiam in medendo & syderum ratio habenda est.* [7] *Manil.3.*

*Præcipua undecima pars est in sorte levata,*
*Quæ summam nostri semper viresque gubernat.*
*Quaque valetudo constat nunc libera morbis,*
*Nunc oppressa, movent ut mundum sidera cumq;.*
*Non alia est sedes, tempusve genusve medendi*
*Quæ sibi deposcat, vel cujus tempore præstet*
*Auxilium, & vitæ succos præbere salubres.*

Ab universali incip.
[1] *Plato Charmide.*

[1] Periti medici ajunt, non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari. Hac de caussa regulis quibusdam toti conferentibus utuntur, & à toto ad partem transeunt.

[2] *Zamolxis ibidem.*
Corpus non cur. sine Anima.

[2] Et quemadmodum oculos sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput: ita neque sine anima corpus. Eaque caussa est, cur medicos Græcos morbi corporis multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet: quo malè affecto, impossibile est partem aliquam bene valere. Omnia namque vel bona vel mala ab anima in corpus, & hominem totum manant, indeque similiter ut ex capite in oculos effluunt. Illa igitur primum, & maximè curanda, si modo caput, & universum corpus bene valere debeat.

[3] *Senec. Ep. 79.*

*Non latuerunt ista Philosophum*; [3] Hæc ipsa, *inquit*, quibus acquiescebam, medicinæ vim habuerunt. In remedium cedunt honesta solatia, & quicquid animum erexit, etiam corpori prodest. Studia mihi nostra saluti fuêre; Philosophiæ acceptum fero, quod surrexi, quod convalui. Illi vitam debeo, & illi nihil minus debeo. Multum mihi ad bonam valetudinem contulerunt amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus allevabar. Nihil æquè ægrum reficit atque allevat, quam amicorum affectus. nihil æque expectationem mortis ac metum surripit.

Rectè

*Rectè etiam* [1] Medici toto corpore curando, minimæ etiam parti, si condoluit, medentur.

Parti etiam minimæ medendum.

[2] Cum *enim* Medici totum corpus curare velint ac possint, si magnis providerint, parva contempserint, nunquam bene tunc se totum habebit.

*Itaque* [3] in corporibus ægris, nihil quod nociturum est, Medici relinquunt.

*Nam* [4] parva scintilla contempta, magnum excitavit incendium.

Recidiva morbo gravior.

*Et* [5] gravius ægrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt.

[6] Quare & instare proficientibus, & ab iis, quæ nõ adjuvant, quam mollissimè pedem oportet referre. Faciunt hoc Medici, ut remedia perinde perseverent adhibere, vel desinant, ut illa recipi, vel respui vidẽt.

*Quamvis verò* [7] nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio: *tamen* [8] ubi usitata non procedunt, tentant contraria.

Remediorũ mutatio.

*Ita* [9] Augustus distillationibus, jocinere vitiato, ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessariò subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa: [10] quamobrem etiam pecunia ei ab Augusto multa, ususque annuli aurei (libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi modo, sed omnibus eandem artem exercentibus in posterum quoque tempus concessa. Verum enimverò ut palam convinceretur hic Musa fortunæ fatique sibi arrogasse, evenit paullo post, ut Marcellus ægrotans, eademque ratione à Musa eodem curatus, mortem obiret.

[11] Non ideo vitia in usum recipienda sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. nam & febres, quædam genera valetudinis levant: nec ideo non ex toto illis caruisse melius est. Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo.

1 *Cicer. 4. Tusc.*
2 *Plato 10. de Leg.*
3 *Curtius 5. Hist.*
4 *Cicer. 12. Ep. fam.*
5 *Quintil. 6. Orat. 5.*
6 *Senec. Ep. 2.*
7 *Idem 1. de Clem. 9.*
8 *Sueton. in Oct.*
9 *Antonius Musa.*
10 *Dion Hist. 53.*
11 *Senec. 1. de ira 12.*

CAP.

## CAP. IV.

### *Aegrotantium pharmacia, & diæta.*

Remediorũ varietas.

[1] *Euripid.*

*REmedia morbis diversis diversa sunt.*

[1] —— ἄλλ᾽ ἐπ᾽ ἄλλῃ κεῖ) νόσῳ.

*Quod etiam ob corporum varietatem necessarium fuit.*

[2] *Ovid. 2. de rem.*

[2] *Corpora vix ferro quædam sanantur acuto;*
*Auxilium multis succus & herba fuit.*

*Præterea*

[3] *Idem 2. Trist.*

[3] *Nil prodest, quod non lædere possit idem.*
*Eripit interdum, modo dat Medicina salutem,*
*Quæq; juvet monstrat, quæque sit herba nocens.*

[4] *Plin. 22.27.*

[4] Naturæ quidem opera absoluta atque perfecta gignuntur: paucis ex caussa non ex conjectura rebus assumptis, ut succo aliquo sicca temperentur ad meatus, aut corpore alio humentia ad nexus. Scrupulatim quidem colligere ac miscere vires, non conjecturæ humanæ opus, sed impudentiæ est. Nos nec Indicarum Arabicarumque mercium, aut externi orbis attingimus medicinas. Non placent remediis tam longè nascentia: non nobis gignuntur: imò ne illis quidem, alioquin non venderent.

Exoticis non utendum.

[5] *Idem 24.1.*

*Optima simplicia.* [5] Hinc nata medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia, ac sine impendio, ex quibus vivimus. Postea fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinas invenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones & misturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur, ulcerique parvo medicina à rubro mari imputatur,

[6] *Alexis apud Athen. 2. Vide Erasm. 3.9. Adag. 38.*

([6] Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρορῶμεν συγγενές.
*Aliena amamus, proximum contemnimus.*)

cum remedia vera pauperrimus quisque cœnet.

*Quo-*

*Quoniam verò nonnulli sunt affectus, qui simplicibus curari nequeunt: medicamenta,* [1] *quæ hujusmodi* morbis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis inter se effectibus componi videmus, quorum ex diversis fit illa mistura una, quæ nulli earum similis est, quibus constat, sed proprias vires ex omnibus sumit: & multa animalia mellis illum inimitabilem humanę rationi saporem vario florum ac succorum genere perficiunt.

[1] *Quintil. 1. Orat. 10.*

[2] Etiamsi omnia à veteribus inventa sunt: hoc semper novum erit, usus & inventorũ ab aliis scientia & dispositio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus sanarentur oculi, non opus est mihi alia quærere, hæc tantum morbis & temporibus aptanda sunt. Hoc asperitas oculorum conlevatur. hoc palpebrarum crassitudo tenuatur. hoc vis subita, & humor avertitur. hoc acuitur visus. Teras ista oportet, & eligas tempus, adhibeas singulis modum.

[2] *Seneca Ep. 64.*

[3] Medici ad certum morbum adhibito medicamento, id facultate ejus perspecta transferunt, deinde & accommodant ad quæcunque similia.

[3] *Plutarch. de audiend. poëtis.*

*Et* [4] diuturnis vexati morbis, quando de usitatis remediis, & consueta victus ratione desperaverunt, ad lustrationes, amuleta, & Somnia se convertunt. Amuleta.

[4] *Idem de fac. lunæ.*

[5] Scriptum reliquit in Ethicis Theophrastus, ægrum Periclem amico cuipiam, qui ipsum invisebat, amuletum ostendisse, à mulieribus ex collo suo suspensum, quasi, cum eas etiam tolleraret ineptias, graviter admodum ægrotaret.

[5] *Idem in vita.*

[6] —σὺ δὲ
Τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην.
*—Tu verò irritam*
*Nil profuturis abstine operam impendere.*

[6] *Æschylus Prometh.*

*Quod ad diætam;* Diæta.

[7] Medicus tibi quantum ambules, quantum exerceaaris, monstrabit. Ne indulgeas otio, ad quod vergit

[7] *Senec. Ep. 79.*

git iners valetudo; ut legas clarius, & ſpiritum, cujus iter & receptaculum laborat, exerceas; ut naviges, & viſcera molli exercitatione concutias: quibus cibis utaris, vinum quando virium cauſſa advoces, quando intermittas, ne irritet & exaſperet tuſſim.

[1] *Idem 2. de Benef. 2.*

*Præcipuè verò* [1] in ægris opportunitas cibi ſalutaris eſt.

[2] *Plato Sophiſta.*

[3] *Hippocr. 10. Aph. 9.*

[2] Medici tradunt, ſalubribus epulis non prius nutriri corpus, quam impedimenta pellantur: & [3] impura corpora, quò magis nutriantur, eò magis lædi.

Vinum quibus non exhibend.

[4] *Plin. 23. 1.*

[4] Vinum in acutis periculis, nullis dandum, niſi qui manifeſtas remiſſiones habeant: & has noctu potius: dimidia enim pars periculi eſt noctu, hoc eſt, ſpe ſomni, bibentibus: nec à partu abortuve, nec à libidine ægrotantibus, nec in capitis doloribus, nec quorum acceſſiones cum frigore extremitatũ fiant, nec in febribus tuſſientibus, nec in tremore, nervorumque doloribus vel faucium, aut ſi vis morbi circa ilia intelligatur, nec in duritia præcordiorum, venarum vehementia, neque in opiſthotono, tetano, nec ſingultientibus, nec ſi cum febre dyſpnœa ſit. Minimè verò oculis rigentibus, & genis ſtantibus, aut defectis gravibusque: nec quorum conniventium perlucebunt oculi; vel ſi lemæ in oculis erunt. Minimè lingua fungoſa, nec gravi, & ſubinde imperfecta loquentibus: nec ſi urina difficile reddetur, neque expaveſcentibus repente, nec ſpaſticis, aut rurſus torpentibus, nec ſi per ſomnos genitura effundetur.

[5] *Senec. Ep. 68.*

[5] Id autem maximè tracta, quod in te infirmiſſimum ſenties. Nota habet quisque corporis ſui vitia. itaque alius vomitu levat ſtomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito jejunio corpus exhaurit & purgat. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino, aut balneo abſtinent: in cætera negligentes, huic à quò ſæpe infeſtantur, occurrunt.

[1] Nec

[1] Nec desperaveris etiam diutinos ægros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa invitos & facere coëgeris & pati. [1] *Idem Ep.25.*

*Pessimè igitur* [2] ferè domestici & familiares Medici, ægris corporibus, non qua optimum & celerrimum est, medentur, sed qua licet. [2] *Idem de const. Sap.*

[3] Nullam *verò* habet spem salutis æger, quem ad intemperantiam Medicus hortatur. [3] *Idem Ep. 123.*

[4] Nullum finitur vitium ibi, ubi oritur. [4] *Val. Max. 9. 1.*

[5] Reor equidem hominem consulentem ægroto & circa victum intemperato, inprimis hoc suadere debere, ut modum vivendi mutet: ac si ægrotus in hoc obediat, tunc alia jam illi ad medelam cõferre. [5] *Plato Ep.7.*

## CAP. V.

## *Quid Medico in desperatis agendum.*

QVamvis omnia ritè fiant: tamen

*[6] Non est in Medico, semper relevetur ut æger,*
*Interdum docta plus valet arte malum.* [6] *Ovid. 1. de Pont. 4.*

[7] Initia in potestate nostra sunt, de eventu fortuna judicat. [7] *Senec. Ep.14.*

*Sed licet* [8] morbos insanabiles non vincat: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in solatium. [8] *Idem Ep.94.*

*Non possis oculo quantum contendere Lynceus,*
*Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;*
*Nec quia desperes invicti membra Glyconis,*
*Nodosa corpus nolis prohibere podagra.*
*Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.*

*At* [9] desperatis Hippocrates vetat adhibere medicinam. [9] *Cicer. 16. Ep. ad Att.*

*Quamobrem* [10] si ejusmodi sit malum, ut commode possimus aggredi, aggredimur, totoque adnitimur studio, ut ægrotum servemus. Sed si affectum jam invaluisse, superasseque viderimus, nec manum omnino admolimur, idque vetustam quan- [10] *Lucian. Abdicato.*

dam primorum medicinæ parentum legem obſervantes; qui negant tentandos, qui jam invaluerunt.

[1] Gal. 11. Meth. 9. [1] In quo enim deplorata omnino ſalus eſt, imprudentis conſilii fuerit, apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti.

[2] Cicer. 9. Ep. ad Attic. *Quia tamen* [2] ægroto, dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur,

[3] Ovid. 1. de Pont. 7.
[3] *Sæpe aliquem ſollers Medicorum cura reliquit,*
*Nec ſpes huic vena deficiente cadit.*

[4] Senec. 1. de ira 6. *Et* [4] Medici, quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præſtant.

[5] Senec. Ep. 29. [5] In ipſa deſperatione extrema remedia tẽtanda.

[6] Celſ. 1. *Ita Alexandro magno* [6] præſtabat anceps remedium experiri, quam nullum.

[7] Curtius Hiſt. 3. [7] Hic ſudore perfuſus deſcendit in flumen, vixque ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Expiranti ſimilem miniſtri manu excipiunt, nec ſatis compotem mentis in tabernaculum deferunt. [8] Hic quum ex cæteris medicis remedium nemo promitteret, ſed periculum exiſtimantes omnis ſuperius opis eſſe, timerentque obtrectationem apud Macedonas: Philippus Acarnan ſpem ſalutis quidem in præcipiti videbat eſſe, verum amicitia ejus fretus, & indignum ratus, ſi cum rege in diſcrimine poſito non una diſcrimen ſubiret, nec ultima diſcrimina tentaret, vel cum periculo curationem aggreſſus eſt. [9] Is non præceps ſe, ſed ſtrenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum eſſe promiſit. Nulli promiſſum ejus placebat, præter ipſum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quam moram perpeti poterat, &c. id ipſum, quod poſt diem tertium, medicamentum ſumpturus eſſet (ita enim Medicus prædixerat) ægrè ferens. Inter hæc à Parmenione fidiſſimo purpuratorum literas accipit,

[8] Plutarch. in vita.

[9] Curt. cit.

pit, quibus ei denuntiabat, ne ſalutem ſuam Philippo committeret; mille talentis à Dario, & ſpe nuptiarum ſororis ejus eſſe corruptum. Ingentem animo ſolicitudinem literæ incuſſerant, & quicquid in utramque partem aut metus, aut ſpes ſubjecerat, ſecreta æſtimatione penſabat. Bibere perſeverem? ut ſi venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quicquid acciderit, eveniſſe videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergò me opprimi patiar? At ſatius eſt, alieno me mori ſcelere, quam metu noſtro. Diu animo in diverſa verſato, nulli quid ſcriptum eſſet enuntiat, epiſtolamque ſigillo annuli ſui impreſſo, pulvino, cui incubabat, ſubjecit. Inter has cogitationes biduo abſumpto, illuxit à medico deſtinatus dies. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viſo, Alexander, levato corpore in cubitum, epiſtolam à Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens accipit poculum, & haurit interritus: tum epiſtolam Philippum legere jubet, nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendere. Ille epiſtola perlecta, plus indignationis, quam pavoris oſtendit: projectiſque amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc verò (arbitror) ſacro & venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi objectum eſt, tua ſalus diluet. Servatus à me vitam mihi dederis, oro, quæſoque: omiſſoque metu, patere medicamentum concipi venis. Laxa pauliſper animum, quem ſolicitudine intempeſtiva amici ſanè fideles, ſed moleſtè ſeduli turbant. Non ſecurum modo hæc vox, ſed etiam lætum regem, ac plenum bonæ ſpei fecit. Itaque ſi dii, inquit, Philippe, tibi permiſiſſent, quo maximè modo animum velles experiri meum, alio profecto voluiſſes. Sed certiore, quam expertus es, ne optaſſes quidem.

Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: & nunc credo, te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum. Hæc elocutus, dexteram Philippo offert. Cæterum tanta vis medicaminis fuit, ut quæ sequuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus arctè meabat, nec Philippus quicquid inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore, excitavit. Atq; ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris, sororumque, modo tantæ victoriæ appropinquantis admonere non destitit. Ut verò medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primo animus vigorem suum, deinde corpus quoq; expectatione maturius recuperavit. Quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidius ipsum Regem, quam Philippum intuebatur exercitus, pro se quisq; dexteram ejus amplexi, grates habebant, velut præsenti Deo.

*Lipothymiæ remedia.*

[1] Dignus fuit Alexander, qui innocentem haberet, dignus qui faceret.

[2] Nihil *autem* magis ægris prodest, quam ab eo curari, à quo volunt. Temerariis remediis graves morbi curantur.

[3] Nec prodesse Pheræo Jasoni voluit is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare Medici non poterant.

[4] Tuber quidam tyranni gladio divisit, qui ad eum occidendum venerat.

[5] Ἐκ θοίνης φάος ἔσχεν ἐπ' ἀχράδα μηκὰς ἰοῦσα,
Ἐκ δ' ἐφάνη τυφλὴν μηκέτ' ἔχουσα κόρην.
Διοσῶν τὴν ἑτέρην γὰρ ἐκέντρισεν ὀξὺς ἀκάνθης
Ὄζος. ἴδ' ὡς τέχνης δένδρον ἐνεργότερον.

[6] *Nacta suo è pastu est chari quoq; luminis usum,*
*Agrestem accedens cæca capella pirum.*

*Altera*

*1 Senec. 2. de ira 23.*
Confidentia ægri.
*2 Senec. 4. Contr. 5.*
*3 Cicer. 3. de nat. Deor.*
*4 Senec. 2. de Benef. 19.*
*5 Antiphil. 1. Epigr.*
*6 Roverius vertit.*

*Altera nam spinis fuerat male pupula læsa.*
*Ecce ferus docta plus valet arte frutex.*

[1] Multos fortuita sanant, nec ideo remedia sunt, & in flumen alicui cecidisse frigore magno, caussa sanitatis fuit: quomodo quorundam flagellis quartana discussa est, & metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit: nec ideo quicquam horum, etiamsi saluti fuit, salutare est.

[1] *Senec. 6. de benef. 8.*
Quartanæ mira curatio.
Metus repentini vis.

[2] Quod si quis humana omnia fortunis agi in navigatione, gubernatione, medicina, militari imperio affirmaverit, rectè videbitur dicere.

[2] *Plato 4. de Leg.*

## CAP. VI.

### *Quid ægrotis faciendum sit.*

DE *medentis officio hactenus.* [3] Sed non satis esse *dixit Hippocrates*, Medicum suo probè fungi munere, nisi etiam æger fungatur suo, *& Medico se præbeat obsequentem.*

[3] *Aph. 1.*
Ægroti obsequium.

[4] Quæ *enim* spes sanitatis ægrotantibus, si non per omnia Medicis obtemperent? quam tuta navigatio, si nautæ gubernatoris jussis non pareant?

[4] *Dion Hist. 41.*

*Et* [5] non rectè Tiberius Cæsar dixit, turpe esse ei qui sexagesimum ætatis annum excesserit, manum medico porrigere.

[5] *Plutarch. an seni sit ger. resp.*

*Quin potius*
[6] *Si latus, aut renes morbo tentantur acuto,*
*Quære fugam morbi,*
*Medicum voca, & curatus cura* [7] ut medico honos habeatur.

[6] *Horat. 2. Sat. 3.*
Merces.
[7] *Cicer. 16. Ep. fam.*

[8] Medico in majus referri gratia non potest. Solet enim & Medicus vitam dare.

[8] *Senec. 3. de benef. 36.*

*Et* [9] quamvis Sanitas videatur de fato, debetur *tamen* Medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.

[9] *Idem 2. Nat. 37.*

[1] Idem 6. de benef. 15.

[1] Medici *autem* & præceptoris apud nos magna caritas, magna reverentia eſt. Quædam pluris ſunt, quam emuntur. Emis à medico rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Itaque huic non rei pretium, ſed operæ ſolvitur, quod deſervit, quod à rebus ſuis avocatus nobis vacat. mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ fert.

[2] Idem 6. de benef. 16.

[2] Quare Medico plus quiddam debeo, nec adverſus illum mercede defungor? Quia ex medico in amicum tranſit, & nos non arte, quam vendit, obligat, ſed benigna & familiari voluntate. Itaque Medico, qui nihil aliud, quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine ullo affectu facienda vitandave præcipiens, nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam imperatorem: [3] qui ita videtur & ſalutatur à togatis, ut ave dicto diſcedant.

[3] Salmaſ. not. in Spartian.

[4] Plutarch. de lib. educ.

[4] Omnia quæ *de medendi methodo* expoſuimus, ut in unum concurrant, atque ſimul conjungantur, optari fortaſſis rectius poteſt, quam mandari. Pleraque verò præcepta ſequi & imitari, res quidem hæc ipſa eſt fœlicitatem requirens, magnamque accurationem: poteſt tamen ab humana præſtari natura.

## CAP. VII.

### *De Venæ Sectione, & Purgatione.*

*MEdendi methodo certis legibus ſtabilita, particulatim in unoquoque remedii genere accuratius verſandum. Quoniam autem humores vel cum quantitate peccant, Plethoram vocant, vel cum qualitate, quod vitium Cacochymia dicitur, Morborum cauſſæ fiunt: duo iis oppoſuere remedia, huic Purgationem, illi Venæ ſectionem.*

Venæ ſectionis inventio.

*Venæ ſectionis uſum Hippopotamo debemus, belluæ,*

quæ

*quæ in Nilo degit.* *Nam ut multa*[1] à mutis animalibus reperta sunt, usui futura & homini. Dictamnum herbam extrahendis sagittis cervi monstravere, Chelidoniam visui saluberrimam hirundines: *ita*[2] Hippopotamus in hac medendi parte etiam magister extitit. Assidua namque satietate obesus exit in litus, recentes arundinum cæsuras speculatur: atque ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit.

[1] *Plinius* 8. *Nat.*27.

[2] *Ibid.*26.

Hippopotamus.

*Itaq;*[3] ut quadrupedes dum viridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractione curantur, & sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt: ita quisque sciat sibi quoque tenuandas adipes, & quicquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sanus ac robustus volet.

[3] *Quintil.* 2. *Orat.*9.

[4] Sicut athletarum corpora, etiamsi validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamen esse naturalia, atque ab illa specie, quæ sit concessa hominibus, abhorrere *Medici statuunt: & Hippocrates*[5] *eorum habitum, ubi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubricum esse, cum non possit eodem statu manere, neque quiescere, ideoque in deterius labi. Nam*[6] cum grave multo sanguine est corpus, partes semper aliquæ rumpuntur.

[4] *Idem* 12.10.

[5] *Hipp.* 1. *Aph.*3.

[6] *Senec. de brev.vit.*7.

*Quibus de caussis, inquit Hipp.*[7] pleniorem illum corporis habitum haud cunctanter solvere expedit, quo corpus alterius nutricationis initium sumat.

[7] *Hippocr.*1. *Aph.* 3.

*Itaque*[8] Medicus multum corrupti sanguinis ubi subduxit, modicum innoxii alimenti suggerit.

[8] *Plutarch.in præc. Pol.*

*Cum sanguis aliqua in parte ita inhæsit, ut nec secta vena, nec medicatione revelli possit, ab ea potissimum parte, qua offenditur, educendus est remediis, quæ ei ipsi parti liberandæ insideant. Ejusmodi sunt hirudo, & cucurbita, quæ à parte jam*

Hirudo.

*æsa sanguinem manifestè exhauriunt.*

[1] Theocr. Id. 2.

[1] Αἰαῖ ἔρως ἀνιηρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

*Heu heu amor tristis, cur meo nigrum ex corpore*
*sanguinem*
*Inhærens, sicut palustris omnem hirudo suxisti?*

Cucurbitula.

[2] Plutarch. de exilio.

[2] Cucurbitulæ humorem è corpore pessimum trahentes, allevant & servant reliquum.

[3] Idem in Plat. quæst.

[3] De Cucurbitula res ita habet. Aër carni proximus ab ea cum calore comprehensus & inflammatus, rariorque quam sint aëris meatus redditus, excidit non in vacuum spatium (quod nullum est) sed in eum aërem, qui foris ambit cucurbitulam, eumque impellit: is ante se situm. atque ita semper aër aërem impellit cedentem, appetens succedere in locum vacuatum prioris cessione. sic autem aër accidens ad carnem à cucurbitula comprehensam, atque effervescens, simul humorem in cucurbitulam elidit.

*Malo more quidam nulla necessitate sibi quotannis venam secari aut purgantia exhiberi curant: & ita utiles humores evacuant.*

[4] Plutarch. in præc. Polit.

[5] Idem non posse suav. vivi sec. Epicur.

[4] Qui sine medico, neque sanare, neque lavare sunt assueti, ne tantum quidem, quantum natura concessit, sanitate fruuntur. *Et* [5] medicamenta non commoda, sed necessaria, sublevant quidem ægros, sed sanos lædunt atque divexant.

[6] Plato Timæo.

[6] Medicorum illa purgatio, quæ pharmacis, id est solutivis medelis fieri solet, tunc demum, cum summa cogit necessitas, utilis. Morbi enim, nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt.

Vomitio.

*Pharmaca illa vel vomitu, vel dejectione, vel clystere purgant.*

[7] Herodot. 2. Hist. 78.

[7] Ægyptii singulis mensibus triduo purgant se vomendo atque intestina clystere diluendo, gratia sanitatis conservandæ: existimantes omnes languores

res hominibus creari ex cibis, quibus aluntur.

[1] Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimicæ oculis maximè ac dentibus. [1] *Plin. 11. 53.*

[2] Paucis ante seculis medicorum ingeniis repertum *est*, vomitione canes purgare alvos. [2] *Cicer. 2. de nat. Deor.*

[3] Vomitiones quoq; hoc animal monstrasse homini videtur. [3] *Plin. 29.4*

[4] Simile quiddam & volucris in Ægypto monstravit, quæ vocatur Ibis: rostri aduncitate per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est. [4] *Idem. 8. 27.*

Clyster. Purgatio.

*Clysteres corpus minimum turbant: at* [5] Vomitus & Purgationes ventris per medicamenta, turpia redundantiæ remedia, sine magna necessitate non debent usurpari. quod vulgò faciunt, vacuationis caussa replentes corpus, & rursum repletionis caussa exinanientes, contra naturam non minus repletionis quam vacuitatis intolerantes: imò prorsus & plenitudinem, ut impedimentum fruitionis molestè ferentes, & vacuando subinde receptaculum voluptatibus parantes: cum quidem evidens sit, quid damni inde sequatur: utroque enim corpus conturbatur & convellitur. Alvi autem conturbationes, ubi medicamentis corrumpuntur atque liquantur certi humores, plus addunt superflui, quam educunt. & sicut Græcus gravissimè erraret, qui Græcæ in urbe turbæ multitudinem molestè ferens, Arabibus & Scythis convenis urbem impleret: ita nonnulli longissimè à recta ratione absunt, qui ejiciendorum è corpore redundantium humorũ caussa, qui familiares & corpori consueti, in corpus injiciunt coccos Gnidios, scammoniam, aliaque medicamenta à temperie corporis aliena & sæva, ac quæ expurgari debeant potius, quam corpus purgare possint. Hac igitur in re optimum est, mode- [5] *Plutarch. in præc. Sanit.*

rata & temperante victus ratione corpus ita comparare, ut ultrò sit ad evacuationes, & repletiones rectè compositum. Quod si tamen aliquando necessitas efflagitet, vomendum est, citra tamen medicamenti usum & nimiam operam, nulla corporis cum conturbatione: sed iis quæ redundant sponte sua per gulas foras redeundi permittenda, cruditatis vitandæ caussa, facultas. Sicut enim lintea, quæ saponibus aut nitro detergentur, mundiora redduntur, quam si aqua eluerentur: ita medicati vomitus corpori noxam perniciemque inferunt. Ubi autem astricta fuerit alvus, nullum ad eam laxandam medicamentum ita valet, ut cibi nonnulli, qui & molliter eam irritant, & solvunt placidè. quorum & peritia familiaris *ex iis quæ supra scripsimus*, & usus doloris vacuus est. quibus tamen si non moveatur, adhibenda est aliquot dierum potio aquæ, aut inedia, aut clyster potius, quam conturbantia & corrumpentia corpus medicamenta ista, quæ nonnulli arripiunt, quomodo libidinosæ mulieres abortus aut fœtus interitum efficientia pharmaca, ut impleri rursum & voluptates possint percipere.

*In valetudinariis tamen & ægris Purgationes sæpè necessariæ. In illis commodè feceris,*

Purgandi tempus. [1] *Horat. art.* [2] 1. *Aph.* 22. [3] *Arist.* 3. *Polit.* 15.

[1] *Si purges bilem verni sub temporis horam.*

*Sed, monente Hippocrate,* [2] cocta medicanda, non cruda.

*Et* [3] in Ægypto post diem quartum movere licet Medicis: quod si ante id tempus medicinam facere conentur, suo periculo faciunt.

*Excutienda hic duo de purgantibus medicamentis Problemata.*

Purgandi vis unde. [4] *Idem* 1. *Probl.* 48.

[4] Cur medicamenta, & res amaræ, aut fœdi odoris, magna ex parte purgare possint? An quoniam amara quæcunque, maleque olentia concoqui nequeunt? qua de caussa medicamenta quoque amara

sunt,

sunt, atque fœtida. Quod enim concoctionem nullam sibi admittunt, movereque cum amaritudine possunt, hinc medicamenti sortiuntur naturam. Et si justo plus data sint, periment. Quæ autem necant, etiamsi exigua dentur, hæc non medicamenta, sed toxica esse dicimus. Ne illa quidem medicamenta vocamus, quæ non sui generis qualitate purgare queant. Sunt enim pleraque in genere cibi, quæ si largè sumantur, facere idem poterunt, ceu lac, oleum, mustum. Sed hæc omnia, quod minus facile concoquuntur, idcirco purgant: nec omnes, sed aliquos. Sunt enim aliis alia concoctu facilia difficiliave. Quamobrem non eadem medicamenta omnibus sunt, sed propria plerisque comperiuntur. Denique medicamentum, non solum concoctionis immune, sed etiam motus efficiens esse debet: sicut & exercitandi ratio extrinsecus illa quidem, aut intrinsecus accedens, non nisi per motum alienam excernit materiam.

Purgandi diversa via unde.

[1] Arist. 1. Probl. 42.

[1] Cur *autem* alia ventrem movent superiorem, ut veratrum; alia inferiorem, ut scammonea; alia utrumque, ut elaterium, & thapsiæ succus? An quod ex medicamentis, quæ ventrem movent, alia frigida, alia calida sunt? itaque alia propter suum calorem protinus ut in superiori ventre fuerunt, loca petunt superiora, ac inde liquefaciendo, maximè quæ aliena sunt, minusque insidentia, sed etiam quæ insunt naturæ intima, medicamento scilicet potentiori epoto, aut copiosiori, quam natura patiatur, tam ea ipsa quam quæ excrescentia adfuerint, in ventriculum deducunt: hîc verò fervore excrementa perturbant, flatumque excitant multum, qui obsistens, vexansque, demum vomitum movet. alia quod natura frigida sunt, deorsum versus pondere suo labuntur, etiam prius, quam quicquam, vel afficiantur, vel agant, ac inde proficiscentia, idem actitant

tant, quod superiora: ubi enim per adita foramina illinc ascenderunt, atque agitarunt, eodem tramite secum, quæ corripuerint, excrementa, colliquamentaque deducunt: at genus medicamenti, quod qualitatis utriusque particeps, mistumque ex calido, frigidoque est, hoc ob eam utramque facultatem rem potest utramque conficere. Hinc & Medici mistis cibi generibus sæpe medicinas componunt.

---

## LIB. III.

# DE MORBIS TOTIVS CORPORIS.

*Summa morborum symptomatumque genera, & eorum caussas atque signa, tum & remedia generosiora exposui: restat ut morborum differentias omnes, speciesque nunc sigillatim persequar, veterum instituto & ordine, quoad licet, observato. De Febribus itaque primum scribam, deque morbis, qui totius sunt corporis: hinc ad eos dein pergam, qui uniuscujusque partis proprii.*

## CAP. I.

### *Febris etymologia, nomina, definitio, differentiæ, caussæ, signa, curatio. Febricitantium diæta.*

Febris nomina, & etymon.

*FEbrem esse morbum calidum, vel ipsa appellatio, qua communem notionem & consensum quasi omnium hominum proponit, satis innuit.*

*Græci enim febrim ἀπὸ τοῦ πυρὸς, πυρετὸν seu πυρεξίαν,* [1] & Hipp. absolutè πῦρ, inprimis si sit ardentior, nominat. *Sic etiam* [2] Ionibus θερμωλὴ vocatur. *Latinis* [3] Febris à fervore dicta. Est enim abundantia caloris: *vel* [4] ab antiqua voce februo, quæ à ferveo deducitur. [5] Februum *autem* Sabini purgamentum vocarunt; quod quæ deferbuerunt, pura sint.

[1] *Gal. 3. de fract.* 8.
[2] *Hesych.*
[3] *Isidor.* 4. 6.
[4] *Scalig. ad Varr.*
[5] *Varro* 5. *L.L.*

nt. *Orientales itidem lingua ab incendio deducta voce, Febrem denominare solent. Germani contra à præcedente horrore,* daß kalt wehe/der fröter. *Belæ olim* die Zage/ *quæ vox metum denotat, dicebant, (ut Latini veteres* Querqueram; *nec multum abit ipsum Febris nomen à φόβ@, sive φοβερός) nunc* die Coortse/ *forte à* Cooren/ *quod nauseare significat: vel à* cozten / *id est curtare, quia attenuat.* *Ita* [1] arida febris Virgilio, *quia arida efficit corpora. Tam frequens autem hic morbus, ut quidam veterum neminem sine illa mori contenderint: & febris vocem pro quovis morbo posuerint. Sic &* [2] νόσους *Hesiodi* [3] febres *vertit Horatius.*

[1] *Servius in 3. Georg.*
[2] *Oper. & d.*
[3] *1.Od. 3.*

Febris fanum & ara.

*A Romanis* [4] dum esse placatam trepido metu cupiunt, etiam publicè Febri fanum in palatio dicatum est, Orbonæ ad ædem Larinum ara: [5] eique sacrificabant, *ne noceret.*

[4] *Plin. 1.7.*
[5] *Clem. Alex. in protrept.*

Febris definitio.

*Febris est calor præter naturam è corde in omne corpus effusus:* [6] neque enim in nobis febris alias partes moderatius impellit, sed per omnes pari æqualitate discurrit.

[6] *Senec. 6. Nat. 14.*

[7] *Quippe, ubi cui febris bili superante coorta est,*
*Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi,*
*Perturbatur ibi totum jam corpus.*

[7] *Lucr. 4.*

[8] Erasistratus Febrim sic definit: Febris motio est sanguinis illapsi in pulmonis vasa, non proficiscens à nostra voluntate. Sicut enim mare nemine commovente quiescit, vento autem contra naturam incidente violento totum exagitatur, inque circulos torquetur: sic & in corpore ubi commotus fuerit sanguis, incidit in vasa spiritui destinata, ibique excandescens calorem toti corpori adfert.

[8] *Plutarch. 5. de plac. Philos. 29.*

Febrium differentiæ.

*Febris alia continua est, alia intermittens. Continua rursus duplex, una vera & primaria, altera symptomatica, quæ* [9] alterius morbi est appendix. Hoc autem apparet, febrim vulneribus, ar-

[9] *Plutarch. cit.*

dentibus

dentibus abscessibus, & bubonibus comitari.

*Plato Timæo.* [1] Quando igitur corpus ignis potissimum excessu languet, Continua febre laborat: quando verò aëris, Quotidiana discreta. Aquæ Tertiana, propterea quod aqua segnior est, quam ignis & aër. Terra siquidem omnium tardissima, quarto gradu cum sit, temporis circuitu quarto fervet, defervetque: hinc Quartanas invehit febres; [2] quarum reversione & motu quid potest esse constantius?

[2] *Cicer. 3. de nat. Deor.*

[3] *Plin. 7. 50.* *Neque modo* [3] diebus noctibusque trinis quadrinisve remeant, *sed* etiam toto anno.

Febris annua.

[4] *Plin. 7. 51.* [4] Antipater Sidonius poëta omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febri, & eo consumptus est satis longa senecta. Quibusdam perpetua febris est, ut C. Mecœnati.

Febris perpetua.

Febrium caussæ externæ.

*Externæ Febrium caussæ, quæcunque calidiorem intemperiem inferunt: ut est inter alia Solis æstus circa ortum caniculæ, seu Syrii.*

[5] *Homer. Iliad. 22.*

[5] Λαμπρότατος μὲν ὅγ᾽ ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.
*Splendidissimus quidem hic est, malum autem signum factus est*
*Et fert multam febrem miseris mortalibus.*

[6] *Virgil. 10. Æneid.*

[6] *Ille sitim, mortemque ferens mortalibus ægris*
*Nascitur, & lævo contristat lumine cœlum.*

*Lassitudo item laborque vehemens,*

[7] *Horat. 1. Ep. 7.*

[7] *Officiosaque sedulitas, & opella forensis*
*Adducit febres, & testamenta resignat.*

[8] *Cicero 10. Ep. fam.*

*Ita quidam apud Ciceronem* [8] ex labore in febriculam incidit assiduam & satis molestam.

*Graviores caussæ sunt cruditas, sive ex nimia cibi copia & belluatione, sive ex vino meraciore, sive ex fructuum corruptorumque ciborum esu contracta. Exemplo sit ficuum viridium esus in prandio.*

[9] *Eubulus apud Athen. 3. 6.*

[9] Νὴ τὸν Δί᾽ ἠσθένουν γοῦν, ὦ βέλτιστε σύ,
Φαγοῦσα πρώην σῦκα τῆς μεσημβρίας.

*Eram*

*Eram profecto bone vir languidiuscula,*
*Quod esitassem ficus sub meridiem.*
*Alius item Comicus, qui itidem periit:*
[1] A. Ἐὰν δέ γ' ἡμῶν σῦκά τις μεσημβρίας
Τρώγων καθεύδῃ χλωρὰ, πυρετὸς εὐθέως — [1] *Nicophron apud eundem. interprete Grotio.*
Ἥκει τρέχων. B. οὐκ ἄξιος τριωβόλου.
Κᾆθ' οὗτος ἐπιπεσὼν ἐμεῖν ποιεῖ χολήν.
*A. Nostrum aliquis ficus virides si meridie*
*Epulatus obdormiscat, accurrit febris*
*Continuo. B. Verum non facienda trioboli:*
*Quippe etiam bile nos levat vomitum ciens.*

Febrium caussa interna. [2] *Plutarch. prac. San.*

*Quamvis autem* [2] febres hominibus & ob defatigationes & ob nimios cum æstus tum algores accidunt: tamen sicut florum odores imbecilles suapte natura, quando oleo admiscentur, vires vigoremque nanciscuntur: ita externis caussis atq; principiis redundantia humorum in corpore veluti substantiam & corpus suppeditat. absque hac *interna* nihil mali *externæ* illæ caussæ inferunt, sed elanguescunt dissipanturque facile, sanguine tenero & spiritu puro motum excipiente: ubi autem redundantia est humorum, ibi velut cœnum quoddam impurum exagitatur, omniaque difficilia reddit & pertinacia.

Febrium signa demonstrativa.

*Omnium porrò febrium communes notæ sunt, pulsus celer ac frequens, interdum etiam inæqualis: qui solius calidioris cordis est proprius. Virium languor & imbecillitas cum spontanea corporis gravitate aut dissolutione: corpus quippe universum consentit laboranti cordi. Calor aut foris acer ac pungens, aut intus certè molestus, unde plerumque*
[3] —*flagrat incensum siti* — [3] *Seneca Thyeste.*
*Cor, & perustis flamma visceribus micat.*

Prognostica. [4] *Plutarch. in prac. conjug.*

[4] Medici febres ex occultis caussis paullatimque collectis ortas, periculosiores judicant iis, quæ claris & manifestis de caussis existunt.

[1] Febri-

[1] Idem de ira cohib. [1] Febricitantium lingua si non sit naturæ convenienter affecta, signum est malum.

[2] Plin. 7. 50. [2] Quadrini circuitus febris, nunquam bruma, nunquam hybernis mensibus incipit: & [3] vix seroque sanatur.

[3] Plato Timæo.

[4] Iuvenal. Sat. 9.

*[4] Quid macies ægri veteris? quem tempore longo*
*Torquet quarta dies, olimque domestica febris.*

[5] Cicer. 16. Ep. fam. [5] Quando in quartanam conversa vis est morbi, spero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore.

[6] Iuvenal. Sat. 4.

*[6] — jam lethifero cedente pruinis*
*Autumno, jam quartanam sperantibus ægris.*

Febrium Curatio. *Quod ad curationem,*

[7] Virgil. 3. Georg.

*[7] Cum furit, atque artus depascitur arida febris:*
*Profuit incensos æstus avertere, & ferire*
*— salientem sanguine venam.*

Venæ sectione. Balneo. *Balneum mox utile. Ita febricitantem*

[8] Martial. 2. Epigr. 40.

*[8] Omnes Tongilium Medici jussere lavari.*

[9] Athen. 15. Deipn. 13. [9] In febri corpus cum exardescit, irrigationibus perfundatur caput, ne sursum in eam partem siccam, & inanem irruat, quæ aduruntur.

Pharmaciâ.

[10] Plin. 28. 8. [10] Canini crocodili dentes febres statas arcent thure repleti (sunt enim cavi) ita ne diebus quinque ab ægro cernatur, qui adalligaverit. Idem pollere & ventre exemptos lapillos adversus febrium horrores venientes tradunt.

[11] Idem 32. 10. [11] Febrium circuitus tollit jecur delphini gustatum ante accessiones. Hippocampi necantur in rosaceo, ut perungantur ægri in frigidis febribus. Et ipsi adalligantur ægris. Item ex asello pisce lapilli, qui plena luna inveniuntur in capite, alligantur in linteolo.

[12] Idem 20. 14. [12] Xenocrates pulegii ramum lana involutum, in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subjici, & ita collocari ægrum inter remedia tradit.

[13] Idem 24. 19. [13] Herba quæcunque à rivis aut fluminibus ante Solis

Solis ortum collecta, ita ut nemo colligentem videat, contra tertianas adalligata lævo brachio, ita ut æger quid sit illud ignoret, tertianas arcere traditur.

[1] Datur & polygoni succus in febribus ante accessiones duobus cyathis, in tertianis quartanisve præcipuè. [1] *Idem* 27. 12.

[2] Cor in cibo sumptum quartanis medetur: & [3] quartana quorundum flagellis discussa est. *An* fortuito? [4] An quia ater & lentus ille humor incaluit, & motu item dissipatus est? [2] *Idem* 28. 8. [3] *Senec.* 6. *de benef.* 8. [4] *Lipsius in com.*

[5] Q. Fabius Maximus, diu multumque, quartana febre languebat, nec artis remediis optatum successum consequebatur, quousque conserto cum Allobrogibus prœlio, pugnandi ardore, novo velut incendio febrile vetus incendium discussit. [5] *Livius.*

*Inedia sæpissime pro remedio est. Ita Gallus, sive Pythagoras Micyllo frugaliter viventi*, [6] Labores, *inquit*, qui te exacuunt, certatorem non contemnendum reddunt adversum eas res quæ compluribus inexpugnabiles videntur. Atque hinc fit, ut nullus ex gravioribus hisce morbis insidias tibi moliatur. Quin siquando levis febricula invaserit, paulo negotio eam medicatus, & inedia excutiens exilis. Illa porrò fugit illico, metuens te, quem videat frigido victu impleri, & medicorum illis recursibus longum plorare renuntiantem. Diæta. [6] *Lucian. Gallo.*

[7] Non igitur imitari debemus bonos naviculatores, corpusque subinde impletum & oneratum, purgando rursum & proluendo evacuare: sicut illi ob avaritiam multa in naves cum ingesserunt, assiduò deinceps aquam exhaurire coguntur: sed corpora nostra habilia & expedita servare, ut etiamsi aliquando premantur, ob levitatem suberis instar sursum sese efferant. [7] *Plutarch. in præc. San.*

*Maximè autẽ à repletione in febribus cavendũ est.*

[1] *Idem Alexandro.*

[1] Hephæstio febre correptus, ut juvenis & militaris, exactioris impatiens victus, dum medicus Glaucus ad spectaculum abiit, prandium sumpsit, adesoque gallo gallinaceo asso, atque epoto ingenti vini frigefacti cratere, malè habuit, pauloque post decessit.

Vinum febricitantib. noxium.

[2] *Idem in præc. San.*

[2] Corpus autem ita validum est nullum, cui conturbato & inflammato vinum adhibitum non adferat aliquid damni.

[3] *Plin. 23. 1.*

*Quare* [3] non dandum in febre, nisi veteribus ægris, vinum: nec nisi declinante morbo.

[4] *Cicer. 3. de nat. Deor.*

*Sed* [4] quia ægrotis prodest raro, nocet sæpissimè, melius est non adhibere omninò, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere.

*Melior aqua, quæ tamen potius recreat, quã sanat.*

Aqua.

[5] *Idem 1. Catil.*

[5] Sæpe homines ægri, morbo gravi, cum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur.

Vuæ.

[6] *Plin. 23. 1.*

[6] Saluberrimas putant Medici uvas in cœlesti aqua servatas, etiamsi minimè jucundas: sed voluptatem earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine jecoris, fellisque vomitione in choleris, cum ardore febrium ægrotantibus.

*Omnis præterea labor, & defatigatio febricitantibus vitanda.*

[7] *Martial. 4. Epigr. 81.*

[7] *Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesin*
*Si nescis, non es sanus amice, Mathon.*
*Declamas æger, declamas hemitritæus.*
*Si sudare aliter non potes, est ratio.*
*Magna tamen res est. errans cum viscere febris*
*Exurit. res est magna tacere, Mathon.*

CAP.

## CAP. II.

### *Pestis etymologia, nomina, definitio, caussæ, signa, symptomata, prognostica, præsagia, præservatio, curatio. Peste correptorum diæta.*

*CVm inter Febres etiam sit pestilens: imo Pestis ipsa tam frequenter febrem comitem habeat, ut multi statuant eas tantum gradu putredinis differre, de ea post febrium doctrinam hic agere operæpretium est.* Pestis, *quæ etiam* Pestilitas *Lucretio, & communiter* [1] Pestilentia *dicta, quasi pastilentia, quod quasi fera venenata aut* [2] efferatus rabie lupus civitates populosque depascat. *Mureto est* παρὰ τὸ πεσεῖν, *cadere. Aliis* [3] Pestis nomen factum est per syncopen ex composito perestis, & mutato *r* in *s* (ut sæpe factum est) pesestis, à verbo peredo: quo significatur, quicquid peredit, & planè consumit ac perdit materiam quamque. Græcis λοιμὸς, λοίμη *&* λοιγὸς *appellatur.* [4] Λοιγὸς vel à λείπω, quod est deficio, juxta veterum notionem, unde etiam λοιμὸς, vel potius à λέγω, λέγων, quod est obdormiens in mortem, præcipuè verò ab ὀλίγος, quod est paucus, ablata litera *o*, quasi qui paucos reddat viventes. [5] Dicitur autem λοιμὸς vel quasi λοιπὸς à λείπω, vel à λίαν & μᾶν, quod est nimis inquirere & indagare, quod scilicet nihil relinquat intactum, sed omnia vestigia abditorum persequatur, addito per pleonasmum *o* litera: vel à λιμὸς ob similitudinem, nam fames est cibi indigentia, & pestis est corporum indigentia: *seu potius ob caussam, nam* ἐκ λιμοῦ λοιμὸς, ex fame pestis. *Generali quoque nomine dicitur* [6] νόσος, φθορὰ, πάθος, *& cum adjectivo,* νόσος λοιμικὴ, *seu* λοιμώδης, νόσημα λοιμῶδες, πάθος λοιμῶδες, νόσος ἐπίδημος, ἐπιδήμιος, ἐπιδημικὴ, *&* ἐπιδημία. *Simpliciter etiam* λοιμικὴ. *Quibusdam &* [7] φοίνιος σάλος,

Pestis nomina & etymon.

[1] *Isidor.* 5. *Etym.*

[2] *Gal. de Theriac.*

[3] *Fr. Iunius* 2. *Parall.* 44.

[4] *Eustath. in Il.* 1.

[5] *Etymolog.*

[6] *Thucyd.* 2. *Hist.*

[7] *Sophocl. Oedip.*

[1] *Sophocl. Oedip.*

λος, funesta tempestas, & [1] πυρφόρος θεὸς, ignifer deus.

Pestis definitio.

[2] *Thucyd. cit.*

[2] Pestis est corruptela, stragesque hominum contagiosa.

*Ejus caussa vel supernaturalis, vel naturalis.*

Pestis caussa divina.

[3] *Æschin. Ep. 1. ad Philocr.*

*Supernaturalem* τὸ θεῖον *vocat Hippocrates,* δαιμονίου συμφορὰν *Diodorus Siculus, & sic* θεήλατον συμφορὰν, à deo immissam calamitatem, *Dionys. Halicarnasseus;* θεηλάτους ποινὰς, à Deo injunctas pœnas *Agathias.* Ita [3] Delii existimabant pestem sibi immissam ob iram Apollinis, quod esset sepultus in insula vir quidam illustris, præter veterum consuetudinem.

*Ita ob raptam Briseidem sacerdotis sui filiam author quoque pestis fuit in Græcorum exercitu*

[4] *Homer. Il. 1.*

[4] Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός. ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν· ὀλέκοντο δὲ λαοί.
*Latonæ & Iovis filius. ille enim regi iratus*
*Morbum in exercitu excitavit malum: peribant*
*verò populi.*

Magica.

[5] *Eustath. in comm.*

[5] Hanc tamen pestilentiam sunt qui putent ex magica arte à Chryse machinatam. Unde & dæmones & venefici sæpe eam inferre creduntur.

[6] *Idem ibid.*

*Sed tam Deus, quam dæmon naturales plerumque caussas excitat. Sic in jam dicta peste* [6] Achilles Chironis discipulus, & medicam artem plane sciens, ex aëris statu cognovit profectum malum.

[7] *Ovid. 7. Met.*

[7] *Dira lues populis ira Iunonis iniquæ*
*Incidit exosæ dictas à pellice terras.*
*Dum visum est mortale malum, tantæque latebat*
*Caussa nocens cladis; certatum est arte medendi.*
*Exitium superabat opem, quæ victa jacebat.*
*Principio cœlum spissa caligine terras*
*Pressit; & ignavos inclusit nubibus æstus, &c.*

Naturalis ab aëre.

*Naturales autem Pestis caussæ plerumque aëris nonnunquam & diætæ vitium.*

[1] Nun-

[1] *Nunc ratio quæ sit morbis, aut unde repente*
*Mortiferam possit cladem conflare coorta*
*Morbida vis hominũ generi, pecudumq; catervis,*
*Expediam. Primum multarum semina rerum*
*Esse* alibi *docui, quæ sint vitalia nobis:*
*Et contra quæ sint morbo, mortique necesse est*
*Multa volare. ea, cum casu sunt forte coorta,*
*Et perturbarunt cœlum: fit morbidus aër.*
*Atque ea vis omnis morborum pestilitasque*
*Aut extrinsecus, ut nubes, nebulæque supernè*
*Per cœlum veniunt; aut ipsa sæpe coorta*
*De terra surgunt, ubi putorem humida nacta est,*
*Intempestivis pluviisque, & solibus icta.* [1] *Lucr. 6.*

*Aër vitium capit à maligna astrorum constitutione.*

*Sic aliquando* [2] in oppidis circa Lutetiam pestis contagio sæviit, &c. de cætero nullibi major serenitas, & ubertas frugum, quam eo autumno fuit, ut potius ab astrorum impressione, quam aëris corrupti malignitate malum emanasse credatur. [2] *Thuanus Hist. 72.*

*Aëri etiam pestis imprimitur* [3] à constitutione anni austrina, pluvia & ventis carente: *nec non* [4] à siccitate nimiisque caloribus: *cujusmodi & Thebana pestis fuit, his versibus descripta:* [3] *Hipp. 3. Epid. 3.* [4] *Livius Hist. 5.*

[5] *—fecimus cœlum nocens,* [5] *Seneca Oedipo.*
*Non aura gelido lenis afflatu fovet*
*Anhela flammis corda, non Zephyri leves*
*Spirant, sed ignes auget æstiferi Canis*
*Titan, Leonis terga Nemeæi premens:*
*Deseruit amnes humor, atque herbas color,*
*Aretque Dirce, tenuis Ismenos fluit,*
*Et tingit ipsa nuda vix unda vada, &c.*

*Et mox Laii umbra caussam adjungit,*
*—non gravi flatu tibi*
*Luctificus auster, nec parum pluvio æthere*
*Satiata tellus halitu sicco nocet.*

*Tali tempestate*

[1] Virgil. 3. Æn.

*[1] Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant*
*Corpora, tum steriles exurere Sirius agros,*
*Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.*

*Quinet subita aëris mutatio pestem inducit. Ita Romæ olim* [2] tristem hyemem ex intemperie cœli raptim mutatione in contrarium facta, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit.

[2] Livius 5.

[3] Lucr. 6.

*[3] Nec refert utrum nos in loca deveniamus*
*Nobis adversa, & cœli mutemus amictum,*
*An cœlum nobis ultro natura cruentum*
*Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti,*
*Quod nos adventu possit tentare recenti.*

[4] Plutarch. Nicia.

*Ita Athenis* [4] pestis in Periclem ferè collata est, quod turbam agrestem belli gratia in urbem contraxisset, atque ita ex loci mutatione, atque ratione vivendi insueta contracta esset lues.

[5] Diod. Sic. 12. Bibl.

[5] Nam recepta in urbem fugientium undique per trepidationem omnis generis multitudine, propter angustiam loci non sine caussa incidebant in morbos corruptum aërem haurientes.

[6] Thucyd. cit.

[6] Cum enim non suppeterent ædes, in tuguriis æstuosis tempore æstivo habitantibus, strages fiebat nullo ordine, sed mortui illi super alios morientes jacebant, & in viis volutabantur.

[7] Lucr. cit.

*[7] Nec minimum partim ex agris ægroris in urbem*
*Confluxit, languens quem contulit agricolarum*
*Copia conveniens ex omni morbida parte:*
*Omnia complebant loca, tectaq; quo mage eos tum*
*Confertos ita acervatim mors accumulabat.*

[8] Euseb. in Hierocl. 4.

*At sæpenumerò* Pestilētiæ vis nihil aliud est, quam corruptio circumfusi aëris, vitiumque ex putrido vaporatu in morbosam qualitatem vergentis.

[9] Senec. 6. Nat. 27.

*Quare* [9] non mirum solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri: multa enim mortifera in alto latent.

[1] Nata fertur pestis in Babylonia, ubi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens evasit, atque inde Parthos orbemque complesse.

[1] *Capitolin. Vero. Ammian. Marc. Hist. 73.*

[2] Aër *etiam* corruptus internorum ignium vitio, cum est longo situ emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, insuetumque ducentibus spiritum, affert nova genera morborum. Quid, quod aquæ inutiles pestilentesque in abdito latent, ut quas nunquam usus exerceat, nunquam aura liberior verberet?

[2] *Sene.. cit.*

[3] *Et vitium capiunt, ni moveantur, aquæ.*

[3] *Ovid. 1. de Ponto.*

[4] Crassæ itaque, & gravi caligine sempiternaque tectæ, nihil nisi pestiferum in se & corporibus nostris contrarium habent. Aër quoque qui admixtus est illis, quique inter illas paludes jacet, cum emersit, latè vitium suum spargit, & haurientes necat.

[4] *Senec. cit.*

*Talis describitur hisce versibus,*

*[5] Criniger astriferis Titan fervoribus auras,*
*Et patulam Cyanem, lateque palustribus undis*
*Stagnantem Stygio Cocyti opplevit odore, &c.*
*Squalebat tellus vitiato squallida dorso,*
*Nec victũ dabat, aut ullas languentibus umbras,*
*Atque ater picea vapor expirabat in æthra.*

[5] *Silius 13.*

[6] Facilius autem pecora sentiunt, in quæ pestilentia incurrere solet, quo avidiora sunt: aperto cœlo plurimum utuntur, & aquis, quarum maxima in pestilentia culpa est. Oves verò mollioris naturæ, quo propiora terris ferunt capita, corruptas esse non miror, cum afflatum diri aëris circa ipsam humum exceperint. Nocuisset ille & hominibus, si major exiisset: sed illum copia aëris sinceri extinxit, antequam, ut ab homine posset trahi, surgeret.

[6] *Senec. cit.*

*Et ita fere*

*[7] — infecto morbus crudescere cœlo*
*Incipiens, primo pecudum depascitur artus;*

[7] *Claudian. in Rufin. 1.*

*Mox populos, urbesque rapit, ventisque perustis,*
*Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes.*

Pestis peculiaris.

[1] Dion. Halic. 9. Ant. Rom.

*Sic & Romana pestilentia* [1] primum equorum, jumentorum, & boum armenta, invasit, ab his in greges & ovilia ingruit, & interemit quasi omnes quadrupedes, deinde pastores & agricolas attigit, & excurrens per universam regionem in urbem demum incidit.

[2] Plin. 7. 50.

[2] Sed & universis gentibus ingruit, & generatim modo servitiis, modo procerum ordini, aliosque per gradus.

[3] Livius 37. [4] Dion. Hal. 7. [5] Sigon. 20. [6] D. Halic. 9. [7] Idem 4. [8] Plin. 7. 50.

*Ita quadam* [3] potissimum sæviit in remiges, *alia* [4] in plebem, *alia* [5] in mares magis, quam in fœminas: *alia* [6] potius in mulieres, præcipuè gravidas: *alia* [7] in pueros & virgines. *At* [8] senes minimè sentire pestilitiam *scripsit Plinius.*

Pestis universalis.

[9] Livius 3. [10] Idem 4. [11] D. Halic. 9.

*Non rarò tamen universalis est. Ita Romæ* [9] grave tempus & annus pestilens erat urbi agrisque, nec hominibus magis, quam pecori. *& alio tempore* [10] magna clades in urbe agrisque promiscuè hominum pecorumque pernicie accepta. [11] sæviebatque id malum in omnes nullo discrimine aut ætatis, aut sexus, aut corporum roboris, aut imbecillitatis, nec arti aliisve remediis, quæ morbum videntur levare, cedebat: sed mulieres & viros, senes & juvenes invadebat.

Pestis contagium.

*Inficitur & Aër à ventis, dum pestis seminaria ex longinquis regionibus deferunt.*

[12] Lucret. 6.

[12] *Hæc ratio quondam morborũ, & mortifer æstus*
*Finibus Cecropiis funestos reddidit agros,*
*Nam penitus veniens, Ægypti è finibus ortus*
*Aëra permensus multum, camposque natantes,*
*Incubuit tandem populo Pandionis: omnes*
*Inde catervatim morbo, mortique dabantur.*

[13] Thucyd. 2.

[13] Incepit *Pestis illa* primum ab Æthiopia, quæ est super Ægyptum, deinde in Ægyptũ Lybiamque descen-

descendit, & in regis regionem plurimam, in Atheniensium porrò urbem derepente incidit: quoniam, authore Galeno, per continuum ex Æthiopia fluxêre quædam putredinosa contagia, his, quorum corpora ad suscipiendum damnum parata, febrium caussæ futura.

[1] Qua in re observatum, à meridianis partibus ad occasum Solis pestilentiam semper ire: nec unquam ferè aliter nisi hyeme, nec ut ternos excedat mẽses. [1] *Plin. 7. 50.*

*Venena quoque aërem pestilentem reddunt.*

Pestis à venenis.

[2] Cum primores civitatis similibus morbis, eodemque fermè omnes eventu morerentur, ancilla quædam ad Q. Fabium Max. ædilem curulem indicaturam se caussam publicæ pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset, haud futurum noxæ indicium. Fabius confestim rem ad Coss., Consules ad Senatum referunt, consensuque Ordinum fides indici data: tum patefactum, muliebri fraude civitatem premi, matronasque ea venena coquere, & si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse. secuti indicem, & coquentes quasdam medicamenta, & recondita alia invenerunt, quibus in forum delatis, & ad viginti matronis, apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis, duæ ex eis Cornelia & Sergia patritiæ utraque gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere jussæ, ut se falsum commentam arguerent. spatio ad colloquendum sumpto, cum summoto populo in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent: haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento suamet ipsæ fraude omnes interierunt. comprehensæ extemplo earum comites, magnum numerum matronarum indicaverunt. ex quibus ad CLXX. damnatæ. [2] *Livius Hist. 18.*

*Ibidem & alio tempore* [3] maxima pestis fuit. Duo enim millia sæpenumerò die una Romæ interi- [3] *Xiphilin. Commodo.*

bant, multi verò & aliter non in urbe tantum, ſed in toto quodammodo imperio ſcelere malorum hominum moriebantur. Acus enim exiguas deleteriis quibuſdam pharmacis inungentes, mercede per iſtas in alios malum immittebant. quod etiam ſub Domitiano factum. *Idque nec Turcis, nec Iudæis ignotum eſſe legimus.*

[1] Paul. Æmyl. in Philipp. 5.

[1] Fama tenet, Judæos, quod pervicax hominum genus, ac execrabili in nos odio furens, è Francia exegerat Pulcher rex, ab Hutino filio mox rege receptos: & ut priſtinum exilium ſuum, bonaque direpta ulciſcerentur, & priori ſimilem fortunam rebus ſuis præmetuentes, ab regibus præterea ſatrapisque Turcarum Saracenorumque pecunia accepta, elephantiacis, qui ſtipe mendicanda vagi victitarent, perſuaſiſſe, ut venena in puteos ſpargerent: *unde* Peſtilentia ingens exorta.

[2] Thucyd. Hiſt. 2.

*Sic etiam in celebri Athenienſium peſte, lues* [2] primum in Piræo affecit homines contagione, quare jactatum quoque ab illis eſt, quod etiam Peloponnenſes venena conjeciſſent in puteos.

Peſtis à prava diæta.

[3] Gal. 3. Epid. 3. 75. 6. loc. aff. 5. 5. loc. aff. 7.

*Et quemadmodum ab externo peſtis infertur: ita etiam ab interno veneno,* [3] *quod ex humorum putredine in corpore noſtro generari poteſt, non raro contrahitur.*

[4] Curtius 8. Hiſt.

*Sic tempore belli, & in annonæ caritate* [4] inſalubrium ciborum novi ſucci *faciunt, ut*

[5] Claudian. de 6. conſ. Hon.

[5] *Et tetris collecta cibis, annique vapore*
*Sæviat atra lues.*

[6] Veget. 3. 2.

*Idem aquarum vitio fieri poteſt.* [6] Nam malæ aquæ potus, veneno ſimilis, peſtilentiam bibentibus generat.

[7] Curt. cit.

*Sæpè hac de cauſſa* [7] famem peſtilentia ſequuta eſt.

[8] Herodot. Hiſt. 8.

*Hujuſmodi fuit* [8] peſtis in exercitu Xerxis Perſarum regis, è Græcia fugientis: tanta enim fame labora-

borarunt, ut frondibus & radicibus herbarum vescerentur.

*Similiter*[1] in exercitu Cæsaris, lues pestilens horridi comes victus grassabatur: *& miles* — [1] *Plutarch. Cæsar.*

[2] *Ore novas pascens moribundus labitur herbas.* — [2] *Lucan. 6.*

*Ita*[3] milites Alexandri Magni, dum ex India reverterentur, radicibus palmarum usi, in pestilentiam gravissimam inciderunt. — [3] *Plutarch. Alexandro. Curt. 9.*

[4] Ex fame etiam orta pestis illa Massiliensium, in obsidione: *aliæ apud Appianum, Sigonium, Polydorum Virgilium, & alios; nec non in nostrate historia de obsidione Leydensi: ita ut apud Historicos nihil frequentius*, [5] quam ex multorum dierum inopia contrahi pestem. — [4] *Cæsar 2. de bello civ.* [5] *Iustin. 2. Hist.*

*De caussis hactenus. Inter signa Pestis præcipuum contagium, quando scilicet multi simul eodem tempore infecti sunt: &* [6] si quis ante aliquo morbo laborabat, in hanc omnia convertuntur. — Pestis Signa, & Symptomata. [6] *Thucyd. 2. Hist.*

*In peste Veneta*[7] cœpit vis morbi sic incrudescere, ut omnes ægritudines, quæcunque esse cœpissent, mox in hunc letiferum converterentur, cum scabies & vulnera, & quævis ulcera fricando concepta, fierent pestilentia. — [7] *Nat. Comes 27. Hist.*

*In nullo autem morbo, atque in hoc, contagium vehementius.*

*Hinc* [8] adversus pestilentiam nihil prodest firmitas corporis, & diligens valetudinis cura. promiscuè enim imbecilla robustaque invadit. — [8] *Senec. 4. de ira. 5.*

[9] *Mista senum ac juvenum densantur funera.* — [9] *Horat. 1. Od. 28.*

[10] *Nec moderator adest, inque ipsos sæva medentes*
*Erumpit clades, obsuntque authoribus artes.* — [10] *Ovid. 7. Metam.*

*Ita in peste Atheniensi, ut refert Thucydides,*

[11] *Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant,*
*Cesserat officium morbis.* — [11] *Manil. 1.*

[12] Generatim verò accidit & medicorum auxilium — [12] *Diodor. Sic. 14. Biblioth.*

lium esse inefficax, tum ob mali magnitudinem, tum ob celeritatem mortis. *Hinc*

[1] *Seneca Oedipo.*

[1] *Non vota, non ars ulla corruptos levant,*
*Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.*

Contagii caussa.

[2] *Arist. 1. Probl. 7.*

[2] Cur *autem* morbus pestilens solus ex omnibus vitiis præcipuè afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo propè accesserint? An quod is solus omnium morborum communis est omnibus hominibus. Itaque pestem facile omnibus infert, qui scilicet depravato jam habitu sunt. Fit enim, ut morbo cubantis veluti quodam fomite succedente, vitium illud protinus exultet, concipiaturque in aliis.

[3] *Lucr. cit.*

[3] *Qui fuerant autem præsto contagibus ibant, &c.*
*Idque vel in primis cumulabat funere funus,*
*Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci*
*Ex aliis alios avidi contagia morbi.*

*Nec ex viventibus modò, sed etiam ex mortuorum cadaveribus (frustra id negante Rondeletio, & aliis) Pestilentia propagatur.*

[4] *Ovid. 7. Met.*

[4] *Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ,*
*Afflatuque nocent, & agunt contagia latè.*

[5] *Appian. 6. de bell. Pun.*

*Hinc* [5] strages multa & magno cum dolore conjuncta, versantibus cum fœtidis ac putridis corporibus.

[6] *Dion. Halic. 10.*

[6] In pestilentia, quæ Romæ expleto anno trecentesimo ab V.C. grassabatur, cum principio præ pudore, & copia rerum ad sepulturam necessariarum suppetente cadavera cremarent, atque terræ mandarent: postea alii honestate contempta, alii rerum necessariarum inopia laborantes multa defunctorum corpora in subterraneas compitorum cloacas, at longe plura in fluvium projiciebant, unde maximum damnum accipiebant. Quum enim cadavera ad saxa & ripas fluctibus ejicerentur, gravis & male olens odor, qui venti flatu inde ferebatur per aërem, eos etiam, qui adhuc recte valebant, invadebat,

bat, eorumq; corporibus celerem mutationem afferebat, & aqua ex flumine allata non erat amplius bona ad potandum, partim ob fœtoris inusitatam graveolentiam, partim quia malam cibi concoctionem faciebat.

*Secundum Pestis signum* [1] Capitis ardores vehementes, *à vapore igneo in caput sublato. Quam Symptomatis caussam in peste Thebana observat Tragicus:* [1] Thucyd. 2.

[2] *O dira novi facies leti* [2] Seneca Oedipo.
*Gravior leto! piger ignavos*
*Alligat artus languor, & ægro*
*Rubor in vultu, maculæque caput*
*Sparsere leves, tum vapor ipsam*
*Corporis arcem flammeus urit,*
*Multoque genas sanguine tingit,*
*Oculique rigent, & sacer ignis*
*Pascitur artus.*

*Sic & in peste Atheniensi*

[3] *Principio caput incensum fervore gerebant,* [3] Lucr. cit.
*Et duplices oculos suffusa luce rubentes.*

*Vbi ponit quoque tertium signum,* [4] Oculorum rubores ac inflammationem. [4] Thucyd. 2.

[5] *Iam riget atra cutis, distentaq; lumina rumpit,* [5] Lucan. 6.
*Igneaque in vultus & sacro fervida morbo*
*Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.*

*Hinc*

[6] *Lumina ferre gravem vix sufficientia lucem* [6] Sil. Ital. 14.
*Vnca nare jacent.*

*Nam ob nimios ardores, coguntur ægri naribus quoque spiritum ducere.*

[7] *Viscera torrentur primo, flammæque latentis* [7] Ovid. 7. Met.
*Indicium rubor est.*

[8] *Sin in processu cœpit crudescere morbus,* [8] Virgil. 3. Georg.
*Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto*
*Spiritus.*

*Ita*

[1] Lucr. cit. *Ita ut quartum signum sit,* [1] Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus.

[2] Thucyd. cit. *Quintum* [2] spiritus teter & fœtidus.

[3] Lucr. cit.
[3] *Inde ubi per fauces pectus compleret, & ipsum*
*Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris,*
*Omnia tum verò vitaï claustra lababant,*
*Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,*
*Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.*

[4] Thucyd. 2. *Sextum signum in peste Atheniensi* [4] erat guttur & lingua sanguinolenta.

[5] Lucr. cit.
[5] *Sudabant etiam fauces intrinsecus atro*
*Sanguine, & ulceribus vocis via septa coibat.*
*Atque animi interpres manabat lingua cruore*
*Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.*

[6] Thucyd. cit. [7] Hipp. 7. Aphor. 51. [8] Thucyd. cit. *Septimum* [6] Sternutatio, *ob concalefactum scilicet cerebrum: quod etiam catarrhos movet, unde* [7] Raucedo, *signum octavum. qui cum* [8] descendunt in pectus, *fit* dolor cum tussi vehementi, *& est nonum.*

[9] Silius Ital. 14.
[9] *Aspera pulmonem tussis quatit, & per anhela*
*Igneus efflatur sitientum spiritus ora.*

[10] Lucr. cit.
[10] *Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,*
*Salsaque; per fauces raucas vox edita tussi.*

[11] Procopius 2. de bello Persico. *Ita non tantum de Atheniensi peste, sed etiam de aliis legimus,* [11] primo statim insultu à manè ad vesperã tussi exagitatos cum febre, qui corriperentur.

[12] Seneca Oedipo.
[12] *Intima creber viscera quassat*
*Gemitus stridens.*

[13] Thucyd. cit. *Decimum symptoma est* [13] Stomachi subversio; *undecimum*, Vomitus biliosus: *quibus vix aliud ullum frequentius. Quæ sequi solet* Anxietas, XII. *signum. qua voce reddere malo Thucydidis* ταλαιπωρίαν, *quam cruciatum cum Porto, vel intelligere de dysenteria, ut fecit Scholiastes. sequutus præter Hippocrat. & Gal. qui* ἐμέτου ἀσώδεος *meminere, optimum hac in re Thucydidis interpretem, Lucretium:*

*Into-*

*Intolerabilibusque malis erat anxius angor*
*Assiduè comes, & gemitu commixta querelis.*

*Signum* XIII. *est* [1] Singultus, *qui* multis incidit immanis convulsionem excitans vehementem, aliquibus quidem statim cessantem, nonnullis multò serius. *Ita & in Atheniensi peste* [1] *Thucyd. cit.*

[2] *Singultusque frequens noctem persæpe, diemque* [2] *Lucret. cit.*
*Corripere assidue nervos, & membra coactans*
*Dissolvebat, eos defessos ante fatigans.*

*Signum* XIV. *Febris interius exurens, & foris calorem non prodens.*

[3] *Nec nimio cuiquam posses ardore tueri* [3] *Lucr. cit.*
*Corporis in summo summam fervìscere partem,*
*Sed potius tepidum manibus proponere tactum.*

*Sic in Attica lue* [4] corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neq; pallidum, sed subrubrum, lividum, pustulis exiguis, & ulcusculis efflorescens. Interiora verò ita flagrabant, ut neque tenuissimorum vestimentorum, aut linteorum injectiones sustinerent, neque aliud quidpiam, præter nuditatem, jucundissimè verò in aquam gelidam seipsos abjicerent. [4] *Thucyd. cit.*

*Ex quibus verbis elicitur quoq; Signum* XV. Corpus lividum, [5] *ob sanguinem & calorem nativum deficientem: ut &* XVI, [6] *Hippocrati quoque notatum,* Exanthematum eruptio, [7] *à copia scilicet bilis.* [5] *Gal. 6. Epid. 1.29.* [6] *Hipp. 1. Epid. 2.* [7] *Gal. 3. Epid. 3.22.*

[8] *Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere* [8] *Lucr. cit.*
*Corpus, ut est, per membra sacer cũ diditur ignis.*

*Nec modo hæ* φλύκ]αιναι *sive pustulæ ipsos ægros corripiebant,*

[9] *Verum etiam invisos si quis tentarat amictus,* [9] *Virgil. 3. Georg.*
*Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor*
*Membra sequebatur, nec longo deinde moranti*
*Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.*

*Attulit &* XVII. *signum Thucydides*, Internum ardorem, *cujus etiam meminit Lucretius:*

*Intima*

*Intima pars homini verò flagrabat ad oſſa,*
*Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus intus,*
*Nil adeò poſſit quicquam leve tenueve membris*
*Vertere in utilitatem.*

*Et Ovidius eleganter hunc locum Thucydidis de veſtibus etiam rejectis expreſſit:*

*Viſcera torrentur primo, flammisque fatiſcunt.*
*Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni,*
*Aſpera lingua tumet, tepidisque arentia ventis*
*Ora patent, aur æque graves captantur hiatu;*
*Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt,*
*Dura nec in terra ponunt præcordia, nec fit*
*Corpus humo gelidũ, ſed humus de corpore fervet.*

*Hinc in peſte Attica*

[1] *Lucr. cit.*

[1] *— ad ventos, ad frigora ſemper*
*In fluvios partim gelidos arentia morbos*
*Membra dabant, nudum jacẽtes corpus in undas,*
*Multi præcipites lymphis putealibus altè*
*Inciderunt ipſo venientes ore patente,*
*Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans*
*Æquabat multum parvis humoribus imbrem.*

*Idem in Thebana peſte obſervatum:*

[2] *Seneca Oedipo.*

[2] *Quos liberior domus elato*
*Cuſtode ſinit, petit is fontes,*
*Aliturque ſitis latice ingeſto.*

[3] *Diodor. Sic. 12. Bibl.*

*Cauſſam afferunt,* [3] quod eteſiæ non perflarint, quibus ſemper refrigeratur magna pars æſtus, calore autem increſcente, & aëre reddito inflammato, contigit humana corpora nulla refrigeratione inventa. *Alii non ad ſitim, ſed ad animi perturbationem, & inſaniam referunt hanc ſeſe præcipitandi mentem. Sic de Mediolanenſi peſtilentia hiſtoricus:*

[4] *Natal. Com. Hiſt. 27.*

[4] Erat ſane acerrima vis morbi, quoniam illo correpti primum inſania mentis, & quaſi furore quodam corripiebantur, invadebat dolor capitis intolerabilis, atque nonnulli antequam diſtineri poſſent, ſe præci-

præcipites è feneſtris nulla habita ratione altitudinis dejiciebant. *Alius de peſte Carthaginenſi commemorat,* [1] mente emotos & inſanos factos pulſaſſe obvios; *& alia peſte,* [2] multos arreptis armis quaſi in hoſtes irrupturos, in ſe ipſos ferrum ſtringentes, mutuis vulneribus concidiſſe. [1] *Diod. Sic. 14. Bibl.* [2] *Idem 15.*

*Signum* XVIII *eſt,* [3] Sitis inſedabilis. *Præter Lucret. cit. meminit hujus Ovid.* [3] *Thucyd. cit.*

*— Paſſim poſitoque pudore*
*Fontibus, & fluviis, puteisque capacibus hærent,*
*Nec ſitis eſt extincta prius, quam vita bibendo.*
*Inde graves morbo nequeunt conſurgere, & ipſis*
*Immoriuntur aquis, aliquis tamẽ haurit & illas.*

*Nec non Virgilius:*

*Nec via mortis erat ſimplex, ſed ubi ignea venis*
*Omnibus acta ſitis miſeros abduxerat artus,*
*Rurſus abundabat fluidus liquor, omniaque in ſe*
*Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.*

*Signum* XIX, Vigiliæ. *Ita in peſte Athenienſi* [4] requietis penuria, ac vigiliæ perpetuò urgebant. [4] *Idem.*

[5] *Nec requies erat ulla mali, defeſſa jacebant* [5] *Lucr. cit.*
*Corpora, muſſabat tacito medicina timore,*
*Quippe patentia cum totas ardentia noctes*
*Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.*

*Præterea in peſte Athenienſi* [6] corpus, quoad morbus quoque vigeret, non extenuabatur, ſed reſiſtebat præter opinionem malo, adeò ut vel morerentur plurimi nona & ſeptima die, ex interno æſtu adhuc habentes aliquid roboris, vel ſi effugerent, deſcendẽte morbo in ventriculum, & exulceratione vehementi in ipſo excitata, profluvioq; ſimul ſincero incidente, & multi poſtea ex imbecillitate interibant. [6] *Thucyd. cit.*

*Ex quibus verbis & alia ſigna eliciemus. Ac primo* XX, *quod eſt* Corporis nulla extenuatio, *in iis ſcilicet, quibus morbus non ultra dies criticos morborum acutorum porrigebatur: qui verò ulterius vi-*

*tam trahebant, tandem etiam extenuabantur adeò, ut & faciem illam incurrerent, quam à descriptione Hippocratis in Progn. Medici appellare solent Hippocraticam, & eleganter expressit Lucretius:*

*—— Ad supremum denique tempus,*
*Compressæ nares, nasi primoris acumen*
*Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,*
*Duraque inhorrebat rictum, frons tenta minebat,*
*Nec nimio rigida post strati morte jacebant.*

*Vtrumq; autem* [1] in febricitantibus, & nihil comminui corpus, vel etiam extenuari magis quam ratio expostulat, malum. Illud enim longitudinem morbi arguit, hoc debilitatem. [2] Caussa istius, cutis densitas, & humorum crassities, qui scilicet glutinosi, & viscidi cum sint, difficillime solvuntur.

[1] *Hipp. 2. Aph. 28.*
[2] *Gal. com.*

*Signum* XXI *pestis Atheniensis erat* Dysenteria, & Diarrhœa sincera, *sive alvi profluvia, in quibus vel cum torminibus, vel biliosus humor impermixtus, excernitur: pessimo Medicis indicio.*

[3] *Quorum si quis (ut est) vitarat funera leti*
*Vlceribus tetris, & nigra profluvie alvi,*
*Posterius tamen hunc tabes, letumque manebat.*

[3] *Lucr. cit.*

*Solet autem succedere* [4] Sinceræ dejectioni Dysenteria: & talis ab atra bile lethalis. [5] *Caussas vide Gal. in Comm.*

[4] *Hipp. 7. Aph. 23.*
[5] *Id. 4. 24.*

[6] *Profluvium porrò cui tetri sanguinis acre*
*Exierat, tamen in nervos huic morbus, & artus*
*Ibat, & in partes genitales corporis ipsas.*
*Et graviter partim metuentes limina leti*
*Vivebant ferro privati parte virili,*
*Et manibus sine nonnulli pedibusque, manebant*
*In vita tamen, & perdebant lumina partim.*

[6] *Lucr. cit.*

*In peste scilicet Atheniensi, ubi* [7] si quis fuisset ex maximis periculis superstes, extremorum prehensio id significabat. Invadebat enim verenda, & in summas manus ac pedes: & multi his amissis effugerunt. Sunt etiam

[7] *Thucyd. cit.*

etiam qui oculos amiſerunt; nonnullos verò oblivio cœpit ſtatim à morbo vendicatos omnium rerum pariter, nec agnoſcebant ſeipſos, aut familiares.

[1] *Atque etiam quoſdam cœpere oblivia rerum* — [1] *Lucr. cit.*
*Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.*

*Hinc reliquis ſignis addenda*, Pudendorum inflammatio, Extremorum ſideratio, Oculorū amiſſio & cæcitas, atque Oblivio.

*Sic legimus quoq;* [2] in peſte Carthaginenſi quoſdam in furorem actos, in rerum omnium oblivionem incidiſſe. — [2] *Diod. Sicul.* 14.*Bibl.*

Et in ea, quæ Anno CCCCLV. in Oriente, cum Martianus imperaret, graſſabatur, primis duobus diebus, homines ex vehementi inflammatione oculis privatos, tertio tuſſi vehementiſſimè conquaſſatos, interiiſſe.

*Et hæc ſunt ferè Symptomata illa quæ Thucydides, & ex eo Lucretius in celebri Athenienſium peſte annotarunt.*

[3] *Multaque præterea mortis tum ſigna dabantur,* — [3] *Lucr. cit.*
*Perturbata animi mens in mœrore metuque,*
*Triſte ſupercilium, furioſus vultus, & acer,*
*Sollicitæ porro, plenæque ſonoribus aures, &c.*

Præſervatio à peſte.

*Quod in genere monuimus de morbis omnibus, hic maximè locum habet, non tantum à peſte, jam correptos liberare, ſed ſanos præſervare.*

[4] Initium morbi eſt, ægris ſana miſcere, *ſive infecta loca ingredi.* — [4] *Senec.* 1. *de tranquill.* 7.

*Inprimis igitur* [5] facito contagia vites. — [5] *Ovid.* 2. *de rem. Amor.*
*Hæc etiam pecori ſæpe nocere ſolent.*

[6] Serpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt. Itaq; in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuq; ipſo laborabimus. — [6] *Senec.* 4. *de ira* 5.

[7] *Quo propior quisque eſt, ſervitque fidelius ægro,* — [7] *Ovid.* 7. *Met.*
*In partem leti citius venit.*

*Cavendum etiam bona vivendi ratione, ne corpus* [1] *Laërt. in vit.* *impuris ſcateat humoribus.* [1] Socrates adeò parce ac temperatè vixit, ùt quum Athenas peſtis ſæpenumerò vaſtaret, ſolus ipſe nunquam ægrotaverit.

[2] *Euſeb. in Hierocl. 4.*

*Ab eadem cauſſa* [2] cum appetentem peſtilentiam præſentiret Apollonius Thyanæus, civibus illam Epheſiis ante prædixit. Mox rogante Domitiano, unde is peſtilentiam præſenſiſſet, Diæta, inquit, magis tenui, magisque ſobria, quam cæteri mortales uſus, ita primus omnium qualitatem aëris vitiumque deprehendi.

[3] *Plin. 7. 37.*

[3] Hippocrates venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit.

Peſtis præſagia.

*Et præſagia, ut melius vitare poſſis, monebunt.*

[4] *Manil. 1.*

[4] *Talia ſignificant lucentes ſæpe cometæ.*
*Funera cum facibus veniunt, terrisque minantur*
*Ardentes ſine fine rogos, cum mundus & ipſa*
*Ægrotet natura novum ſortita ſepulchrum.*

[5] *Plutarch. de Orac. def.*

[5] Medici peſtilentem æſtatem prædicunt ex aranearum multitudine.

[6] *Ariſtot. 1. Probl. 21.*

[6] Cur annus peſtilens tunc invadit, cum Sol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus, pluviusque ſignificetur, neceſſe eſt, terramque madeſcere neceſſarium. Fit igitur, quaſi locis paluſtribus, gravibusque proinde inhabitetur: & corpora quoque multis tunc excrementis redundare neceſſarium eſt, ita ut ægrotandi materiam habeant in æſtate.

*Cenſetur & futuræ peſtis ſignum, ſi lupi civitates* [7] *Philoſtr. Palamede.* *ingrediantur, & damna inferant. Ita* [7] lupos Apollo peſtis præludium facit. præmittit verò ad ægrotaturos, hominũ benevolentiæ cauſſa, & ut ſibi caveant.

Peſte mortuorum ſigna.

*Peſtem verò jam graſſari non modo patebit ex ſignis, quæ ſupra attulimus, ſed etiam ex corporibus eorum, qui peſte perierunt.*

[1] *— non*

[1] *— non illa canes, avidæque volucres,* [1] *Ovid.7.Met.*
*Non cani tetigere lupi.*

*Ita in peste Atheniensi* [2] aves & quadrupedes, [2] *Thucyd.cit.*
quæcunque hominum carnes attingunt, cum multa essent insepulta cadavera, vel ad ea non accedebant, vel si gustassent, moriebantur.

*Idem expressit more suo Lucretius;*

*Multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra*
*Corporibus, tamen alituum genus, atque ferarum*
*Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem,*
*Aut ubi gustarat, languebat morte propinqua.*

Erat quoque manifestus avium hujusmodi defectus, & neque visebantur usquam alibi, neque circa tale quicquam.

*De vulturibus, quos instinctu quodam naturali pestem fugere volunt, mentio fit apud Livium.* [3] Satisque constabat, *inquit*, nec illo, nec priore anno in tanta strage boum, hominumque, vulturium unquam visum. [3] *5. Dec. 1.*

[4] *Nec tamen omnino temere illis solibus ulla* [4] *Lucr. cit.*
*Comparebat avis, nec noctibus secla ferarum*
*Exibant sylvis, languebant pleraque morbo*
*Et moriebantur, &c.*

[5] Canes verò magis sensisse significabant eventum, ob suum cum hominibus contubernium. [5] *Thucyd. cit.*

[6] *— In primis fida canum vis* [6] *Lucr. cit.*
*Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.*
*Extorquebat enim vitam vis morbida membris.*

*Sic Pestis ab Apolline Græcis immissa,*

[7] Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς. [7] *Homer. Il. 1*
*Mulos percussit primo, niveamque canum vim.*

[8] Canes verò præcipuè, qui puro egent aëre, senserunt malum, propter odoratus & ipsi acumen acutè participes facti maleficii, & præcipuè qui erant, ut ait Homerus, albi, tanquam alba, ut ajunt, cor- [8] *Eustath. in Comm.*

pora, quia rariora, magis obnoxia damnis sint, quam nigra.

*Hinc igitur*

[1] *Sil. Ital. 14.*

*[1] Vim primi sensere canes, mox nubibus atris*
*Fluxit deficiens penna labente volucris,*
*Inde feræ silvis sterni, tum serpere labes*
*Tartarea, atque haustis populari castra maniplis.*

*Quando itaque præsagia ista observas, & jam*

[2] *Ovid. 7. Met.*

*[2] Strage canum primo, volucrumque, aviumque, boumque,*
*Inque feris subiti deprehensa potentia morbi est:*

[3] *Cato.*

*[3] Tunc tua res agitur. paries* nam *proximus ardet.*

Pestis curatio naturalis.

*Aër igitur tam ad præservationem, quam ad curationem curandus, & insalubres venti pestilentiæ vectores, quantum fieri potest, excludendi.*

[4] *Varro 1. de R. R. 4.*

[4] In peste Corcyræa, cum omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, Varro immisso fenestris aquilone, & obstructis pestilentibus, januaque etiam permutata, cæteraque ejus generis diligentia, suos comites, ac familiam incolumes reduxit, *Hippocratis præcepta sequutus.*

[5] *Plutarch. ad Colot.*

*Sic &* [5] Empedocles regionem sterilitate & pestilentia liberavit, obstructis montis faucibus, per quas auster in campos incidebat.

[6] *Lucan. 6.*

*[6] Aucta lues, dum mista jacent incondita vivis*
*Corpora: nam miseros ultra tentoria cives*
*Spargere, funus erat. tamen hos minuere labores*
*A terra pelagus, pulsusque aquilonibus aër,*
*Litoraque, & plenæ peregrina messe carinæ.*

*Apollo etiam apud Homerum Græcis ad exercitum revertentibus, jam sacrificiis placatus, ventum immisit, ad pestem scilicet depellendam,*

[7] *Iliad. 1.*

[7] Τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων,
*Hisce dedit Phœbus humentis flamina venti.*

[8] *Eustath. in Comm.*

[8] Solutam simul pestem poëta ostendit. pestis enim tristitiam dissipat ventus. & naturam venti docet,

docet, qui ex humore aquarum exhalato Solis vi efficitur.

*Ita & recens & limpida aqua corruptam corrigit.* [1] Dum Selinuntios ex adjacentis fluvii fœtore pestis invasisset, excogitavit Empedocles duos quosdam ex vicinis amnibus proprio sumptu in flumen illud immittere, ut ex commixtione aquæ dulcescerent, unde pestis sedata.

[1] *Laërt.8.*

[2] Pestilentiæ, quæ Solis obscuratione contrahitur, ignis suffitu multiformiter auxiliari certum est.

[2] *Plin. 36.27.*

*Ignis quoque aërem purgat.* [3] Etenim Medici censent adversus pestem remedio esse copiosam flammam, utpote quæ aërem attenuet. hoc autem fit rectius si odorata ligna urantur, ut cupressi, juniperi, picea. & Acro medicus Athenis tempore magnæ pestis gloriam sibi paravit, jubendo ignem ponè ægrotantes accendi: nam juvit non paucos.

[3] *Plutarch. de Isid. & Osir.*

*Idem ante illum fecerat Iacchenus.* [4] Hic fuit Ægyptius, vir religiosus, & ad multa fructuosus. floruit sub Senye rege Ægyptiorum, (*anno circiter* CCLXX *à diluvio*) appendens & incantans remedia, & in doloribus ac morbis profligandis sophista summus, qui pestilentiarum epidemias extinxit, & primum circa canem sirium exortum & impetum igneum astri placavit: quare honorificè sepultus est. & si quando publicè morbus grassatus est, ad monumentum hujus confugientes sacerdotes, & debita sacra peragentes, ex altari ignem accendentes, & incendentes pyras per civitatem, & fœtentis aëris pernitiosum illum morbum conficientes ac pervincentes, hoc novissimum morbum extinxerunt igne.

[4] *Suidas.*

*Ab Ægyptiis,* [5] qui noctu soliti consurgere, & inquinatum aërem suffitibus & odoratis incendiis purgare, *didicit fortasse sive Acro, sive potius Hippocrates Atticæ pestis curandi rationem. Hic* [6] cum ratio-

[5] *Plutarch. in Isid. & Osir.*

[6] *Soranus in vit.*

ratiocinando prævidisset pestilentiam in Atticam regionem venturam, prædicens id futurum, & urbium, & discipulorum curam gessit. quibus verò conjecturis id previdisset, facilè conjici potest, nempe & ex constitutione præcedenti, & ex ventis, qui flando essent delaturi ex Æthiopia, ubi sæviebat.

*1 Galen. de Ther. ad Pis.*

[1] Quapropter laudo vehementer admiratione dignissimum Hippocratem, quod pestem illam, quæ ex Æthiopia Græcos repente invasit, non alia ratione curavit, quam aërem immutans & alterans, ut non amplius talis (qualis tunc erat, infectus scilicet) respiraretur. Jussit igitur per totam civitatem accendi ignem, qui non simplicem incendii materiam haberet, sed coronas & flores omnium flagrantissimos odore. Hæc esse consuluit ignis alimentum, & illi præterea affundi unguenta pinguissima, ut ita purum jam effectum homines aërem respirantes, à peste vindicarentur.

*Alii igni injiciunt*

*2 Iuven. Sat. 2.*

*[2] Sulphura cum tædis.*

*3 Hom. Odyss. 22.*

[3] Οἶσε θέειον γρηῢ κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

*Porta sulphur anus, malorum medelam. porta autem mihi ignem,*
*Vt fumigem domum.*

*4 Aët. tetr. 2. l. 1. c. 94. Paul. 2. 35.*

[4] His autem modis aër humidus & frigidus ad cõtrarias qualitates transmutatur, nempe calidas & siccas: *vel potius* μιάσματα *& pestis seminaria igne consumuntur, & fœtor odoratus tollitur.*

*5 Herodian. Hist. 1.*

[5] In magna pestilentia Commodus Imp. medicorum cõsilio secessit in Lauretum, à laurorum nemoribus nomen adeptum, quod scilicet laurorum bonus odor reluctaretur, ac resisteret aëris corruptelæ.

*6 Plin. 23. 8.*

*Certè* [6] Laurus Delphicæ folia, trita, olfactaque subinde, pestilentiæ contagia prohibent, tanto magis, si etiam urantur.

*Idem*

*Idem aſperſione vini præſtitum.*

[1] Quo tempore ſæva peſtilentia graſſabatur Athenis, exiſtimavit Architelis Areopagitæ viri uxor, aſtantem ſibi Toxarim juſſiſſe, ut Athenienſibus diceret ceſſaturam peſtem, ſi vino multo conſpergerent angiportus. Quod cum ſæpe feciſſent, non amplius graſſata eſt peſtis, ſive vapores infeſtos odore ſuo vinum extinxit, ſive quid aliud efficacius cognitum heros Toxaris, utpote medendi peritus, conſuluit. [1] *Lucian. Scytha.*

*Vini in peſte abigenda vim ſenſit &* [2] Cæſaris exercitus, cum in eo lues peſtilens horridi comes victus graſſabatur. Quippe vino largius hauſto, comeſſabundi inde, & bacchabundi in via ex crapula propulſaverunt, alteraveruntque morbum, converſi in diverſam corporis habitudinem. [2] *Plutarch. Cæſare.*

[3] *Temporibus medicina valet. data tẽpore proſunt,*
*Et data non apto tempore vina nocent.* [3] *Ovid. de arte*

[4] In peſtilentia quoque vim magnam auxiliandi habere dicuntur. *Non tamen in omni conveniunt.* [4] *Plin. 23.1.*

[5] *Profuit inſerto latices infundere cornu*
*Lenæos, ea viſa ſalus morientibus una;*
*Mox erat hoc ipſum exitio, furiisque refecti,*
*Ardebant.* [5] *Virgil. 3. Georg.*

*Hinc illa calamitas, & in peſte Athenienſi obſervata,* [6] quod alicui conferret, alium id læſiſſe. [6] *Thucyd. cit.*

[7] *Nam quod alis dederat vitales aëris auras*
*Volvere in ore licere, & cœli templa tueri,*
*Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.* [7] *Lucr. cit.*

Diæta.

*Hoc in hac ipſa peſte exemplum Socratis, de quo jam monuimus, documento eſſe poteſt.* [8] Temperantia eum fuiſſe tanta traditum eſt, ut omnia ferè vitæ ſuæ tempora à valetudine inoffenſa vixerit. in illius peſtilentiæ vaſtitate, quæ in bello Peloponneſiaco in primis ipſam Athenienſium civitatem internecino genere morbi depopulata eſt, is parcendi, moderan- [8] *Agell. 2. 1.*

derandique rationibus dicitur à voluptatum labe caviſſe, & ſalubritates corporis retinuiſſe, ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.

[1] Gal. 1. Epid. 2.7. & 3. Ep. 3.32.
[2] Idem de diff. febr. 4.

[1] Nam offenſiones aëris peſtilentis victus genere inſtituto à tempeſtate dominante diverſo, facilè declinari poſſunt; [2] quia nulla cauſſa ſine patientis aptitudine agere conſuevit.

[3] Appian. de bello Parthico.

*Profuit aliquando οἰνέλαιον, hoc eſt, vinum oleo permixtum:* [3] ut in exercitu Antonii peſtilentia laborante illi rurſus in ſtatum ſecundū naturam conſtituti ſunt, quicunque ſervati ſunt, facta ſibi copia poculi œnelæi: hoc enim caſu præſidium mali compertum eſt.

[4] Plin. 24. 16.

[4] Aron miris laudibus extulere, dicunt & in peſtilentia ſalutarem eſſe in cibis. Ajunt quoque myrrhidem potam in peſtilentia ſalutarem eſſe.

[5] Thuan. Hiſt. 68.

[5] Annus cIↃ IↃ LXXX multis rebus geſtis toto orbe memorabilis, ſed ſterilitate ac lue contagioſa, quæ Olyſſiponæ præcipuè ſæviit, fatalis. correpti ea ſtatim exanimabantur, & incerta fere remedia erant. tandem lenientia magno profectu adhibita, & ſalutarem unicornis, & lapidis beſuarii uſum in potu multi experti ſunt. *Sed inter peſtis antidota palmam ferunt Theriaca, & Mithridatium.*

*Qua ratione Aër peſtis cauſſa efficiens corrigatur, & humorum in corpore ſalubritas conſervetur: quomodo item corpus peſtilentiæ maxime reſiſtat, vel ab ea liberetur, hactenus diximus.*

[6] Cicer. 3. Tuſc.
[7] Laërt. 2.
[8] Plato Timæo.

*Sed* [6] cum conſtemus & animo & corpore, *mutuum inter ea conſenſum eſſe diximus. Sicut enim, quando* [7] corpus morbis multis, paſſionibusque affligitur, anima ſimul cum corpore patitur & una turbatur; *ita* [8] quando anima corpore admodum potentior eſt, exultat in eo atque effertur, totum ipſum intrinſecus quatiens languoribus implet. *Hinc perturbationes in peſte admodum noxiæ.*

[1] — La-

[1] —*Lacrymis cassi luctuque redibant.* [1] *Lucr. cit.*
*Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur.*
[2] *Pars animam laqueo claudunt, mortisq; timorem* [2] *Ovid. 7. Met.*
*Morte fugant, ultroque vocant venientia fata.*

*Quandoquidem igitur animi defectio & mœror, gravissimum malorum, quo ad desperationem adducuntur, aliud excogitavit alexipharmacum mœroris antiquitas, nempe Musicam, cujus vi apud veteres innumerabiles maximosque morbos sanatos fuisse, compertum est.* Musica. [3] Et Thaletem Cretensem, Pythii Apollinis oraculo accitum à Lacedæmoniis, musica pestem tum grassantem sedasse Pratinas scribit. [3] *Plutarch. de Musica. Mart. Capella 9.* Sed Homerus etiam Græcos pestem musica depulisse scribit, qua infestabantur. Sic enim canit:

[4] Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, [4] *Hom. Il. 1.*
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν.
*Ergo die tota placabant carmine Phœbum,*
*Formosum Pæona Achaica turba canentes.*

*Nonnulli interpretantur, Musicam hanc, & hoc remedium nihil aliud esse, nisi ipsam animi lætitiam, qua nullum aliud in peste præsentius: cum metus & terror sæpe pestilens contagium attrahant.* Timore pestis contrahitur.

[5] —*Frigidus artus* [5] *Lucr. 4.*
*Alligat atque animum subducto robore torpor.*

*Et quia corpori* [6] vires subtrahit ipse timor, *tanto magis ad morbos recipiendos disponitur.* [6] *Ovid. Ep. Heroid.*

*Tam varia verò pestis natura, ut nonnunquam sponte cedat:* Pestis varietas. [7] Inde paullatim sive pace Deum impetrata, seu graviore tempore anni jam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse incipere: [7] *Livius 3. Hist.*

*Nonnunquam verò* [8] nulla ars humana prodest, & omnia quæ adhibentur sunt inutilia, [8] *Thucyd. cit.*

[9] *Quæsitaque nocent artes, cessere magistri* [9] *Virgil. Georg.*
*Phyllirides Chiron, Amithaniusque Melampus.*

*Itaque*

*Itaque*

[1] Ovid. 15. Met.

[1] *—postquam mortalia cernunt*
*Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,*
*Auxilium cœleste petant.*

Curatio divina.
[2] Livius 11. Hist.

*Sic in peste anni ab urbe condita* IↃLXIX. [2] supplicatio per omnia pulvinaria indicta in diem unum, & Coss. edixerunt, ut per totam Italiam triduum supplicatio & feriæ essent. *Et in pestilentia, quæ proximè sequenti anno subsequuta est*, [3] Decemviri supplicationem in biduum, valetudinis caussa in urbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt, majores duodecim annis omnes coronati & lauream manu tenentes supplicaverunt. *In alia* [3] Consul Apollini, Æsculapio, Saluti dona vovit & dedit signa inaurata.

[3] Idem 41.

[4] Idem 11.

*Alio tempore* [4] cum civitas pestilentia laboraret, missis legatis, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguis, qui se in navem contulerat, idque ipsum numen esse constabat, deportavere.

[5] Ovid. 15. Met.

[5] *— & finem, specie cœleste resumpta,*
*Luctibus imposuit; venitque salutifer urbi.*

*Similia in Ecclesiasticis historiis plurima de Christianis leguntur. Quidam tamen cum Iunone*

[6] Virgil. Æneid.

[6] *Flectere si nequeunt superos, Acheronta movebũt,*
*& superstitiosa, atque diabolica remedia adhibebunt.*

Superstitiosa.
[7] Plin. 26. 9.

[7] Verbascum experti affirmavere, plurimum referre si virgo imponat nuda jejuna jejuno, & manu supina tangens dicat: Negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda virgo restinguat: atque ita retrorsa manu ter dicat, totiesque despuant ambo.

Diabolica.
[8] Philostr. 4. 3. Vide Euseb. in Hierocl. 4.

[8] Cum pestis graviter Ephesum invasisset, nec ullum sufficiens remedium inveniretur, legatos Ephesii ad Apollonium miserunt, tanti mali remedium ab eo deposcentes: ipse verò non differendum esse profectionem arbitratus, Eamus, inquit: brevique

tempore

tempore Ephesum delatus est, ibique idem opus operatus est, quod olim Pythagoram apud Thurios, Metapontinosque fecisse perhibent. vocatis namque in concionem Ephesiis, Confidite, inquit, viri; hodie namque hanc pestem amovebo. His dictis universam turbam ad theatrum duxit, ubi pro malis depellendis sacrificia fieri consueverunt: ubi senem quendam mendicanti similem invenere, qui arte quadam oculis connivebat, & peram gestabat paniceis frustis refertam: lacera autem attritaque veste amictus erat, & facie squallore horrida. Huic Ephesios circumponens Apollonius, Obruite lapidibus, inquit, hunc Deorum inimicum. Admirantibus autem Ephesiis ejus dicta, & inhumanum, crudeleq; censentibus, peregrinum hominem tam misera conditione degentem interficere, humillimè præsertim pro salute sua deprecantem, multa pro captanda misericordia loquentem: instabat Apollonius, Ephesios cohortans ne diutius illum vivere permitterent. Cumque jam aliqui lapides in illum jacerent astantes, qui prius connivere videbatur, respexit acriter, & igne plenos oculos monstravit. Quo viso agnoverunt Ephesii dæmonem esse, tantoque studio ipsum lapidarunt, ut brevi spatio magnum lapidum cumulum super ipsum coacervarent. Paulum deinde moratus Apollonius auferri lapides jussit, ut feram, quam interfecissent, agnoscerent: Cumque ita detexissent, nudassentque corpus, quod se lapidibus contrivisse putabant, homo quidem evanuerat: canis autem tanquam molossus conspiciebatur magnitudine tanta, quanta maximi leonum esse solent. Talis itaque lapidibus attrita bellua, spumam, quasi rabidus canis, ab ore emittebat. Et is quidem modus fuit, qui Ephesios expiavit, & morbo liberavit.

*Tempore nostratis Hadriani* [1] exorta est in urbe pesti-

[1] *Iovius Hist.* 21.

pestilentiæ lues, quæ quum severis legibus more nostro Hadriano pontifici minimè coërcenda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, ut multa funera in compitis viserentur, appareretque vastari urbem, haud multo dierum spatio, nisi Græculus quidam, nomine Demetrius Spartanus, sedandæ pestilentiæ, favente ei turba hominum, negotium suscepisset, nemine superstitionē vetare auso. Nam ferum taurum cui dimidium cornu dissecarat, magico carmine dextram in aurem prolato repente ita mansuefactum reddiderat, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet perducens, pestilentiæ placando numini ad amphitheatrum immolasset. Nec credulæ multitudinis spem ex toto fefellit, quum ab ea inanis sacrificii prospera litatione, mitescere morbus cœpisset.

## CAP. III.

### *Sudoris Anglici origo, essentia, curatio.*

[z] *Polyd. Virgil. Hist. Angl. 27.*

ANno [z] cIↃ CCCC LXXXVI. novum morbi genus pervasit per totum Angliæ regnum, sub primum Henrici VII in insulam descensum, dira quidem lues, & quam nulla sit ætas antea, quod constet, perpessa: subitò enim sudor mortifer corpus tentabat, ac simul caput stomachumque vehementi caloris ardore affectum angebat. Quo in morbo homines qui à principio erant, quia alii æstus minus patientes, si in lecto erant, stragula dimovebant, si vestiti, vestes deponebant, alii sitientes frigidum potum sumebant, alii demum patientes caloris fœtorisque (nam sudor grave olebat) additis stragulis sudorem provocabant, æquè omnes aut illico, aut non multo postquam sudare cœpissent, moriebantur, ita ut ex omni ægrotantium numero, vix centesimus quisque evaderet. Neque ulla interim Me-

dicorum ars, aut ſcientia quicquam opitulabatur, quod morbi novitas omnem eorum excluderet peritiam. Verum poſt viginti quatuor horas (tāto temporis ſpatio vis ejus morbi durabat) abeunte ſudore nonnulli confirmabantur: non eo tamen ita expurgati erant, quin iterum atque iterum in morbum reciderent, multique inde perirent. Sed ea res remedium tanto malo ad ultimum monſtravit: nam qui ſemel primò ſudarant, cum deinde rurſum ægrotarent, obſervabant ea, quæ in prima curatione profuiſſent, & illis pro remedio utentes, addebant ſemper aliquid ad curationem utile. Item & illi iidem cum iterum in idem valetudinis genus inciderent, ex priore obſervatione earum rerum, per quas ſe confirmaſſent, ita ſe curare didicerunt, ut vim ſudoris illius facile tolerarent. Quibus rebus ita uſu venit, ut poſt ingentem mortalium ſtragem, remedium unicuiq; promptiſſimum inventum ſit. quod hujuſmodi eſt: Si quis interdiu ſudore corripiatur, cum veſtitu protinus cubatum eat: ſin noctu, & in lecto, tum quieſcat nec ſe è loco moveat, uſque ad viginti quatuor horas exactas: interim ita ſe ſtragulis oneret, quò non provocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet. cibi nihil capiat, ſi tamdiu famem tolerare poſſit, neque plus potionis conſuetæ ac calfactæ hauriat, quam modicè ſatis ſit ad ſitim extinguendam. inter hanc curationem inprimis caveat, ne manum quidem aut pedem ſui refrigerandi recreandique cauſsâ, extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt. Hoc remedium eſt novo morbo inventum, qui tantum in Angliam id temporis pervaſit, & poſthac ſæpe graviter afflixit. Curatio.

CAP.

## CAP. IV.

### *Morbi Hungarici origo, & symptomata.*

*[1] Balth. Conradinus, ex Germanico.*

TRibulis [1] pestis est lues, quæ dicitur Pannonica: hæc perinde ut illa in populum debacchata truculentam mortalium stragem edidit. Expeditione enim necessaria, non minus quam justa, contra Solymannum Turcarum Imperatorem, à Cæsare Maximiliano II. anno partus virginei cIↃ IↃ LXVI. suscepta, ubi vires universi prope Christiani orbis unanimes convenerant, in Pannonia innotuit: Eoque Hungarici vel Pannonici à regione, veluti morbus Gallicus, & Sudor Anglicus, & hic morbus denominationem sortitus est. Castris ad Comarum cœpit, junctis ad Jaurinum incrementa suscepit, exautorato, & hinc inde dilapso milite, sævissimus factus. tunc ceu per seminaria distributum est contagium Germanis, Burgundis, Belgis, Italis, Bohemis: vehementior tamen & diuturnior malignitatis portio Viennæ hæsit, qua domum revertentibus pœne singulis transeundum erat, & pro se quisque reficiendi corporis studiosus, dum intra tecta reciperetur, gratitudinis aut mercedis loco, morbum hospiti vel familiæ ingerebat, & ita advenarum diversoriis dedicata loca undiquaque languentibus referta, viæ publicæ cadaveribus aut exanimibus occupatæ conspiciebantur.

Symptomata fermè ejusmodi erant: circiter tertiam vel quartam à meridie horam invadebat, ejusque ἐπισημασία cum levi rigore, qui frigus potius, vel superficiarum horrorem, quam rigorem præ se ferret, observabatur. Post horulæ dodrantem æstus illum excepit, qui noctes & dies sequentes assidue excruciatos detinuit. Inquirentibus conquerebantur de capitis dolore potissimum: deinde manu

quoque

quoque admota ostendebant regionem sub sterno ad cartilaginem ξιφοειδῆ. Ibi omnibus certè ἀντίτυπον quiddam, renitentia, & durities observabatur. Sitis inexhausta primis statim initiis torquebat. Postridie, vel ad summum tertia die deliria, satis diuturna. Exacerbationes circa vesperum, per noctem recrudescebat morbus. Lingua torrida, labra quoque fissa, quibusdam sputum sanguinis. In quibusdam dysenteria, in aliis colici laterumque dolores. Reliqua vide in Observat. Schenckii lib. VI.

## CAP. V.

### *Morbi Vervecini origo & essentia.*

MOrbus [1] novus, Vervecinus in Italia dictus, qui in Oriente primum, dein Italia & Hispania lethalis (nam & ex eo Anna Philippi regis uxor decessit, & Gregorius XIII periculosè ægrotavit) postea etiam Septentrionem pervagatus, apud nos incognita initio remediorum ratione multos afflixit; Coquelucam vulgò vocabant, verbo, anno hujus seculi x, fœliciter apud nos imperante Lud. XII. usurpato, quæ famem & pestilentiam ante biennium toto regno grassatam secuta fuerat: Erat id ægritudinis genus non tam mortifera vi timendum, quanquam & ex illo multi perierint, quam progressu & celeritate, qua proxima quæque loca serpente contagione complectebatur, admirabile. Primo inferiorem dorsi spinam horrore plerumq; occupabat, dein horrori gravedo capitis & languor membra eorum, quos corripuerat, resolvens succedebat, pectori in primis gravis. Quibus verò intra quartum vel quintum diem, malum non decessisset, in febrim degenerans eos interimebat. Id multis neglectum, in bonum vertit. Lethale ferè iis, qui medicamentis purgantibus, aut venæ sectione

[1] *Thuan. Hist.* 72.

utebantur, quæ utraque difficiliorem reſpirationem efficiebant; illa, quod humorem omnem à capite ad pectus trahebant; hæc præterquam quod corpus refrigeraret, etiam vires debilitaret, quibus ad reſpirationem & vim morbi ſuperandam validis opus erat.

## CAP. VI.

### *Morbus Peſtifer Deliorum.*

[1] *Æſchines Sp.ad Philocrat.*

LAborant [1] Delii peſtifero quodam morbo. Vultus quidem vitiligine plenos, capillos pariter albos habebant, ipſorum autẽ collum & pectus erant tumida; febres verò non aderant, neque dolores inſignes, neque inferiores partes quicquam permutatæ fuerant. Fuerunt autem quæ tale morbi genus conditiones comitabantur quinque. Primo peſtilens erat: ſecundo leuce ſeu vitiligine ora replebantur: tertio pili albeſcebant: quarto collum & pectus tumeſcebant: quinto doloribus exiguis ægrotantes exercebantur; aberant febres.

[2] *Mercurial. 3. Var.8.*

[2] Quis hic morbus fuerit, valdè ambiguum. Mihi ſanè cogitanti alphos atque vitiligines neque peſtiferos, neque contagioſos fieri, præterea ſine tumore ullo ac ſine dolore exiſtere, putarem elephantiaſin ſive lepram albam fuiſſe, quam peſtiferam, contagioſam, cum dolore & tumore fieri confirmant Medici.

## CAP. VII.

### *Elephantiæ nomina, diſcrimen à Græcorum Lepra, cauſſæ, origo, ſigna, curatio, contagium.*

E*X deformitate figuræ, & magnitudine, Affectus hic varia nomina obtinuit apud Græcos.* Ἔλεφας *enim &* Ἐλεφαντίασις, *quia corii craſſitie,*

( [1] *Hetus*

*([1] Herus meus elephanti corio circumtectus est, non suo,* [1] *Plaut. Mil.*
*Neque habet plus sapientiæ, quam lapis)*
*facie fœda & deformi, ac magnitudine elephantem refert: vel, ut voluit Platerus, quod aures elephanticorum patulæ & latæ alarum instar factæ, elephanti aures quodammodo exprimant.* Λέον *autem,* λεόντιον, & λεοντίασις *dicitur, propter extremarum rugarum frontis similitudinem.* Σατυρίασις, *tum ob faciei depravationem depictis Satyris similem, tum ob promptam & inexplebilem coëundi libidinem, qua Elephantici tenentur, priusquam extremè laborent, ob flatuum acriorisque seri copiam, quæ in eis redundare solet, & perpetuam fere tentiginem inducere.* Ἡράκλειον *etiam vocatur ob magnitudinem: qua ratione Leontiasin quoq; dici quidam volunt. Et quidni etiam Elephantiasis? Gallis generali morbi nomine* Maladie *appellatur, unde nostrum* Malaets; Lazarie *autem à Lazaro è SS. noto.* Elephantiæ nomina.

*Elephantiasis eum morbum significat, quem Arabes, Latini, & vulgus ferè omnium gentium, Lepram dixerunt, valde diversam à Lepra Græcorum, quæ Scabiei species, inde dicta, quod cutem in quasdam quasi squammas resolvat,* ἀπὸ τῆς λεπίδος, *id est, squamma.* Lepra quid.

*[2] Est elephas morbus, qui propter flumina Nili* [2] *Lucret. 6.*
*Gignitur Ægypto in media, neq; præterea usquam:*
*Atthide tentantur gressus, oculique in Achæis*
*Finibus; inde aliis alius locus est inimicus*
*Partibus ac membris; varius concinnat id aër.*

*Nec aër modo, sed etiam suillæ carnis esus hujus morbi caussa creditur.* Elephant. caussa.

[3] Suillam autem carnem Judæi abominantur, quia maximè abhorrent à vitiliginibus & lepra, quas putant esu harum carnium adsciscì. Etenim videmus suem sub ventre plenum esse lepra, & scabiosis [3] *Plutarch. 4. Symp. 5.*

malignè pustulis: quæ sanè existimantur à prava corporis affectione & corruptela eorum, quæ intus sunt, in superficiem erumpere.

Elephant. origo. [1] *Idem* 8. *Symp.* 9.

[1] Constanter adserebat Philo medicus morbum, qui Elephantiasis dicitur, non ante multum adeò temporis ortum esse. nullum enim veterum medicorum de eo mentionem facere, cum quidem in res minutas, viles & obscuras disputationem insumere non posthabuissent. Ego autem testem ei citavi Athenodorum, qui narrat primum Asclepiadis ætate elephantiasin innotuisse. Scitè fabularum scriptores fingunt prorsus insolentia & monstrosa animalium nata esse in pugna gigantum, cum Luna eversa non solito more & loco oriretur. Qui verò naturam autumant morbos, tanquam monstra gignere, neque vero, neque falso similem caussam fingentes, eo errant, quod nimis & magis in morbis pro novitate & differentia accipiunt. Enimverò incrementum, & contentio magnitudinem potest, & multitudinem apponere: sed subjectum de suo genere non emovet. quo pacto Elephantiasin scabiei vehementiam censeo esse.

Elephant. signa. [2] *Plin.* 26. 1.

[2] Elephantiasis ante Pompeii Magni ætatem non accidit in Italia, & ipsa à faciè sæpius incipiens, in nare prima veluti lenticula: mox invalescente per totum corpus, maculosa, variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura, ceu scabie aspera: ad postremum verò nigrescente: & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Ægypti peculiare hoc malum: & cum in reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.

Curatio. [3] *Idem* 20. 10.

[3] Asparagi radix in aceto decocta contra elephantiasin proficit.

[4] *Ibid.* 14.

[4] Mentastri foliis commanducatis & impositis sa-

nar

nari elephantiasin, Magni Pompeii ætate, fortuito cujusdam experimento, propter pudorem facie illita, compertum est.

[1] Papaveris sativi albi semen, & [2] elleborus albus elephantiasi medentur. [1] Ibid. 18. [2] Idem 25.5.

[3] Cedri succo facies (*ita lego, pro* facilius) in elephantiasi illinatur. [3] Idem 23.5.

[4] Elephantiasin sanguis & cinis mustelæ emollit: [5] fel caprinum illitum tollit. [4] Idem 30.13. [5] Idem 28.12.

*Elephantiasis contagio solet proserpere: quare eo correpti extra civitates relegantur, & sanorum consuetudine prohibentur.* Contagium.

*Apud Persas* [6] si quis è civibus lepra aut vitiligine infectus sit, huic in civitatem accedere non permittitur, neque cum aliis Persis consuetudinem habere. Externum verò, qui iisdem correptus fuerit, è regione sua exigunt. [6] Herodot. 1. 138.

[7] Plurimi authores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret: regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Deis, alias in terras avehere jussum. *Et sic* [8] Ægyptii, cum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti, Mosen cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. [7] Tacit. Hist. 5. [8] Iustin. Hist. 36.

## CAP. VIII.

### *Luis Venereæ nomina, origo, caussa, symptomata, curatio.*

FUit [9] tempestate Heraclii imp. quædam elephantia, seu scabies, novum genus impetiginis, quæ toto corpore diffusa, homines vix dignoscendos reddebat. Quæ rursus ann. cIↄ cccc xcvi cœpit in omni fere Europa nullo remedio. [9] Volaterr. 22. in vita papæ Deus dedit.

*Eundem annum notat P. Maynardus Veronensis,* & Luis Ven. nomina.

*& luem hanc prædictam fuisse ex siderum observatione à medico Paulo de Medelburgo Zelando anno* cIↄ cccc LXXXVII. *Cœpit omnium fere authorum consensu in Italia cum Galli Neapolitanum regnum recuperarent. Quod accidit, teste Ioanne de Vigo Iulii II. Chirurgo, circa an.* cIↄ cccc XCIV. *Vnde ab Italis* morbus Gallicus, *à Gallis* morbus Italicus *sive* Neapolitanus *dictus: à nobis* Hispanicus, *ab illis, qui eum cum Ioanna Ferdinandi filia Philippi archid. sponsa in Belgium intulerunt, quique primi eo laborasse è Christianis dicuntur.* Patursa *iis appellatur, &* turpis Saturnina, *quod inceperit Saturno arietem subintrante, teste Almenaro. Leonicenus* Epidemium *vocitare maluit, quem etiam alii sequuntur, nimis licenter. Fracastorio in lusibus est Syphilis, à Syphilo pastore, quem fingit, & eo primum affectu laborasse narrat. Etymon esse possit* ἀπὸ τοῦ συὸς, *id est, porca, &* τῆς φιλίας, *id est, amore. Scortatores enim huic malo præcipuè obnoxii, meretrices (quas etiam porcas vulgus appellat) unicè diligunt. Idem testatur Germanos eum morbum* Mevium *appellare, fortè* Meinium *à* minnen. *Fuere, qui* Pudendagram *nominarint, quod pluribus à pudendis incipiat, ut olim* [1] Mentagram appellavere, novum morbum, quoniam à mento ferè oriebatur. *Quin etiam nostram hanc luem, ipsam veterum Mentagram esse statuunt* [2] *nonnulli. Quidam* D. Jobi morbum, vel scabiem *nuncupant: quoniam patientissimus vir totius corporis laniatum sustinuit. quemadmodum hoc morbo affecti Galli,* magnam Vairolam, *per metathesin pro variola, à varo, qui Græcis est* ἴονθος, *forte dixere: quia ex primis ac præcipuis ejus notis sunt papulæ sui generis, quas vulgus Gallicum* Briolas *appellat, iisque affectum* Briolosum. *Magna verò dicitur, ad differentiam morbillorum, quos jam olim vocabant Variolas. Lombardis est* lo male delle brosule,

[1] *Plin. 26. 1.*

[2] *Beniven. de abdit. morb. causs. Wend. Hock. de m. Gall. 1.*

brosule, *Tuscis* delle bulle, *Genuensibus* delle tavelle. *Valentini*, *Catalani*, *Aragonenses* morbum S. Sementi *vocarunt*, *Malabari* Pua, *unde Hispani* Las buas.

Luis Ven. origo.

[1] Torrella de pudendagr.

[1] Quidam scribunt affectum hunc incepisse an. CIƆ CCCC XCIII. in Alvernia, & sic per contagium pervenisse in Hispaniam ad insulas, inde in Italiam, & demum serpendo totam Europam, imò totum orbem peragrasse. Alii cœpisse dicunt in Valentia Hispaniç Taraconensis insigni civitate à nobili scorto, cujus noctem elephantiosus ex equestri ordine miles, L. aureis emit: & cum ad mulieris concubitum frequens juventus accurreret, intra paucos dies supra quadringentos infectos; è quorum numero Carolum VIII. Galliæ regem Italiam petentem sequuti, & hoc malum attulere.

[2] Guicciard. Hist. 2. ex Italico.

[2] Galli ea lue, dum Neapoli agerent, correpti, eam post in patriam redeuntes, per universam Italiam diffuderunt: qui quidem morbus sive novus omnino, sive in hoc nostro orbe ad hanc usq; ætatem, nisi forte in quibusdam remotissimis extremisque partibus, ignoratus, usque adeo per multos annos fuit horribilis, ut tanquam gravissima calamitas memoriæ posteritatis tradendus esse videatur. Nam cum sese vel pustulis fœdissimis, quæ sæpenumero ulcera agebant, usque adeò malefica, ut omnem curationem respuerent: vel doloribus, in ipsis totius corporis articulis & nervis, acerbissimis proderet: nec per medicos accommodata remedia, sed non rarò prorsus contraria, ac talia, quibus is morbus potius irritaretur, adhiberentur, complures mortales, nec ætati, nec sexui parcens, vita privavit: plures aspectu penitus deformatos, inutiles, & cruciatibus ferè perpetuis obnoxios reliquit: quin & bona eorum pars, qui sanati videbantur, brevi temporis intervallo in eandem miseriam recide-

Luis Ven. symptomata.

bant. Post autem aliquot annorum curricula, sive cœlesti siderum, unde ortum habuerat, diro aspectu mitigato; sive longa experientia remediis opportunis ad ejus curam inventis, multo mitior esse cœpit: in plures etiam species, atque à prima diversas, suapte natura commutatus. De qua calamitate nostri seculi homines jure queri possent, si in eos citra propriam culpam perveniret: propterea quod omnium eorum consensu, qui hujusce morbi naturam sedulo explorarunt, compertum est, aut nunquam omnino, aut perquam rarissimè in aliquem, nisi veneris contagione pervenire. Verum æquum est, hanc ignominiam à Gallico nomine removere: nam post, eam luem scabiemque fœdissimam ex Hispania Neapolim importatam fuisse, constitit. Nec tamen ejus gentis fuit propria, sed eò quoque ex illis insulis allata, quæ Christophori Columbi Genuensis navigatione manifestari iisdem fere annis in nostro orbe cœperunt: quibus tamen in insulis hic morbus naturæ benignitate præsentissimum habet remedium: quippe tantum cujusdam nobilissimi, atque aliis multis dotibus memorabilis ligni, quod ibi nascitur, succi haustu, facillimè curantur. *Guajacum id vocant.*

Luis Ven. curatio.

[1] *Iovius Hist.* 4.

[1] Aliqui ex argento vivo axungia permisto, triduana inunctione convaluerunt, sed ut enormia morbi vestigia relinquerentur. Alii laborioso exercitationis genere, & parca exquisitaque victus ratione, quum sævas manus medicorum alieno periculo remedia quærentium effugerent, certiora subsidia repererunt.

[2] *Thuan. Hist.* 71.

[2] In Java majore homines lue Venerea valde infestantur. quam ea ratione curant: à decima hora diei usque ad secundam pomeridianam ardentissimo soli se ægri exponunt, & ita peccantem & malignum habitum desiccando exhauriunt.

[1] Multi

[1] *Multi Luem hanc in dies mutari, & ita inclinare atque consenescere, ut sit posthac brevi finem habitura, literis prodiderunt. ajunt enim, cum primum oriretur, tanta fuisse fœditate, ut quæ nunc grassatur, vix illius generis esse putetur. Sed hoc in Fracastorio notat Iulius Scaliger.* [2] Cum, *inquit,* negat animalia cætera præter hominem morbo Gallico tentari: cum multis quidem facit. nos tamen vidimus canem ea lue captum, qui heri sui emplastra linxisset. [3] *Imò canem dies aliquot caninis carnibus nutritum, hanc luem contraxisse refert nobilis apud Italos Empiricus. & hoc argumento Indis familiarem esse colligit, quoniam suæ speciei carnibus vescantur. sunt enim quidam apud illos ἀνθρωπόφαγοι. Pergit Scaliger:* At quod ait morbum hunc extinctum iri, ac certis postea seculis fore, ut denuò renascatur, atque idcirco sese parare suo carmine remedia, quæ tum usui futura sint: non intellexit, eum qui ita sentiat, illud quoque sentire necessariò, ut & ejus tam præclarum intereat poëma, & aliquando tam poëma, quam poëmatis author idem renascatur. Id quod non minus absurdè deducitur ex mundi æternitate, quam ex mundi creatione mutatio in Deo.

*[1] Langius 1. Epist. 42. Fracastor. 2. de m. contag. 2. Leonicen. de morb. Gall. Ioubert. de vairol. 3. Varand. de lue Ven.*

*[2] Scal. 6. Poëtices.*

*[3] Fioravanti lib. de morb. Gallico Italicè scripto.*

## CAP. IX.

### *Alterius Luis Venereæ, Borozail, natura, & curatio.*

IN [4] utraque ora fluvii Senega multa sunt regna, in quibus periti sunt medici multi, quos Bisrains appellant. Morbus qui illic frequenter grassatur Borozail nominatur, & Zail Æthiopum lingua, qui ex immodica Venere, cui multum obnoxii sunt, ortum habet. Genitales partes potissimum is occupat. Ad hujus morbi curationem decoctis multis

*[4] Thevet. 3. Cosmograph. 2. ex Gallico.*

utuntur, sed potissimum decocto herbæ, quæ Achenaca dicitur. Hujus folia bifurcata & acuminata sunt, Brassicæ amplioris foliis simillima, sed non ita crassa, & tenuiore costa. In horum medio fructus nascitur, ovi magnitudine, colore luteo, quem Alvard nuncupant. Fructus is magno apud eos in pretio est. Tota planta tibiæ hominis crassitudine. Ea in morbis curandis utuntur, perinde ac nos Guajaco.

## CAP. X.

### *Brunonis Gallici origo, signa, symptomata, caussæ.*

Brunonis Gallici origo.

[1] *Thuan. Hist.* 65.

ANno [1] cIↃ IↃ LXXVII. prodigii loco annotatus insolens ac novus à Bruno in Marcomannis oppido Nigro & Suittavo amnibus circumdato, & quod Gallico affinis esset. vulgo Bruno Gallicus dictus morbus. Cum iis locis hyems esset asperrima, circa medium decembrem lues hæc apparere cœpit, & quicunque ad Spilibergi balneum, quod est unum ex tribus iis, in quibus Brunenses publicè lavantur, hypocaustum sive laconicum ingressi sunt, adactoque in cutem scalpello & cucurbitis admotis sanguinem eduxerunt, quod frequenter inter eos usurpatur, tam fœminæ quam viri, ad xxc protinus ea correpti sunt. Mali prima signa, torpor, pigritia, gravedo, animi dejectio, membrorum spontanea lassitudo, vividus oris color in pallidum statim mutatus, aspectus torvus, ac circulus fuscus, qualis in mulieribus menstrua patientibus, circa oculorum orbem. Tum ad cucurbitularum cicatrices rubor insolens, quem excepere abscessus & ulcera tabo sanieque fluitantia; sed ea in uno & altero cucurbitulæ vestigiis erumpebant, licet multò plures adpositæ fuissent. Ulcera autem hæc aperta liquore

Signa, & symptomata.

pingui,

pingui, mucore lento, & lurida ſanie manabant; dein deterſa ſcabie maculæ atræ plumbei ac fuſci coloris haud multum impetiginibus ac vitiliginibus abſimiles remanebant. Augeſcente dein malo in capite calli concrevere, lentum & viſcidum humorem, cum rumpebantur, aut ſecabantur, cum acri ægrorum dolore emittentes. Cauſſæ ſubiti veneni ſeu contagii cum nullæ quærentibus ſive ex ſuſpicione, ſive ex natura petitæ occurrebant, tum hoc primum in novo eo morbo ſumma admiratione dignum videbatur, quod licet Indico multa ſimilia haberet, tamen citra veneris uſum ſubito erupit, & notæ pudicitiæ ſeu caſtitatis virgines ac ſeptuagenarias etiam fœminas invaſit, & cum ab ipſo brumæ die intenſior fuiſſet, circa æquinoctium vernum proximum, cum Sol arietem ingreditur, ſenſim remiſit, atque intra annum omnino evanuit. Cum Thomas Jordanus excellens medicus, qui de eo peculiarem commentarium ſcripſit, cauſſam in vaporem ab infectis lue Venerea in laconico conceptum, qui deinde contagie ad alios ſerpſerit, rejiceret; conſultus ab eodem Joannes Crato Cæſareus archiatros contradixit, & vel ſcalpellum infectum ſeu napello ſeu veratro albo, quo Hiſpani venatores ſagittas inficiunt, vel putridum vaporem, qui per vulnus ſubiit, atque ſanguini communicatus eſt, malo cauſſam dediſſe, cenſura ſua aſſeruit.

Cauſſæ.

LIB. IV.

# DE PARTIUM MORBIS INTERNIS.

## CAP. I.

### *Capitis externi affectus. Dolor, ejus caussæ, præservatio, & curatio.*

*[1] Cels. 6. 1.*

DIxi [1] de his vitiis, quæ per totum corpus orientia, medicamẽtorum auxilia desiderant. Nunc ad ea veniam, quæ non nisi in singulis partibus incidere consuerunt, orsus à capite.

*[2] Senec. 2. de Clem. 2.*

[2] A capite bona valetudo, inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa.

Capilli.
*[3] Plin. 11. 37.*

[3] In capite cunctorum animalium homini plurimus pilus, jam quidem promiscue maribus ac fœminis, apud intonsas utique gentes. Atque etiam nomina ex eo capillatis alpium incolis, Galliæ comatæ: ut tamen sit aliqua in hoc terrarum differentia. Quippe Myconii carentes eo gignuntur, sicut in Cauno lienosi. Defluvium eorum in muliere rarum, [4] in spadonibus non visum, nec in ullo ante veneris usum. Calvitium uni tantum animalium homini.

Capillorum defluvium.
*[4] Hipp. 12. Aph. 23.*

*[5] Cels. cit.*

[5] In hoc igitur capillis fluentibus maximè quidem sæpe radendo succurritur. Adjicit etiam vim quandam ad continendum ladanum cum oleo mistum.

*[6] Ovid. 3. de arte.*

[6] *Turpe pecus mutilum: turpis sine gramine cãpus:*
*Et sine fronde frutex; & sine crine caput.*

Area.
*[7] Cels. 6. 4.*

[7] Arearum duo genera sunt. Commune utrique est quod emortua summa pellicula, pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac si ictus is locus est, sanguis exit liquidus, & mali odoris, increscitque utrumque in aliis celeriter, in aliis tardè. Pejus est, quod densam cutem, & subpinguem, & ex toto gla-

bram

bram fecit: ſed ea quæ ἀλωπεκία nominatur, ſub qualibet figura dilatatur, fit & in capillo, & in barba. Alopecia.

[1] —τὸ δ' ἄτριχον εἰσέτι καὶ νῦν [1] Callimach.
Μεσσάτιον στέρνοιο μένει μέρος, ὡς ὅτε κόρσην hymn. in
Φωτὸς ἐνιδρυνθεῖσα κόμην ἐπενείματ' ἀλώπηξ. Dian.

[2] —*ut pars nunc ea reſtet glabra, nec ultra* [2] *Vulcanus*
*Setas producat; veluti damnoſa capillos* *vertit.*
*Cum caput eſt aggreſſa hominis populatur alopex.*

[3] Id verò quod à ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus ſerpit, quibuſdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Ophiaſis. [3] *Celſ. cit.*

[4] *Quod ſolum formæ decus eſt, cecidere capilli,* [4] *Petron.*
*Vernantesque comas triſtis adedit hyems.*
*Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent,*
*Areaque attritis nidet aduſta comis.*

*Hi affectus capillorum defectum reſpiciunt. In colore conſiſtit Canities.* Canitiei cauſſa.

[5] Ariſtoteles in naturalibus quæſtionibus hoc excutit, cur magis caneſcant, qui unguento caput illinunt? an quod unguentum propter odores exſiccet, ſqualloresque arefaciat. Squallor enim canitiem efficit. Nam ſive canities pilorum ſit ariditas, ſive caloris inopia, ſiccitate omnia marceſcunt. Quamobrem iis, qui pileo caput tegunt canities acceleratur, quia humor abſumitur alendo pilo deſtinatus. [5] *Athen.* 15. 13.

*Præterea*

[6] —*miſerabile turpes* Tinea.
*Exedere caput tineæ: deſecta patebant* [6] *Claudian. in*
*Intervalla comæ.* *Eutr.* 2.

[7] Inter Hungariam & Pocutium regni Poloniæ provinciam, quæ compluribus fluviis ex montibus erumpentibus inter ſe diſtinctæ ſunt, morbus novus primum graſſari cœpit Anno cIↃ IↃ XCIX. unus & alter cirrus cum vicinis ſibi crinibus in ſe introrſum Plicæ origo. [7] *Thuanus Hiſt.* 123.

compli-

complicatus ac densus excrescebat, sine molestia initio; postea ubi totum Poloniæ regnum pervasit,
Symptomata. majore cum cruciatu ossa infringebat, laxabat artus, vertebras eorum infestabat, membra conglobans ac retorquens, ac gibbos postremo efficiens. tum pediculos fundebat, caputque verminante ubique peste opplebat, ut purgari non posset. cincinnis illis derasis humor & virus in corpus relabebatur, & affectos torquebat, caput, pedes, manus, juncturasque omnes exagitans. oculorum visum adimebat, aut defluxiones ciebat. remediis usitatis ægrescebat malum, & in fœminas, præcipuè eas, quæ statis temporibus non purgabantur, sæviebat; inter viros maximè eos, qui Neapolitano morbo infecti fuerant, aut in liberos ab iis procreatos; eos item qui capitis porriginem medicamentis repercutientibus repressèrant.
Natura. Caussam & naturam mali quærentibus, apparebat, adfinitatem id habere cum exhalatione fuliginosa, ex qua nascuntur crines; cum tinea & lue Neapolitana in ossium cruciatu; cum phthiriasi ob redundationem vermium; cum arthritide ob artuum dolorem; cum spasmo contractione miserabili membrorum. Ita de novo morbo cum Laurentius Staringelius academiæ Samoscienſis rector ad Patavinæ academiæ medicos professores ipsius Samoscii jussu scripsisset, Hercules Saxonia, cui id munus delegatum fuit, respondit; & non tunc primo natum morbum ostendit. nam Jo. Georgii Schenckii testimonio constare, hunc morbum non novum aut Polonis peculiarem esse, sed diu ante inter Helvetios per Alsatiam, Brisgoiam, Belgiique regiones ad Rhenum positas grassatum esse, & in Germania ipsa & Hungaria, sed rarius, conspectum: & anno quidem cIↃ IↃ LXIV. ita notum fuisse in Germania, ut jam antiquior existimaretur. amplius confirmari Jo. Statleri observatione, qui Gasparem, &c. cum
ob

ob impexam & inexplicabili pilorum contorſione horrificam planeque Gorgoneam barbam vitaretur, quidvis tamen potius ſe paſſurum reſpondiſſe, quam ſua illa barba careret; ſiquidem iis qui eo malo tentarentur, perſuaſum fuiſſe, graviſſima capitis morborum fomenta, veluti apoplexiæ, paralyſeos, maniæ, ac pertinacis cephalalgiæ materiam, ſeu capillitio ſeu barba hujuſmodi intricata alenda abſumi. itaque ſumma religione cirros illos prorſus incultos ſervare, nec ferro præſcindere aut pectere. Morbo autem jam tum aliud atq; aliud nomen factum. nam alios è vulgo pilorum contorſiones ſive incuborum tricos vel cincinnos vocare; quod putent Incubos & Faunos noctu eoſdem ſugendo tractare. alios ſcrofarum plicas. apud Polonos clavum, ſive ambiguo nomine hoſpitem dici, quod in Poloniam ex Roxolania venerit. ſed Plicam aut Cirragram rectius appellari poſſe. Ejus porrò cauſſas, effectus, conditiones, remedia, copioſe atque ex propoſito Saxonia commentario explicat. Contra eum diſputavit, & Plicam eandem cum Lue Venerea eſſe, ingenioſius quam verius libro peculiari probavit quidam; cui contrario dialogo ab homine Saxoniæ ſtudioſo reſponſum. Nomina.

*Reliquos Capitis affectus in tres ordines ex affecta ſede partimur; quorum alii ejus membranas, in quibus ſolis ut exquiſitè ſentientibus dolores fiunt; alii cerebri ſubſtantiam principis facultatis ſedem; alii ejus meatus atque ductus, per quos animalis diſtribuitur ſpiritus, obſident.*

*Quod ad dolores*; [1] Qui graviſſimi ex his ſint, diſcernere ſtultitia prope videri poteſt, cum ſuus cuique ad præſens quiſque atrociſſimus videatur. Et de hoc tamen judicavere avi experimento, aſperrimos cruciatus eſſe calculorum à ſtillicidio veſicæ. Proximum ſtomachi; tertium eorum, qui capite Dolores graviſſimi. [1] *Plin.* 25.3. Dolor capitis.

pite

pite dolent, non ob alios fere morte concita.

Caussæ. *Capitis dolor fit vel ab externis caussis, vel in-ternis.*

Externæ. Externæ æstus, frigus, ictus, gravis odor, ven-tus, &c.

[1] Plautus Trucul. [1] *Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.*

*Nonnulla item, quæ assumuntur,* capitis dolorem faciunt, [2] ervum, [3] nuces avellanæ, [4] cedri succus [5] mustum, nuclei acinorum uvarum in vino, [6] can-nabis caules plures sumpti, *& similia.*

[2] Plin. 22.25. [3] Idem 23.8. [4] Id. 24.5. [5] Id. 23.1. [6] Id. 20.23.

Internæ. Continens. *Internæ caussæ dolorem capitis inferentes sunt hu-mores, vapores, vel flatus, qui continuum solvere queunt. Hanc enim continui solutionem omnis dolo-ris caussam continentem & proximam agnoscimus.*

Præservatio. *Quomodo adversus exteriores injurias caput mu-niatur, audi Herodotum:* [7] Persarum capita adeo fragilia sunt, ut si velis ferire, vel solo calculo per-forare possis: Ægyptiorum autem ita firma, ut e-vix ictu lapidis elidas. Cujus rei caussam hanc il-reddebant (facile mihi persuadentes) quod Ægy-ptii statim à pueris radere capita incipiunt, & os ca-pitis ad solem redditur compactum. Quæ eadem caussa est non calvescendi. Nam ex omnibus homi-nibus paucissimos quis Ægyptios calvos videat. H-igitur hoc caussæ est, cur robusta capita gestent. A Persis cur fragilia sint capita, id in caussa est, quod à principio assuefiunt operire capita, gestantes p-lea tiarasque.

[7] Herod. 3. Hist. 12.

[8] Hannibal, Divus Julius, Masinissa Numidarum rex, Hadrianus, Severus, caput aperiendi longa con-suetudine tantum firmitatis adepti sunt, ut sive S-esset, sive imber, sive frigidum tempestuosumque cœlum, etiam hyeme sæva & nivosa, aperto capi-prodirent, iterque facerent, obdurato contra o-mnem aëris injuriam & inclementiam capite.

[8] Alex. ab Alex. 2. gen. dier. 19.

*Hinc* [9] capita aperiri aspectu magistratuum, no-

[9] Plin. 28.6.

ven

venerationis caussa (*hoc mavult* [1] *Rhodiginus*) jussere majores, sed, ut Varro author est, valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. [1] *3. Ant. L. 23.*

*Lenita alvo, capitis dolori medetur venæ sectio.*

[2] Ut dolorem capitis levares, sanguinem sæpe emisisti. [2] *Seneca Ep. 70.*

[3] Quidam caput dolens devinciunt, alii cervicalibus vestimentisque onerant. [3] *Cels.*

*At* [4] ex omnibus Cephalalgiæ remediis paratissimum erat vinculum capitis. [4] *Casaubon: in Athen. 15. Anim. 5.*

[5] Invenio & fascia mulieris alligato capite, dolores minui. [5] *Plin. 28. 7.*

[6] Porrum sectivum capitis dolores sanat, si in nare fundatur; dormiturisve, in aurem duobus succi cochlearibus, uno mellis. [6] *Plin. 20. 6.*

[7] Succus betæ nigræ capitis dolores veteres (*cephalæas vocant*) sedat, infusus iis. Succus albæ cum melle naribus inditus, caput purgat. [7] *Ibid. 8.*

Succus intyborum cum rosaceo & aceto capitis dolores lenit.

[8] Cato crispam brassicam prodesse tradit capitis doloribus, crudam ex aceto & melle, coriandro, ruta, mentha, laseris radicula sumptam acetabulis duobus matutinò: tantamque esse vim, ut qui terat hæc, validiorem fieri se sentiat. [8] *Ibid. 9.*

[9] Semen nasturtii capitis dolores contrito & addito sinapi emendat. Rutæ sylvestris radix lenit capitis dolores pota cum vino, aut cum aceto & rosaceo illita. Si vero sit cephalæa, cum farina hordeacea & aceto. [9] *Ibid. 12.*

[10] Illinitur & mentastri recentis succus in capitis dolore. [10] *Ibid. 14.*

E pulegio corona, capitis dolores imposita dicitur levare. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque injuriam, & ab siti traditur: neque æstuare eos, qui duos è pulegio surculos impositos

auribus in Sole habeant. Illinitur etiam in dolori-
bus cum polenta & aceto.

[1] Gith, sive melanthion discutit capitis dolores
[1] *Ibid.* 17. illitum ex aceto, & infusum naribus.

Anisum dolores capitis levat suffitum naribus.

[2] *Ibid.* 18. [2] Semine papaveris trito in pastillos è lacte utun-
tur ad somnum: item ad capitis dolores cũ rosaceo.

[3] Serpyllum sativum capitis doloribus decoctum
[3] *Ibid.* 22. in aceto illinitur temporibus ac fronti cum rosaceo.

[4] *Idem* 21.20. [4] Melilotos capitis dolores lenit cum rosaceo: [5] ut
[5] *Id.* 22.20. & Heliotropii majoris succus.

[6] *Id.* 21.23. [6] Capitis doloribus prosunt anemonæ.

[7] *Id.* 22.21. [7] Capitis dolores corona ex adianto, & [8] ex spina
[8] *Id.* 24.12. alba, impos. sedat: & [9] [10] cypri flos cum aceto illitus.

[9] *Id.* 27.11. [8] Polenta capitis dolori illinitur, cum melle, aut
[10] *Id.* 23.5. aliqua refrigerante herba.

[9] Capitis dolorem ex hippoglossæ foliis imposi-
ta minuit.

[11] *Id.* 27.12. [11] In cap. dolore ex polygono sylvestri coronam
imponunt.

[12] *Id.* 23. pr. [12] Cum polenta *quoque* capitis dolores mitigant
[13] *Ib.* 8. folia vitium & pampini: *ut &* [13] lauri tenera folia
trita, cum rosaceo, aut cum irino.

[14] *Ib.* 7. [14] Mororum succus capitis dolores sedat: *ut &*
[15] *Ib.* 9. [15] myrti sylvestris semen in aceto & rosaceo tritum.

Quidam jubent impari numero baccas contere-
re, & calefacere.

[16] *Id.* 24.7. [16] Decoctum è lacryma lentisci capitis dolori
cum polenta illinitur.

[17] *Ibid.* 10. [17] Sileris folia illita fronti, capitis dolores sedant.

[18] *Ibid.* 15. [18] Chamædaphnes semen rubens admistum fo-
liis illinitur capitis doloribus recens.

[19] *Ibid.* 19. [19] Quod è graminum genere septem internodia
habet, efficacissimè capiti cõtra dolores adalligatur.

[20] Caput in dolore veratro, vel oleo, vel rosaceo
[20] *Idem* 25.11. cocto tritoque ungi convenit: peucedano ex oleo,

vel

vel rosaceo & aceto. Tepidum hoc prodest & doloribus, qui plerunque ex dimidia parte (*hemicranias vocant*) capitis sentiuntur.

[1] Aeizoa capitis doloribus medentur, succo vel folio temporibus illitis. [1] *Ibid.* 13.

Aloë dolorem capitis sedat temporibus & fronti imposita ex aceto & rosaceo, dilutiorque infusa.

[2] Leporinus cinis cum oleo myrteo, capitis dolores sedat: item aqua pota, quæ è bovis, aut asini potu relicta est:& cornus cervini cinis illitus ex aceto, vel rosaceo, aut ex irino. [2] *Idem* 28.11.

[3] Matutino pascentis hirundinis caput præcisum, maxime luna plena, lineo panno adalligant capitis doloribus licio: aut cera alba fronti illinunt, & pilos caninos panno adalligant, [3] *Idem* 29.6.

*Diximus de Cephalalgia in genere; quod ad peculiarem attinet,*

[4] Cupressi folia trita, capiti cum polenta imponuntur, si à sole doleat. [4] *Idem* 24.5.

*Sic &* [5] Intyborum succus cum rosaceo & aceto. [5] *Plin.* 20.8.

[6] Capitis dolorem ex ebrietate sedant cum rosaceo flos tenerique cauliculi viticis. Seminis decoctum vehementiorem capitis dolorem dissolvit. [6] *Idem* 24.9.

[7] Violæ crapulam & gravedines capitis impositis coronis olfactuve discutiunt. [7] *Idem* 21.19.

[8] Amygdalæ amaræ capitis dolori illinuntur, maximeque in febri, si ab ebrietate, ex aceto, & rosaceo, & aquæ sextario. [8] *Idem* 23.8.

[9] Et quemadmodum oculos sine capite curare non decet, *ita* neque sine reliquo corpore caput. *Quare in doloribus ab interiori caussa universalia particularibus præmittenda, & purgato toto corpore ad caput demum accedendum.* [9] *Plato Charmide.*

[10] Semen rosæ naribus subductum caput purgat. [10] *Plin.* 21.19.

[11] Iris naribus subducta sternutamenta movet, caputque purgat. Dolori capitis cum cotoneis malis [11] *Ibid.* 20.

aut strutheis illinitur. Crapulas quoque discutit.

[1] *Id.* 25.13. [1] Anagallidis succus caput purgat per nares infusus, ita ut deinde vino colluatur.

[2] *Id.* 34.12. [2] Purgat & caput Chalcanthum dilutum, ac naribus instillatum.

## CAP. II.

### *Principis facultatis symptomata, eorum caussæ, signa, curationes.*

Despientiæ nomina & etymon.

*PRincipis facultatis animæ, quæ in cerebri substantia, tanquam in proprio domicilio residet, depravata functio est, Desipientia sive Delirium, παραφροσύνη Græcis & παράνοια dicta, quæ mentis est alienatio, unde & Amentia nuncupata: eodem modo quo Græca. Delirium est à* [3] Deliro, *quod* est de recto recedo. lira autem est fossa recta, quæ contra agros tuendos ducitur, in quam uligo terræ decurrit. [4] Hinc Delirus, mente defectus, quod à recto ordine & quasi lira aberret. *Vel potius* ἀπὸ τοῦ ληρεῖν *ineptire, quod à* λῆρος, *nugæ, ineptiæ. Cui etymo fa-vet Gloss. vet.* Delerus, ληρῶν, παράληρος. *item* Delerat, ληρεῖ. Lirare, ineptire.

[3] *Nonius.*

[4] *Isid. lib.* 10.

Desipientiæ species.

*Desipientia alia cum febre, alia sine febre existit. Quæ cum febre est, Phrenitis appellatur, si primarius est affectus; alioqui febris est symptoma.*

Phreneseos etymon, & nomina.

[5] *Muret. com. in Senec.* 1. *de ira* 13.

[5] Quæ Græcis φρενῖτις dicitur, in omnibus veterum codicibus Phrenesis, & qui ea laborat, Phreneticus legitur, φρενοπλήξ. Non debet autem cuiquam aut mirum aut novum videri, in voce peregrina, quam veteres Latini sibi utendam sumerent, unam literam mutatam esse. Illi, quæ erat apud Græcos ὕλη, non sylvam, aut sulvam, sed silvam fecerunt, & plura similia. [6] Φρενῖτις verò ita potest dici τῶν φρενῶν νόσος, ut ἀρθρῖτις τῶν ἄρθρων, ac πλευρῖτις πλευρῶν. Quidni Sapientiæ morbus vel ægritud

[6] *Salmas. Epist. ad Beverovicium.*

recte dicatur [1] Plinio, ut lateris morbus, & articulorum Latinis consuevit, aut pleuritin, aut arthritin unica voce vocant Græci? Certe φρένες pro sapientiâ Græci iidem passim usurpant, unde φρενήρης sapiens ab illis nuncupatur, qui tamen & desipientem interdum sic vocare solent. Utriusque enim significationis χρῆσιν adnotant veteres Grammatici. [1] 7.51.

*Phrenitidis caussa plerumque inflammatio membranarum cerebri, quandoque & septi transversi,* [2] quod Græci appellaverunt phrenas. Phrenit. caussæ. [2] Plin.11.37.

[3] Signa lethalia in sapientiæ ægritudine, fimbriarum cura & stragulæ vestis plicaturæ, à somno moventium neglectus, præfandi humoris (*urinæ*) è corpore effluvium: in oculorum quidem & narium aspectu indubitata maximè, atque etiam supino assiduè cubitu: venarum inæquabili aut formicante percussu: quæque alia Hippocrati principi medicinæ observata sunt. Prognostica. [3] Plin.7.51.

*In Phrenesi nil somno utilius, nam* Curatio.

[4] *—fessos sopor irrigat artus.* [4] Virg.3.Æn.

*Quare nisi sponte venit,*

[5] *Sunt quoq; quæ faciant altos medicamina somnos,* [5] Ovid. 3. de arte.
*Victaque Lethæâ lumina nocte premant.*

*Quæ aut intus exhibenda, aut foris bregmati seu temporibus applicanda:*

[6] *Vique soporatam Stygia super utraque quassat* [6] Virg.5.Æn.
*Tempora, cunctantique natantia lumina solvit.*

[7] Semen cucumeris auxiliatur phreneticis in lacte mulieris. [7] Plin.20.2.

[8] Spondylium infunditur eorum capitibus: & [9] semen amerinæ in oleo decoctum: *item* [10] rutæ sylvestris succus ex aceto tritæ instillatur in tempora & cerebrum. [8] Id.24.6. [9] Ibid. 9. [10] Id.20.13.

[11] Phreneticis quoq; illinunt anisum recens cum polenta. [11] Ibid.17.

[12] Prodest & phreneticis suffitu lana succida. [12] Id.29.2.

[1] Id.36.7. [1] Quidam phreneticis adalligari jubent candicantem ophiten.

[2] Id.20.6. [2] Allium antiqui insanientibus dabant crudum, Diocles phreneticis elixum.

Est festiva Phrenetici curatio & Lethargici in hoc Epigrammate:

[3] 1. Anthol.

[3] Κοινῇ πὰρ κλισίῃ ληθαργικὸς ἠδὲ φρενοπλὴξ
Κείμενοι, ἀλλήλων νοῦσον ἀπεσκέδασαν.
Ἐξέθορε κλίνης γὰρ ὁ τολμήεις ὑπὸ λύσσης,
Καὶ τὸν ἀναίσθητον παντὸς ἔτυπτε μέλους.
Πληγαὶ δ' ἀμφοτέροις ἐγένοντ' ἄκος. αἷς ὁ μὲν αὐτῶν
Ἔγρετο, τὸν δ' ὕπνου πουλὺς ἔλειψε κόπος.

[4] Roverius vertit.

*[4] Communi in lecto lethargicus & furiosus*
*Forte cubant, mire & pellit uterque malum.*
*Exilis è tepido subitò, lymphate, cubili,*
*Et socium multo verbere, sæve, feris.*
*Sic ambos plagæ sanarunt: queis vigil ille*
*Mansit, at hunc tandem sopiit iste labor.*

Delirium febrem subsequens.

*Delirii febrim consequentis exemplum habemus in Abderitis.*

[5] Lucian. de conscrib. hist.

[5] His ajunt Lysimacho jam regnante morbum hujusmodi quendam incidisse, videlicet primum omnes in tota civitate febri correptos fuisse, eaque à primo statim die valida, & continua. Circa septimum autem diem, aliis multam sanguinis è naribus fluxionem, aliis copiosum sudorem obortum febrem solvisse. Cæterum ridicula quædam perturbatio mentes illorum obsessit. Omnes enim ad tragœdiæ actionem permovebantur, & iambos recitabant, & vociferabantur. Plenaque erat civitas pallidis omnibus, macilentisque illis tragœdis, illudque ô tu Deorum, tu tyranne hominum Amor, aliaque magna voce clamantibus, idque perquam diu, donec hyems magno cum frigore oborta delirium ipsorum compescuit. Caussam verò ejus rei mihi videtur præbuisse tragœdus Archelaus, illo tempore

Curatio.

Caussa.

pore celebris, qui media æstate multo æstu Andromedæ fabulam ipsis egit. Ita ut multi ex theatro redirent febricitantes, & sequenti die mentibus eversi in eandem tragœdiam delaberentur, illorum memoriæ suaviter inhabitante Andromeda, ac Perseo unà cum Medusa singulorum animis adhuc obvolante.

*Atque hæc quidem desipientiæ in febre sunt. Desipientia porro sine febre alia simplex est, alia melancholica.* Desipientiæ sine febre caussa.

*Simplex interdum fit ex cerebri inanitione, commotione, aut imbecillitate.* [1] Ocimum quoq; Chrysippus graviter increpuit, & insaniam facere. *Et Dioscorides testatur* [2] Coriandrum largius sumptum non sine periculo tentare mentem.

[1] *Plin.* 20.12.
[2] 3.64.

[3] Ἤν γε μὲν οὐλόμενόν γε ποτὸν κορίοιο δυσαλθὲς
Ἀφραδέως δεπάεσσιν ἀπεχθομένοισι πάσηται,
Οἱ μέν τ' ἀφροσύνῃ ἐμπλήγεες, οἷά τε μάργοι
Δήμια λαβράζουσι, παραπλῆγές τ' ἅτε βάκχαι
Ὀξὺ μέλος βοόωσιν ἀταρμύκτῳ φρένας οἴστρῳ.
*Pernitiosa bibat Coriandri pocula si quis,*
*Nescius admotis non cauta mente labellis,*
*Corripiet miserum subito dementia, & urbe*
*Vesanus tota clamabit more furentum*
*Baccharum attonito commotus pectus ab œstro.*

[3] *Nicander.*

[4] Quinetiam ex multa vini potatione nasci traditur, [5] capite nimirum sanguinis vaporisque fervidioris copia incalescente *& celerius impulso.* Unde rectè Stheneleus poëta:

[4] *Hipp.* 7. *Aphor.* 7.
[5] *Gal. in Com.*

[6] Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνας ἀναβάλλει.
*Sapientes etiam vinum ad amentiam impellit.*

[6] *apud Athen.* 10.7.

*Hinc* [7] Aristophanes & Homerus in eadem lance collocat iram, in qua insaniam. *Et certè* [8] nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrium habitum: nũquid de furore dubitabis? Nunc quoque non est minor, sed brevior.

[7] *Idem* 1.9.
[8] *Senec. Ep.* 83.

[1] Plutarch. de garrul. [2] Cicer. 4. Tusc. [3] Sen. Ep. 18.

*Quare recte dicitur* [1] insaniæ contubernalis ebrietas, comes ira. [2] An est quicquam similius insaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniæ. [3] Delegabo tibi Epicurum, ab illo fiet numeratio. Immodica ira gignit insaniam. Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor? Itaque iratos propriè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.

[4] Persius Sat. 3.

*[4] Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira*
*Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse,*
*Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.*
*Inter desipientiæ caussas est etiam philtrum.*

[5] Plutarch. Lucull.

[5] Corn. Nepos scribit Lucullo mentem motam, quod veneno esset à liberto Callisthene potionatus. Dedisse Callisthenem illi venenum, ut impensius ab eo diligeretur, quod amatorium existimabat esse: at ita id solvisse & alienasse mentem ejus, ut viventis etiam procuraret facultates frater.

[6] Ovid. 3. de arte.

*[6] Nec data profuerint pallentia philtra puellis,*
*Philtra nocent animis vimque furoris habent.*

[7] Sueton. in vita.

*Ita etiam præter Lucretium, Corn. Gallum,* [7] creditur Cajus Caligula potionatus à Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.

[8] Juven. Sat. 6.

*[8] —— tamen hoc tolerabile, si non*
*Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,*
*Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli*
*Infudit.* ——

[9] Senec. Ep. 94.

[9] Inter insaniam publicam, & hanc quæ medicis traditur, nihil interest: nisi quod hæc morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera caussas furoris traxit ex valetudine, altera animi mala valetudo est.

Curatio.
[10] Plin. 20. 10. [11] Ibid. 21. [12] Id. 25. 5. [13] Id. 26. 11.

[10] Sativorum bulborum semen antiqui bibendum insanientibus dabant: [11] succum quoque malvæ cyathis quaternis, [12] nigrum elleborum, [13] vettonicam,

[1] Lac

[1] Lac muliebre potum peculiariter valet contra insaniam, quæ facta sit hyoscyami potu. [1] *Id.28.7.*

*Melancholica desipientia quadruplex, melancholia, mania, lycanthropia, & hydrophobia.* Desipientia Melancholica.

*Melancholia (à caussa efficiente, atro ac fœculento humore in cerebrum irrepente, dicta) Fernelio est mentis alienatio, cum metu & mœstitia.* Melancholiæ etymon, & caussa.

*Quo nomine incurrit reprehensionem Mercurialis;* [2] nisi dicamus, *inquit,* Fernelium nomine mentis, ut Latinè loqueretur, intellexisse imaginationem. *Rectè tamen & propriè mentis voce usus nobis videtur Fern. pro principe animæ facultate, quæ & intelligentia à quibusdam vocatur, & nomine διανοίας à Græcis quandoque exprimitur. Ita Paulo* [3] *definitur,* Μελαγχολία, παραφροσύνη ἄνευ πυρετοῦ ἐπὶ μελαγχολικῷ μάλιστα χυμῷ γινομένη, καταληφότι τὴν διάνοιαν. *Neque in versione vitavit vocem mentis Andernacus, cum ita transfert:* Melancholia mentis alienatio est sine febre, ex melancholico maximè humore nascens, qui mentem occupaverit. *Ita ex Paulo vetustiores Medici.* [2] 1.*Tract.*10. [3] 3.14.

[4] In felle nigro insaniæ caussa homini. Hinc & in mores crimen bilis nomine. Adeò magnum est in hac parte virus, cum se fundit in animum. [4] *Plin.* 11.37.

Signa.

*Indubitata Hippocrati signa* [5] mœstitia & metus. *Hinc Melancholici plerumque se* [6] fugæ solitudinique mandant. *Talis Bellerophon apud Homerum,* [5] 6.*Aph.*23. [6] *Sallust. Catil.*

[7] Ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο, [7] *Iliad.* 7.
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.
[8] *Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,* [8] *Cicer.* 3. *Tusc.*
*Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.*

*Quidam multa & aliena cogitatione fingunt,* [9] inani tractu phantasticæ motionis. Itaque Orestes in tragœdia hæc dicens, [9] *Plutarch.* 4. *de plac. Philos.* 12.

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
Τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας·

Αὗται γὰρ αὗται πλησίον θρώσκουσί μου,
*O mater, obſecro te, ne incutias mihi*
*Has ſanguinolentas & colubrinas virgines,*
*Quæ pone me diſcurrunt, inquam, pone me,*

tanquam in furore iſta dicit, neque videt quicquam, putat modo. Itaque Electra ei dicit:

Μένε ὦ ταλαίπωρ' ἀτρέμας σοῖς ἐν δεμνίοις,
Ὁρᾷς γὰρ οὐδὲν ὧν δοκεῖς σάφ' εἰδέναι.
*Tuo quietus in lecto miſer mane,*
*Cernens eorum, quæ cernere putas, nihil.*

*Sed ut idem Tragicus:*

[1] Euripid. Oreſte.

[1] Κἂν μὴ νοσῇς γάρ, ἀλλὰ δοξάζῃς νοσεῖν,
Κάματος βροτοῖσιν ἀπορία τε γίνεται.
*Quamvis deeſſet morbus, ipſa opinio*
*Morbi malum ingens atque ineluctabile eſt.*

[2] Barlæus in Orat. de anima admir.

[2] Hic ſe vitreum credit, metuitque ſibi ſollicitu ab aſtantibus. Ille ranas in ventre coaxantes ſe au dire jurat. Alter ſe granum hordei eſſe arbitratur, timetque, ne gallinæ pabulum fiat. Eſt, qui montes ſibi incubantes ſentit, & ſub tanto onere dum gemit, jacet immobilis. Apud Trallianum muliercula, cum ſe digito totum orbem geſtare affirmaret, auſa non fuit illum inflectere, verita ne tota mundi machina laberetur.

*Alii multa abſurda confusè atque perturbatè obloquuntur; alii ne loquendum quidem ſibi eſſe putant, ſed omnem vitam in taciturnitate tranſigendam. Ita* [3] Niobe fingitur lapidea, propter æternum (credo) in luctu ſilentium.

[3] Cicer. 3. Tuſc.

*Nec luctum modo, ut Niobe: ſed & amorem, externam cauſſam agnoſcit Melancholia. Sic videmus*

[4] Terent. Eunuch.

[4] *— adeò hominem immutarier*
*Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe.*

[5] Vives 2. de anima.

[5] Dictu mirum, eſſe quoſdam ſano ad omnia in genio, præterquam ad aliquod unum, ut ille

[1] *— hau*

[1] *—haud ignobilis Argis,*
*Qui se credebat miros audire tragœdos,*
*In vacuo lætus sessor, plausorque theatro:*
*Cætera qui vitæ servaret munia recto*
*More, bonus sanè vicinus, amabilis hospes, &c.*
*Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,*
*Expulit elleboro morbum bilemque meraco,*
*Et redit ad sese; Pol me occidistis amici,*
*Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,*
*Et demptus per vim mentis gratissimus error.*

[1] *Horat. 2. Epist. 2.*

[2] Senetio fuit ingenii confusi ac turbulenti, qui cupiebat grandia dicere, adeò ut novissimo hujus rei morbo teneretur & rideretur. Nam & servos nolebat habere nisi grandes, & argentea vasa non nisi grandia. Credatis mihi velim non jocanti, eo pervenit insania ejus, ut calceos quoque majores sumeret, ficus non esset nisi mariscas. Concubinam ingentis staturæ habebat, omnia probabat grandia. Ei impositum est cognomentum, & vocari cœpit Senetio Grandior.

[2] *Seneca Suasor. 2.*

[3] Milesias virgines quodam tempore atrox animi & absurda incessit perturbatio. qua de caussa, incertum: nisi quod putabatur aëris temperies veneno infecta, & ad insaniam excitandam parata, mutationem istam animorum atque abalienationem effecisse. Subitò omnes mortis cupiditas, & ad vitam suspendio finiendam furiosus impetus egit. & multæ clam consecutæ sunt, quod volebant. Verba & lacrymæ parentum, amicorumque alloquia nihil agebant, sed sese interficiendis omnem ipsas custodientium industriam atque calliditatem vincebant. ita ut calamitas divinitus immissa, & remediis humanis videretur validior, donec quidam homo prudens legem promulgavit, quæ juberet omnes, quæ sibi suspendio mortem conscivissent, nudas per forum efferri. Hæc lex sancita non inhibuit modo,

[3] *Plutarch. de virt. mul.*

modo, sed & omninò abolevit illam, qua virgines laborabant, mortis cupiditatem.

[1] Senec.Ep.93. [1] Quemadmodum *verò sæpius* apud *tales* sola præcepta non prosunt, sic curationem adjuvant; & denunciatio & castigatio insanos coërcuit. De illis insanis loquor, quibus mens mota est, non erepta.

Melancholiæ curatio. *Melancholici ægre curationem admittunt, cum se ægrotare non putent.*

[2] Senec.Ep.6. [2] Quibusdam ægris gratulatio fit, cum seipsi ægros esse senserunt.

*Et multis melancholia laborantibus*

[3] Senec. [3] *Pars sanitatis, velle sanari, fuit.*

*Solitudinem, & vigilias fugiant. Nam*

[4] Tibull.3.El.4. [4] *—— menti Deus utilis ægræ Somnus.*

[5] Plin.20.7. *Hinc* [5] dantur melancholicis lactucæ candidæ copiosiores.

*Deam etiam modice adhibeant Venerem. Ac quamvis*

[6] Ovid. 1. de Ponto 11. [6] *Non solet in mœstos illa venire thoros,*

*Divæ Thetidis tamen hoc est consilium, mœstum Achillem consolantis:*

[7] Homer.Il.24. [7] Τέκνον ἐμὸν, τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων
Σὴν ἔδεαι κραδίην, μεμνημένος οὐδέ τι σίτου,
Ὄυτ᾽ εὐνῆς; ἀγαθὸν δὲ γυναικί περ ἐν φιλότητι
Μίσγεσθ᾽.
*Fili mi, quamdiu lugens & dolens*
*Tuum exedis cor, memor neque cibi*
*Neque lecti? bonum autem fœminæ in amore*
*Misceri.*

[8] Plin.25.5. [8] Nuper invenere dissectis raphanis inserere elleborum, rursusque comprimere raphanos, ut transeat vis, atque eo lenimento dare. Reddi post quatuor fere horas incipit. Totum opus septenis peragitur horis. Medetur ita melancholicis, insanientibus & aliis.

[9] Senec. 2. de Benef.35. *Sed quia* [9] non omnes stultos curamus elleboro: *alii*

*lia quoque adhibenda.* [1] Datur melancholicis serum lactis ad tertias partes decoctum, & sub dio refrigeratum. Bibitur autem efficacissime heminis per intervalla singulis diebus quinis: melius à potu gestari. [1] *Plin. 28.9.*

[2] Granum sesamæ datur in vino dulci ad detractiones, quantum tribus digitis capitur, miscentque ellebori albi unum & dimidium obolum, purgationem eam adhibentes. [2] *Idem 22.25.*

[3] Brassicam silvestrẽ mederi melancholicis Chrysippus autor est. [3] *Idem 20.9.*

[4] Acetum scillinum iis perquam utile: *item* [5] malvæ succus cyathis ternis tepidus. [4] *Idem 23.2.* [5] *Idem 20.21.*

[6] Melancholicos autem sanari, si ex corio chamæleontis herbæ succus bibatur, *quidam putant.* [6] *Idem 28.8.*

[7] Melancholicis fimum vituli in vino decoctum, remedio est. [7] *Ibid. 17.*

*Hæc de Melancholia. Quod si magis exuratur humor ille melancholicus, fit atra bilis, indeque Mania.* Mania. Caussa int.

[8] —*Atra bili percita est:* [8] *Plaut. Amphitr.*

*Nulla res tam delirantes homines concinnat citò.*

[9] Græci autem μανίαν unde appellent, non facile dixerim. eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. hanc enim insaniam, quæ juncta stultitiæ, patet latius, à furore disjungimus. Græci volunt illi quidem, sed parum valent verbo. quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant: quasi verò atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. [9] *Cicero 3. Tusc.*

*Vbi in Cicerone taxat Mercurialis,* [10] quod furorem dixerit esse melancholiam, cum sit Mania. *Sed has voces, ut & μαίνεσϑαι atque μελαγχολᾶν, animadverto apud Græcos sæpè confundi. Ac licet* Hipp. & *Gal. ea plerumque distinguant, & melancholiam pro eo morbo, quem jam descripsimus, & μανῆναι, ἐκμανῆναι, tantum in furioso delirio usurpent, tamen ipse* [10] *1. Pract. 16.*

*Hipp.*

[1] 6. Aph. 21. Hipp. [1] *μανίαν pro melancholia ponit, Galeno in Com. interprete. Et è contrario etiam Hippocrati μελαγχο-λικῶς ἐξιστάμενοι dicuntur, qui furiosa & vehementi mentis emotione percelluntur. in Prorrh. ubi scribit Gal. μελαγχολικὴν ἔκστασιν dici τὴν σφοδρὰν καὶ θηριώδη, id est melancholicam mentis emotionem vehementem & ferinam. Quæ etiam μελαγχολικὴ παραφροσύνη appellatur* [2] *Gal. & per μελαγχολικὰ παρακρούοντα exprimitur ibidem Hippocrati. Ad hæc & alia fortè respiciens Cicero, non distinxit melancholiam à mania voce. Quæ derivatur ab ἐμάνην, Aor. 2. verbi μαίνομαι, furo, insanio.*

[2] Comm. in 3. prorrh.

Maniæ caussæ externæ.

*Maniam extrinsecus inferre possunt cibi pravitas, & potus intemperantia.*

[3] Appian. de bello Parth.

[3] In exercitu Antonii extrema fame milites versi ad radices & olera, pauca inveniebant usitati generis: & quum cogerentur experiri, quæ nunquam gustaverant, primum inciderunt in herbam per Maniam ad mortem ducentem. quisquis enim hanc in cibo sumpserat, aliorum negotiorum ignarus & immemor, unum agebat: movebat & vertebat omnem lapidem, putans se rem valde seriam agere. ita totus campus repletus est effodientibus & transmoventibus lapides: tandem evomendo bilem moriebantur, quando etiam Vinum, quod solum erat remedio, defecerat.

[4] Herodot. 6. Hist. 34.

[4] Cum Scythis consuetudinem habuisse Cleomenem ajunt, atque ex eo nimiam didicisse potandi intemperantiam, seque ob id mania eum correptum arbitrari. *Nam rectè Pythagoras dixit,* [5] Ebrietatem Maniæ esse meditationem. *Imò ipsam*

[5] Stobæus Serm. 18.

[6] Μικρὰν φασι μανίαν εἶναι τὴν μέθην.

[6] Chrysipp.

*Ebrietatem ferunt parvam maniam esse.*

[7] Casaubon. Anim. in Athen. cit.

[7] Historia lepidissima quam ex Timæo Athenæus commemorat, de domo, quam temulenti juvenes in triremem versam credebant, inter para-

doxa

..oxa philosophorum, aut poëtarum figmenta cen-
..ri non debet. Est illa quidem mirabilis, sed quæ
..men non excedat fidem veri. Nam obruti vino
..omines, non solum duplices Thebas videre soliti,
..erum etiam quæ cernunt moveri omnia, & conti-
..uè agitari putant. Ratio & caussa ejus φαντασίας,
..st cerebri agitatio & perturbatio, quam patitur ab
..xhalationibus vini eò ascendentibus, exitumque
..ustra quærentibus. Cerebri igitur στροφὴ faciebat,
..t triclinium commotum & στρεφόμενον videre pu-
..rent.

*Historiam ipsam, quia lepida & mira, huc afferã:*
[r] Juvenes quidam usque adeò mania dementati ..unt, ebrietate ac vino æstuantes, ut in triremi na..igare se crederent, horrenda tempestate in mari ..ctata: tantumq; è mentis potestate deciderunt, ut ..omus vasa omnia & stragula foras ejicerent velut ..n mare, navis, quam tempestas affligebat, ut illis ..idebatur, exonerandæ caussa, jussuque guberna..oris. Congregatis ad id spectaculum multis, ut ..rojectam supellectilem diriperent, ne illorum ..uidem concursu tanta juvenum cessavit mania. ..ostridie verò profectis ad illas ædes prætoribus, in..linati juvenes adhuc nauseabundi iis, qui interro..abant, magistratibus responderunt, tempestate se ..exatos, navem ut allevarent, sarcinas supervacuas ..n mare abjecisse: mirantibusque prætoribus tam ..ttonitum illorum stuporem, unus ex iis qui major ..atu cæteris videbatur: Ego, inquit, viri Tritones, ..netu consternatus, sub infimo navis tabulato quam ..naximè licuit, abditus jacui. Perenni mentis alie..ationi judices cum ignovissent, objurgatos, ac ..nonitos ne postea se vino ingurgitarent, dimise..unt: Illi verò se gratiam habituros professi, dixe..e, si portum attingerent, tempestatis periculo de..uncti, ipsis qui servassent, & tam opportunè auspi-
catoque

[r] *Athen. 2. Deipn. 2.*

catoque sibi apparuissent, in publico cum marinis diis statuam dicaturos.

Maniæ caussæ int. *Internam Maniæ caussam posuimus atram bilem.*

[1] Virg. 8. Æn. [1] *Hic verò Alceidæ furiis exarserat atro*
*Felle dolor.*

Maniæ signa & sympt. *Maniæ symptomata præclare Prometheo vincto Æschyli expressit Io, ubi ita exclamat,*

[2] Æschylus Prometh. vincto.

[2] Ἐλελελελελεῦ,
Ὑπό μ' αὖ σφάκελος, καὶ φρενοπληγεῖς
Μανίαι θάλπουσ', οἴστρου δ' ἄρδις
Χρίει μ' ἄπυρος·
Καρδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει.
Τροχοδινεῖται δ' ὄμμαθ' ἑλίγδην.
Ἔξω δὲ δρόμου φέρομαι, λύσσης
Πνεύματι μάργῳ, γλώσσης ἀκρατής.
Θολεροὶ δὲ λόγοι παίουσ' εἰκῇ
Στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

*Heu, heu, heu, heu, heu,*
*Rursus me sideratio, & attoniti*
*Furores accendunt, œstrique stimulus*
*Pungit vehemens.*
*Cor vero metu animum percellit.*
*In orbem oculi rotantur.*
*Extra autem cursum rapior, rabiei*
*Impetu insano, linguæ impotens.*
*Confusæ autem voces allidunt temere*
*Acerbæ ad fluctus calamitatis.*

*Sic in Comœdia Romana:*

[3] Plaut. Capt. [3] *Hegio, fit quod ego tibi dixi: gliscit rabies, cav-*
*tibi, ardent oculi.*
*Viden' tu illi maculari corpus maculis luridis?*
*Atra bilis agitat hominem.*

Prognostic. [4] Plin. 7. 51. [4] Signum lethale in furoris morbo, risus *Sardo-nius.*

Curatio. [5] Lucian. Abdic. [5] Est hoc omnium, quæ sunt in medicina, peric-losissimum, hominibus hujusmodi mederi, & ad

aff

fectos accedere. Fit enim non raró, ut exæstuan- malo, rabiem in proximos emittant. Cumque ulta sint facienda Medicis, præstruenda via potio- , præparandum corpus, quo facilius recipiat me- cationem, totiusque corporis habitus curandus, aniendo, extenuando, cibis idoneis alendo, ad idvis utile movendo, somnos considerando, quie- s ciendo: his in rebus alio morbo laborantes fa- le parent, at Maniaci, ob animi libertatem in- ctabiles sunt, gubernatu difficiles, & curatione x expugnabiles.

[1] *Non potest hæc res ellebori jugero obtinerier.* [1] *Plaut. Menach.*
*uare rectè præcipit Medicus,*
*Ad me face ut deferatur, ibi meo arbitratu potero curare hominem.*
*Elleborum potabit faxo aliquot viginti dies.*

[2] Melampodis fama, divinationis artibus nota t. Ab hoc appellatur unum ellebori genus Melam- odion. Aliqui pastorem eodem nomine invenisse adunt, capras purgari pasto illo animadverten- m, datoq; lacte earum sanasse Prœtidas furentes. [2] *Plin. 25. 5.*

*Hujus generis est Lycanthropia, quando quis ima- natur se in lupum conversum.* [3] *Sunt qui verè ho- ines in lupos mutari, & postea humanam rursus rmam assumere credunt. Quod in sociis Vlyssis à irce restitutis agnovisse videri possit Horatius:* Lycanthropiæ essentia. [3] *Bodin. 2. Dæmon. 6. Spondan. in Hom. Od. 10.*

[4] *Setosa duris exuere pellibus* [4] *Epod. 17.*
*Laboriosi remiges Vlyssei*
*Volente Circe membra: tunc mens & sonus*
*Relapsus, atque notus in vultus honor.*

[5] Dicuntur Neuri semel quotannis singuli ad ali- uot dies effici lupi, & rursus in pristinum habitum dire. quod tamen dicentes mihi non persuadent. [5] *Herodot. 4. Hist. 105.*

*Nam* [6] homines in lupos verti, rursumque resti- i sibi, falsum esse confidenter existimare debe- us, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis [6] *Plin. 8. 22.*

comperimus. Unde tamen iſta vulgò infixa ſit fa-
ma in tantum, ut in maledictis verſipelles habeat,
indicabitur. Euanthes tradit Arcadas ſcribere, ex
gente Antæi cujuſdam ſorte familiæ lectum ad ſta-
gnum quoddam regionis ejus duci, veſtituque in
quercu ſuſpenſo tranare, atque abire in deſerta,
transfigurarique in lupum, & cum cæteris ejuſdem
generis congregari per annos IX. Quo in tempore
ſi homine ſe abſtinuerit, reverti ad idem ſtagnum
& cum tranaverit, effigiem recipere, ad priſtinum
habitum addito novem annorum ſenio. Agriopa
narrat Demænetum Parrhaſium in ſacrificio, quod
Arcades Jovi Lyceo humana etiam tum hoſtia fa-
ciebant, immolati pueri exta deguſtaſſe, & in lu-
pum ſe convertiſſe: eundem decimo anno reſtitu-
tum athleticæ, certaſſe in pugilatu, victoremque
Olympia reverſum.

[1] Plaut. Amph.

Nec [1] *verum eſt, quod olim eſt auditum*
*Fabularier, mutatos Anticos in Arcadia homines*
*Et ſævas belluas manſitaſſe, nec unquam denuo*
*Cognitos.* *(parentibus*

*Anima enim humana non poteſt informare cor-*
*pus bruti, nec anima lupi vel aſini corpus hominis*
*cum qualibet forma certam ac ſibi convenienti mo-*
*do diſpoſitam & peculiarem requirat materiam.*

[2] Iob. Fincel. 2. mirac.

*Quare conſiſtit tantum in depravata imaginatio-*
*ne. Sic* [2] Patavii lupus ſibi videbatur agricola, anno
cIↃ IↃ XLI. multosque in agris inſiliit, trucidavitque.
Tandem non ſine multa difficultate captus, confi-
denter aſſeveravit ſe verum eſſe lupum, diſcrimen
ſolum exiſtere in pelle cum pilis inverſa. Quapro-
pter quidam omnem exuti humanitatem, vereque
lupi truces, voracesque, tibias, & ejus brachia gla-
dio feriunt, amputantque, veritatem rei exploratu-
ri: cognita verò hominis innocentia, eum chirurg
tradunt curandũ, ſed poſt dies non multos expiravi

He

*Hæc Maniæ species Arabibus Chatrab dicitur, à bestiola, quæ irrequieto modo super aquas modo huc, modo illuc, absque ordine vagatur. Latini, ut quidam volunt, Tipulam vocant, insectum in palustribus locis frequens. Vulgo Græcis λυκανθρωπία appellatur, id est, hominis in lupum conversio. Alii Melancholiam, Maniam, sive Insaniam lupinam, quidam λυκάωνα. Quò etiam pertinent κυνανθρωπία, & γαλεανθρωπία, cum quis ex atræ bilis fuligine se credit in canem, vel felem mutatum.* [1] Plinius & Edouardus scribunt, cerebrum ursi devoratum gignere imaginationes, quasi in ursum quis transmutatus sit. Id nostro hoc seculo cuidam Hispano nobili oblatum fuisse edendum traditur, qui per deserta ac montes vagabatur, se in ursum esse conversum phantasia vitiata ratus.

Lycanthrop. nomina.

Lycanthrop. caussa.

[1] *Wier. 3. de præst. Dæmon.* 21.

[2] Breslæ puella quædam, cum publicè spectaret à carnifice latronem capite truncari, territa in epilepsiam incidit, atque post, cum alia remedia non juvarent, nescio à quo persuasa, felis sanguinem loco medicamenti hausit: quo facto, puella felis naturam induit ex intervallo, & quod id animal in ædibus solet, id illa imitata est voce, saltu, gestu, cum mures in silentio venaretur, in angustissimis etiam, quibus posset, foraminibus. Alius suillo sanguine pastus, luto delectabatur ad fastidium usque.

[2] *Weinrich. de monstris* 15.

*Exemplum hujus imaginariæ mutationis unum addam ex antiquitate.* [3] Prœti & Stenobeæ, sive Antiopæ, secundum Homerum, filiæ, cum se Junoni in pulchritudine prætulissent, illa irata hunc errorem earum immisit mentibus, ut se vaccas putarent. Has Melampus postea purgasse perhibetur, *ut jam ex Plinio diximus.*

[3] *Servius in Virg. cit.*

[4] *Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.*

[4] *Virgil. Ecl.* 6.

[5] Hydrophobia morbus novus statuitur, & primum innotuisse Asclepiadis ætate, *quæ & Ciceronis.*

[5] *Plutarch.* 8. *Probl.* 9.

Hydrophobiæ essentia. *Ὑδροφοβία, metus aquæ, symptoma est morsus rabiosi canis. Quia vero temperamentum ejus calidum & siccum, facile*

Caussa. [1] *Hinc canibus blandis rabies venit.*

*Et ex* [2] spuma canum, quibus unda timori est, *propagatur.*

[1] *Virgil.* 3. *Georg.*
[2] *Lucan.* 7.
[3] *Lucian.Philopseud.& Nigrino.*

[3] Ajunt *verò* non solum in rabiem verti, & aquam formidare, quoscunque rabidi canes momorderint: sed si quem homo morsus momorderit, eum quoque morsum non minus canino valiturum, illumque eodem modo formidaturum. Etenim cum morsu simul aliquid affectionis istius trãsit in alium, propagatur morbus, fitque insaniæ istius multiplex successio.

*Caussam hujus timoris explicat Paulus Sileatiarius:*

[4] *4. Anthol.*

[4] Ἀνέρα λυσσητῆρα κυνὸς βεβολημένον ἰῷ,
Ὕδασι θηρείην εἰκόνα φασὶ βλέπειν.

[5] *Rover. vertit.*

[5] *Si quem dira canis lymphato dente momordit,*
*Creditur ille in aquis ora videre fera.*

*Sed falsam esse, non semel observavi.*

Curatio.

[6] *Surius comm. rer. in orbe gestar.*

[6] Anno cIↃ IↃ xxxv. in ducatu VVirtenbergensi, caupo quidam hospitibus carnes porci, rabidi canis morsu infestati, edendas proposuit, parum hospitaliter. Ubi homines, ejus rei ignari, comederunt, mox versi in rabiem, mutuis se morsibus laceraverunt.

*Difficilis admodum hujus affectus curatio: imò poëtæ* [7] Medicina
*Non formidatis auxiliatur aquis.*

[7] *Ovid.* 1. *de Ponto* 4.
[8] *Plin.* 29.5.

[8] In canis rabidi morsu tuetur à pavore aquæ capitis canini cinis illitus vulneri. Idem & in potione proficit. Aliqui & vermem è cadavere canino adalligavere. Est limus salivæ sub lingua rabiosi canis, qui datus in potu, fieri hydrophobon non patitur.

[9] *Philostr.* 6. *de vit.* 18.

[9] Hoc quod Tarsi gessit Apollonius, tanquam memo-

memoria dignum decantatur. Rabiosus canis adolescentem obviam factum momordit: quo morsu in caninos mores deflexit adolescens. Latrabat enim, sedebatque veluti canis, & ceu quadrupes gradiebatur, manibus tanquam pedibus utens; jamque dies triginta hoc morbo laborabat. Veniens igitur Tarsum Apollonius, cum adolescentis infortunium agnovisset, civibus præcepit, ut canem, qui illum momorderat, inquirerent: illi verò nunquam se canem illum vidisse jurabant, quod extra civitatis muros deprehensus à cane fuisset adolescens, dum sese jaculando exerceret; nec postquam in morbum inciderat, ex eo scire potuerat quisquam, quæ forma, quæve statura canis fuisset. Paulùm igitur cunctatus Apollonius, O Damis, inquit, is canis albus est, & villosus, & custodiendis ovibus accommodatus. Stat autem tremebundus juxta fontem quendam: aquam enim & cupit & timet: ipsum autem ducito ad fluminis ripam, ubi palæstræ exercentur, hoc tantum ejus auribus immurmurans, quod à me vocatur. Paulò post canis à Damide tractus ad Apollonii pedes procubuit, ejulans, ceu qui supplices altaribus admoverentur: illum autem manibus mulcens Apollonius, penes ipsum adolescentem constituit, quem ex manu detinebat. Tunc ad eos, qui aderant, conversus, Ne vos, inquit, magnum arcanum lateat, sciatis animam Telephi Mysii in hunc puerum translatam esse, & fata ab ipso hoc exposcere. His dictis canem lambere morsum jussit, ut idem medicus esset, qui vulneris antea autor fuerat.

[1] *Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,*
*Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.*

[1] *Ovid. 1. de rem.*

Quæ cum egisset, adolescens ad patrem conversus est: matrem recognovit: æquales quoque salutavit, nominavit, & haustam ex Cydno aquam bibit.

Neque verò canis curationem neglexit Apollonius: ſed pro illo ſanando fluvium precatus, in eum conjecit canem. Is vero fluvium ingreſſus, cum in eo natans aliquamdiu moratus eſſet, in ripa conſiſtens ululavit, quod rabioſi canes facere non conſueverunt, & auribus demiſſis caudam vibrabat, tanquam & ipſe ſeſe convaluiſſe agnoſceret. Medicamentum namque rabiei eſt aqua, ſi eam attingere rabioſus audeat.

*Hinc merſio in mare, vel flumen vulgo probatur. Sed cavendum ne dum aqua ſanare volumus, gelida enecemus. Vti hyemali tempeſtate nonnullis accidiſſe novi, ſtolidæ hujus matris exemplo:*

[1] *Horat. 2. Sat. 3.*

[1] *Iupiter ingentes qui das adimisque dolores,*
*Mater ait pueri menſes jam quinque cubantis,*
*Frigida ſi puerum quartana reliquerit: illo*
*Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus*
*In Tiberi ſtabit. caſus, medicusve levarit*
*Ægrum ex præcipiti: mater delira necabit,*
*In gelida fixum ripa, febrimque reducet.*

[2] *Plin. 8.41. & 25.2.*

[2] Ad canis rabidi morſum unicum remedium oraculo quodam nuper repertum eſt, radix ſylveſtris roſæ, quæ Cynorrhodon appellatur.

Memoriæ abolitio.

[3] *Plin. 7.24.*

Cauſſæ.

[3] Memoria neceſſarium maximè vitæ bonum. Nec aliud eſt æquè fragile in homine, morborum & caſus injurias atque etiam metus ſentiens, aliàs particulatim, aliàs univerſa. Ictus lapide oblitus eſt literas tantum. Ex prætalto tecto lapſus, matris & affinium, propinquorumque cepit oblivionem. Alius ægrotus, ſervorum etiam: ſui verò nominis Meſſala Corvinus orator. Itaque ſæpe deficere tentat, ac meditatur, vel quieto corpore & valido. Somno quoque ſerpente computat, ut inanis mens quærat, ubi ſit loci.

[4] *Lucr. 6.*

[4] *Atque etiam quoſdam cepere oblivia rerum*
*Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.*

*Quidam*

*Quidam unius modo rei memoriam amittunt.*

[1] Athenis vir quidam eruditissimus, cum ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, literarum tantummodo, quibus præcipuè inservierat, oblitus est. Dirum, malignumque vulnus in animo percussi, quasi de industria scrutatis sensibus in eum potissimum locum, quo maximè lætabatur, acerbitate erupit, singularem doctrinam hominis pleno invidiæ funere efferendo. [1] *Val. Max.* 1. 6.

[2] Galactiten memoriam adimere dicunt. [2] *Plin.* 27. 10.

[3] In Bœotia ad Trophonium deum juxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, inde nominibus inventis, Μνήμης *scilicet,* & Λήθης. [3] *Idem* 31. 2. Curatio.

[4] *Non ego si biberes securæ pocula Lethes,*
*Excidere hæc credam pectore posse tuo.* [4] *Ovid.* 1. *de Pont.* 4.

*Lethe fingitur à Poëtis somni soror, quia somnus oblivionem inducit. Lucianus* [5] *suam, quam fingit, Somni civitatem, circumfundit fluvio Lethe.* [5] 2. *ver. Hist.*

[6] *Quam juxta Lethes tacitus perlabitur amnis,*
*Infernis, ut fama, trahens oblivia venis.* [6] *Lucan.* 9.

*Somnus quidem naturalis, cerebri & animalis facultatis quies est: at* [7] nonnaturalis oppleto fit cerebro, *ab halituoso quodam vapore, vel humore copioso. ille simpliciter Somnus, quasi sopnus à sopio, vel* ὕπνος, hic Sopor, *κάρος, κάρωσις, κῶμα, καταφορά.* *Plinius:* [8] Invenio etiamnum unum junci genus, quod euripicen vocant. hujus semine somnium allici, sed modum servandum, ne sopor fiat. Somni caussa. [7] *Arist. de somn. & vigil.* Soporis nomina. [8] 21. 18.

*Præter humorem, aut vaporem illum cerebri ventriculos obstruentem longè diversæ alti soporis caussæ.* Caussæ.

[9] E nigro papavere sopor gignitur scapo inciso, ut Diagoras suadet, cum turgescit; ut tollas, cum deflorescit hora diei sereni, hoc est, cum ros in eo exaruerit. Incidi jubent sub capite & calyce. Succus [9] *Plin.* 20. 18.

hic largus denſatur, & in paſtillos tritus in umbra ſiccatur, non vi ſoporifera modo, verum ſi copioſior hauriatur, etiam mortifera per ſomnum: opion vocant. Sic ſcimus interemptum Licinii Cecinnæ prætorii viri patrem in Hiſpania Bavili, cum valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet: item pleroſq; alios.

*Lethalem quoque ſoporem inducit morſus aſpidis.*

[1] *Florus 4. Hiſt. 11.* [2] *Laërt. in vita.*

[1] *Sic* quaſi ſomno ſoluta interiit *Cleopatra Ægypti regina. Et* [2] Demetrius ab aſpide manum morſus, veluti dormitans ex vita migravit.

*Idem præſtat carbonum vapor non ventilatus.*

[3] *Valer. Max. 9. 12. Plut. Mario.*

[3] Q. Catulus Cimbrici triumphi C. Mario particeps à ſenatu datus, ab hoc eodem Mario poſtea propter civiles diſſenſiones mori juſſus; recenti calce illito, multoque igni percalfacto cubiculo ſe inclusum peremit.

Curatio.

*Huic cauſſæ remedium præſcribit naturalis poëta*

[4] *Lucr. 6.*

[4] *Carbonumque gravis vis, atque odor inſinuatur*
*Quam facilè in cerebrum, niſi aquam præcepimus ante,*
*Aut niſi membra prius pertexit frigida ſervus:*
*Aut ſit odor vini plagæ manabili mora.*

Lethargi etymon. nomina.

*Quod ſi forte humorem eum putredo invadens febrem accerſat, Lethargus excitabitur, à Sopore unius febris interventu diſtinctus. Dicitur autem* Λήθαργος, *&* ληθαργία ἀπὸ λήθης ἀργῆς, *quaſi ſomnolenta & pigra rerum omnium oblivio. Latini iiſdem nominibus appellant, quibus & Veternus dicitur quamvis Plinius in raphani medicinis Veternum à Lethargo diſtinxiſſe videatur. Hiſpanis vocatur* Modorra dormida, *quoniam phrenitidem* Modorran *ſine additione dicunt.*

Cauſſæ.

[5] *Plin. 20. 13.* [6] *Idem 23. 1.*

[5] E rebus externis ocimum inſaniam facit & lethargos.

[6] Recentes *quoque* uvæ gravedinem capiti, morbumque lethargicum faciunt.

[1] Lethar

[1] Lethargicos excitari labor est, hoc præstante (ut perhibent) ex aceto naribus tactis peucedani succo. Curatio. [1] Id.26.11.

[2] Excitat *quoque* asini lichen, naribus illitus ex aceto: *&* caprini cornus nidor aut pilorum: jecur aprinum. Itaque & veternosis datur. [2] Id.28.17.

[3] Verisimile Lethargum olfactoriis excitari, inter ea fortassis mustelæ testiculis inveteratis, aut jocinere usto. His quoque pulmonem pecudis calidum circa caput adalligari putant utile. [3] Id.30.11.

[4] Castorea lethargicos odoris suffitu excitant: [4] Id.32.3.
[5] Sinapi *quoque* odore aceto misto, *ut &* [6] cœpe: [5] Id.20.22. [6] Ibid.5.
*item* [7] strombi in aceto putrefacti. [7] Id.32.10.

Urtica lethargicos expergiscit tactis cruribus, magisque fronte.

[8] *Hunc ego volo de tuo ponte mittere pronum,* [8] Catull.17.
*Si pote stolidum repente excitare veternum.*
*Commodius avarus ille excitatus, de quo alius poëta:*
[9] *Quondam lethargo grandi est oppressus: ut hæres* [9] Horat. 2. Sat.3.
*Iam circum loculos, & claveis lætus, ovansque*
*Curreret: hunc medicus multum celer atq; fidelis*
*Excitat hoc pacto. mensam poni jubet, atque*
*Effundi saccos nummorum. accedere plureis*
*Ad numerandũ: hominẽ sic erigit. addit & illud.*
*Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres.*
*Men' vivo? ut vivas igitur, vigila.*

[10] In lethargum vergentibus coagulo balænæ, aut vituli marini ad olfactum utuntur. Dederunt *&* rutæ succum ex aceto olfaciendum. [10] Plin.32.10.

[11] Raphani Lethargicis prosunt ex aceto aut sinapi sumpti. [11] Id.20.4.

[12] Amygdalæ amaræ nuces cum amylo & menta lethargicis prosunt. [12] Id.23.8.

*Iisdem* [13] Serpylli decoctum in aceto illinitur temporibus ac fronti cum rosaceo: *eosdem* [14] Pix odore emendat. [13] Id.20.22. [14] Id.24.7.

[1] *Ibid.* 9.
[2] *Athen.* 15. 12.
Catoches, Catalepsios etyma. Nomina.

[1] Viticis ſemen inſtillatur in oleo decoctum capiti in lethargia.

[2] Lethargicorum veterno prodeſt unguentum melinum.

*Eſt & aliud Symptoma, quod Catoche, ſive Catalepſis vocatur; illud à κατέχεσθαι, detineri, occupari; hoc à καταλαμβάνεσθαι, comprehendi, unde Comprehenſio dici poſſet, nova ſignificatione, ſed veteri* [3] *voce. Nam qui hoc malo corripiuntur, in eodem ſtatu, quo erant, quaſi congelati permanent. Vulgo dicitur* Oppreſſio, Apprehenſio, Detentio, *Lat. & Arabibus ſæpius Congelatio. Apud Averrh.* III. *Coll.* XLI. *Alcaſia & Nabus. Raſi Stupiditas. Cæl. Aurel.* II. *Acut.* X. *teſtatur, Hipp. & Dioclem appellaſſe* ἀφωνίαν, *Praxagoram* Comatoden, *& Antigonem* ἀναυδίαν.

[3] *Vtitur Cic.* 2. *Acad. quaſt.*

Exempla.
[4] *Cardan.* 8. *de rer. var.* 43.

[4] Referunt, in Lemno, ubi inſulæ cornu dividitur, octo meſſores ſub quercu cœnantes, à fulmine percuſſos, atque exanimatos manſiſſe ſub ea ſpecie, qua diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere, cumque nigri omnes eſſent, imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant.

[5] *Apptan.* 2. *de bell. civili.*

[5] Fertur Gomphis accidiſſe quiddam memorabile, repertos in officina medici mortuos ſenes nobiles viginti, humi jacentes cum calicibus, nullo affectos vulnere, ſimiles ebriis, unum in ſella ſedentem ceu medicum potionem porrigentem aliis.

[6] *Rer. Scotic.* 50.

*Indubitatum Catalepſios exemplum affert Buchananus, licet ipſe Apoplexiam vocet:* [6] In mediis ſcalis unus aſcendentium, ſubito ſtupore, correptus, ita gradibus adhæſit, ut nec ipſe ulla ratione divelli poſſet, & ſequentibus viam præcluderet.

[7] *Plin.* 7. 53.

[7] M. Ofilius comœdiarum hiſtrio cum populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conviviumque haberet, edita cœna calidam potionem in pultario

popo-

ppoſcit, ſimulque perſonam ejus diei acceptam
ıtuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali
bitu rigens nullo ſentiente, donec accubantium
oximus tepeſcere potionem ammoneret.

*Catalepſis nō poteſt melius exprimi, quam à Theo-*
*ſto factum.* [1] Italiam petentes, *inquit*, cum alpes [1] *lib. de Veteri-*
peraſſemus, repente tanta vis nivium circiter ho- *naria.*
m primam decidit, ut paſſim milites veluti con-
lati moverentur, equites diſtenti & rigidi mane-
nt equo ſuperſtite, qui omnes ſuo loco & ordine
cedebāt: omnes enim veluti agglutinati ſuis equis,
c poterant avelli. Quod ſi equus aliquis obriguiſ-
, perſtabat, & undique fixus in veſtigio manebat.

[2] Memoriæ proditum eſt, quoſdam arborum [2] *Curtius* 8.
uncis non ſolum viventibus, ſed etiam colloquen- *Hiſt.*
bus ſimiles conſpectos, durante adhuc habitu, in
uo mors quemque prehenderat: qui ut ſummo fri- Curatio.
ore obriguerant, ita accenſis ignibus tandem ſani-
ti reſtituti ſunt.

## CAP. III.

### *Motus, ſenſusque Symptomata. eorum cauſſæ, & curationes.*

*VErtigo eſt, qua omnia verti & circumagi vi-* Vertiginis
*dentur. unde & Græcis* δῖνος, ἴλιγγος: *item* nomina.
τόδινος, σκότωμα, & σκοτωματικὸν πάθος *dici-*
*r. Propriè* [3] Vertigo, quotieſcunque ventus con- [3] *Iſidor.* 4. 7.
rgit, & terram in circuitu movet. Sic & in vertice Cauſſa prox.
ominis arteriæ & venæ ventoſitatem ex reſoluta
umectatione gignunt, & in oculis gyrum faciunt,
de & Vertigo nuncupata eſt.

[4] Æræ granum minimum eſt in cortice aculea- Cauſſa ext. [4] *Plin.* 18. 17.
. Cum eſt in pane, celerrimè vertigines facit.

[5] Cuminum Æthiopicum ſativum datur ad ver- Curatio.
ginem, tritum in aceto. [5] *Idem* 20. 15.

[1] Par-

[1] Id.21.30. [1] Parthenium ſicca cum melle & aceto impoſita, bilem detrahit atram. Ob hoc contra vertigines
[2] Id.33.2. utilis. *Sic &* [2] acetum ſcillinum; [3] ramenta ligni
[3] Id.34.2. lotos decocta in vino; [4] elleborus diſſectis raphanis
[4] Id.25.5. inſertus, *ut ſupra diximus*; [5] hippophæſtonis ſuc-
[5] Id.27.10. cus; [6] rhacoma; [7] caſtorea; [8] Samius lapis.
[6] Ibid.12.
[7] Id.32.3. [9] Dignior è pulegio corona vertigini, quam è
[8] Id.36.21. roſis pronuntiata eſt.
[9] Id.20.14. [10] Aniſum vertigines à partu cum ſemine cucu-
[10] Ibid.17. meris & lini pari menſura ternum digitorum, vin albi tribus cyathis diſcutit.

Epilepſiæ nomina. *Epilepſiæ varia vario reſpectu à veteribus tribu- ta fuere nomina. Græci enim* μεγάλην νόσον, ἱερὰν, ἡρακλείαν, παιδίων, ἐπιληψίαν, ἐλεφαντίασιν, ἔκλαμ- ψιν *vocant. Latini* Morbum Comitialem, Cadu- cum, Sonticum, Lunaticum, Morbum qui inſpu- tatur. & ad Græcorum imitationem, Magnum, Sa- crum, Herculeum, Puerorum, Epilepſiam, Fulgo- rem. Magnum *dixerunt, &* Sacrum, *quo ejus ma- gnitudinem deſignarent.* ἱερὸν *enim magnitudinem*
[11] p.3.7. *ſignificat: unde &* Major morbus [11] *Celſo dictu. Alii verò alias rationes afferunt, vel quod divinu ſit morbus, & (ut inquit Cæl. Aurel.)* à Diis immi- ſus in vindictam: *vel quod in capite fiat, tanquam*
[12] in Apol. *animæ loco ſacrato; vel (ut Apuleio* [12] *viſum)* quo animæ partem rationalem, quæ longe ſanctiſſim eſt, violet. *Alias quoque hujus nomenclaturæ ratio-*
[13] 1.de Sign. *nes videre eſt apud* [13] *Aretæum.* Herculeum, *au*
[14] 30.Probl.1. *quod eo Hercules laborarit, ut placet Ariſtoteli,* [14] *au potius, ob* δυσκαταμάχητον, *inexpugnabilem ejus vim*
[15] 6.Epid.in fine. *ut voluit Gal.* [15] Πάθος παιδικὸν, *&* νόσημα παιδί- *Hippocrati,* [16] *& inde Puerilis paſſio Cæl. Aureli-*
[16] de aëre, aq. & locis. *no, atque* Puerorum mater *Avicennæ, quod pue- frequenter eo corripiantur.* Epilepſiam ἀπὸ τοῦ ἐπι- λαμβάνεσθαι, *quod ſubitò apprehendat, vel quod men- tem ſenſusque omnes quaſi prehendat ac corripia*

al. *Aur. Aut quod nonnulli existimarent Comitia-*
*s à dæmone apprehendi: aut à corripiendo sursum,*
*illud* ἐπὶ *morbi focum denotet.* Elephantiasin,
*uod nullo remedio superari queat.* Caducum, *à subi-*
*casu.* Fulgorem, *quod haud aliter ac fulgure*
*ibitaneo maximoque consternati ægri concidant.*
ontagiosum *vetustas credidit.* [1] *Hinc eo laboran-* [1] *Horat.*
*s fugiebant, &* [2] ne familiam inficerent rus able- [2] *Apul. 1. Apol.*
abant. [3] Despuimus *quoque* comitiales morbos, [3] *Plin. 28. 4.*
ocest, contagia regerimus, [4] unde ratio nominis, 4 *Mercurial.*
Morbus qui insputatur. *Cur Comitialem appella-* 5. *Var. Lect. 1.*
*erint, explicat* Serenus *his versibus:* [5] *Plaut. Capt.*

*Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,*
*Quod fieri nobis suffragia justa recuset.*
*Sæpe etenim membris acri languore caducis,*
*Concilium populi labes horrenda diremit.*

[6] *Alii,* non ideo Comitialem dici putant, quod [6] *Duret. in*
irimerentur comitia, si quis repentè epilepsia cor- *Hipp. 2. Aph.*
iperetur: sed quod in concionibus maximè eluce- 45.
cat epilepsia, & ea tum facile homines prehendan-
ur, idque propter metum, quo solent ii teneri, qui
n concionem prodeunt aliquid dicturi. In concio-
ne enim, inquiebat Alcibiades, esse aliquid divinum
videtur concionanti. *Lunaticum, quod ad Lunæ* φά-
σεις *sive conversiones excitetur.* [7] Si Luna malè fue- [7] *Firmic. 4.*
rit collocata, aut Spasticos, aut Lunaticos, aut Ca- *Mathes.*
ducos facit.

[8] *Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ* [8] *Seren. Sam-*
*Conceptum talem, quem sæpe ruina profudit.* *monic.*

*Hinc hoc morbo correpti Græcis* σεληνιακοὶ, *&* σεληνιαζόμενοι *nuncupati. Iisdem etiam* ὑπαίτιοι. [9] *He-* 9 *Salmas. not.*
*sychius:* ἐπιλήπτῳ, ὑπαιτίῳ, δαιμονιζομένῳ. ὑπαίτιον *in Spartian.*
vocat, id est, caussarium, qui morbo comitiali vexa- *p. 20.*
tur. quem caducum & cadivum Latini recentiores
dixêre. nam cadivus est ἐπίληπτος, vel πτωτικός. à
cado, cadivus. ut à vaco, vacivus. à noceo, nocivus.

ὑπαί-

ὑπαίτιον autem vocat Heſychius eum, qui morbo comitiali laborat, quod is morbus Sonticus Latini diceretur. Sonticus autem eſt αἴτιος, vel ὑπαίτιος nam ſontes ſunt αἴτιοι, ὑπεύθυνοι. inſontes ἀναίτιοι inde Sonticus morbus de Comitiali; & Sontici, vel ὑπαίτιοι Heſychio, qui illo morbo tentantur. Gloſſ

[1] Turneb. 10. Adverſ. 7. veteres: Sonticus morbus, ἱερὰ νόσος. [1] Sonticum ta men morbum in XII. tabulis interpretantur eum

[2] Vega 3.12. qui noceat. [2] Hiſpani Epilepſiam nuncupant *Got coral*, quoniam ægrotantes ferunt in acceſſionis ini tio, cum thoracis motus vitiatur animali facultat non tranſmiſſa liberè, veluti guttam aquæ frigida à capite deſcendere in cor, cum tamen nihil aliu ſit, quod ſentiunt, præter impedimentum diſten tionis thoracis & refrigerii cordis. Arabes Alfereli dixerunt.

Epilepſiæ eſſentia. *Epilepſia eſt totius corporis diſtentio crebra, qu homo ſubitò concidit, ſenſuum omnium atque men tis functionibus interceptis.*

[3] Plin. 11.37. [3] Animo autem vide mus, animo cernimus: oculi, ceu vaſa quædam viſibilem ejus partem accipiunt, atq; tranſmittun Sic magna cogitatio obcæcat, abducto intus viſu Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, anim caligante.

Symptomata. *Concuſſione ex ore ſpumæ moventur: & alia fiun quæ eleganter proſequitur Lucretius:*

[4] lib. 3.
*[4] Quinetiam ſubita vi morbi ſæpe coactus*
*Ante oculos aliquis noſtros, ut fulminis ictu*
*Cõcidit; & ſpumas agit, ingemit, & tremit artu*
*Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat;*
*Inconſtanter & in jactando membra fatigat:*
*Nimirum, quia vis morbi diſtracta per artus*
*Turbat agens animã: ſpumant, ut in æquore ſa*
*Ventorum validisferviſcunt viribus undæ.*
*Exprimitur porro gemitus; quia membra dolor*
*Adficiuntur; & omnino, quod ſemina vocis*

*Eiciu*

*Eiciuntur, & ore foras glomerata feruntur,*
*Quâ quasi consuerunt, & sunt munita viaï.*
*Desipientia fit, quia vis animi atque animaï*
*Conturbatur; &, ut docui, divisa seorsum*
*Disjectatur eodem illo distracta veneno.*
*Inde, ubi jam morbi se flexit caussa, reditque*
*In latebras ater corrupti corporis humor:*
*Tum quasi vacillans primum consurgit; & omnis*
*Paullatim redit in sensus, animamque receptat.*

*Fuit Epilepsia magnis aliquot viris familiaris, & [1] Julius Cæsar bis inter res gerendas correptus est.* [2] Fertur *etiam* Cambyses, qui in præcipuos domesticorum insaniit, ab ipsis natalibus grandi laborasse morbo, quem quidam sacrum nominant: ut haud ab re fuerit, cujus corpus magna ęgritudine invalidũ esset, ejus ne mentem quidem sanam fuisse.

[1] *Sueton.*
[2] *Herodot. 3. Hist. 33.*

[3] Soli homines *Aristoteli* ex animalium genere Epileptici fiunt: *Plinio* [4] Coturnices comitialem morbum despui suetum, solæ animalium sentiunt, præter hominem: *addit Plutarch.* capras: eas, & oves [5] *Hippocr.* equos *Absyrtus: alii* [6] accipitres & gracculos; *alii* [7] canes & feles.

[3] *Probl.*
[4] 20.23.
[5] *de morb. sacr.*
[6] *Brod. 3. Misc. 23.*
[7] *Rhodig. 6. Ant. Lect. 9.*

*Epilepticorum circuitus non idem in omnibus, sed quandoq; tardior esse potest. Hinc Legislator:* [8] Quando quis servum vendidit phrenesi, vel calculo, vel stranguria, vel eo morbo, quem sacrum appellant, aut alia quavis plurimis occulta & longa & ægrè sanabili corporis sive mentis ægritudine laborantem, si medicus aut gymnasticus emit, reddere non liceat. Sed nec etiam quando venditor emptori cuivis veritatem prædixerit. Sin autem artifex aliquis hujusmodi rerum peritus, ignaro & rudi cuipiam tale aliquid vendidit, qui emit, intra sex menses in aliis, in morbo verò sacro usq; ad annum integrum reddere possit.

[8] *Plato 11. de Leg.*

[9] Gagates *autem* lapis deprehendit sonticum mor-

[9] *Plin. 19.36.*

[1] *Idem* 8.32. morbum suffitus. & [1] utrislibet cervi cornibus accensis, odore comitiales morbi deprehenduntur: *ut & sulphuris nidore, ac bituminis.*

[2] *Plutarch. quæst. Rom.* Epilepsiæ caussa proxima. [2] Epilepsiæ caussam *proximam & continentem* tradunt esse angustiam meatuum, per quos spiritus fertur, ob quam is sæpè intercipitur: pro argumento usurpant vocis tenuitatem. Ita capræ huic malo obnoxiæ, & homines eo correpti exilem vocem edunt balatui similem.

Antecedens. [3] *PlatoTimæo.* *Caussa antecedens, quæ angustiam illam infert, plerumque pituita alba atræ bili mixta.* [3] Alba verò pituita, propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis, ad exteriorem cutem delapsa, mitior, sed corpus variis sordibus aspergit, albisque inficit maculis, atque morbos alios ejusmodi generat. Atræ verò bili permixta, cum divinissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet atque turbare. Si dormientibus id contingat, mitior: sin vigilantibus, expulsu difficilior. Cum verò sacræ naturæ languor hic sit, haud ab re sacer morbus est appellatus.

Externa. [4] *Plin.* 20.11. *Inter externas causas refertur apium: &* [4] in puerperiis ab eo cibo comitiales fieri, qui ubera hauriunt. *Illud tamen in hoc affectu laudat Galenus*

[5] *Plutarch. ad princ. indoct.* [5] Epileptici, si in frigore versentur, vertigine corripiuntur, & agitatione morbum arguente.

[6] *Senec.* 3. *de ira* 10. [6] Qui Comitiali vitio solent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, & incertum lumen, nervorumque trepidatio est, si memoria sublabitur, caputque versatur. Solitis itaque remediis incipientem casum occupant & odore gustuque, quicquid est, quod alienat animos, repellitur, aut fomentis contra frigus rigoremque pugnatur: aut si parum medicina profecit, vitaverunt turbam & sine teste ceciderunt. Prodest morbum suum nosse, & vires ejus, antequam spatientur, opprimere.

*Quam*

*Quare* [1] Comitiali morbo, melancholia, aut podagra detentorum filiis exercitationes, victus rationem, & medicamenta necessariò accommodamus, non quod ægrotent, sed ne hoc fiat. Ita enim magnum malum exiguo semine dissipando avertimus.

Præservatio.
[1] *Plutarch. de his qui serò &c.*

*Ita* [2] Julius Cæsar comitiali morbo obnoxius imbecillitatis medicinam quæsivit militiam, indefatigatis itineribus, tenui victu, & tectum non subeundo resistens ægritudini, corpusque adversus injuriam validum custodiens.

[2] *Idem in vita.*

[3] Anisum recens cum polenta illinunt infantibus comitiale vitium aut contractiones sentientibus. Pythagoras quidem negat corripi vitio comitiali in manu habentes.

[3] *Plin. 20.17.*

Curatio.

[4] Res odoratæ prostratos comitiali morbo excitant quidem, non tamen morbo liberant: *quare & alia adhibenda.*

[4] *Plutarch. de Ira.*

[5] Credunt comitialem morbum sanare, si quis allio in cibo utatur ac potione.

[5] *Plin. 20.6.*

[6] Dederunt & comitialibus bibendum rutæ decoctæ succum in cyathis quatuor ante accessiones, quarum frigus intolerabile est: alsiosisque crudam in cibo.

[6] *Ibid. 13.*

[7] Pulegium comitialibus in aceto datur cyathi mensura.

[7] *Ibid. 14.*

[8] Piperitis contra morbos comitiales bibitur.

[8] *Ibid. 17.*

[9] Heraclion tunditur in pila comitialibus morbis, acetabuli mensura in vino albo.

[9] *Ibid. 19.*

[10] Portulaca comitialibus cibo vel potu prodest: *ut &* [11] malva.

[10] *Ibid. 20.*
[11] *Ibid. 21.*

[12] Id quod purpureum est ex violis, comitialibus medetur, maximè pueris in aqua potum.

[12] *Idem 21.19.*

[13] Anthyllion bibitur in comitiali morbo, cum melle & aceto, quatuor drachmis; [14] Laser in vino; [15] Vitis albæ radix decocta; [16] ligni Lotos ramenta in

[13] *Ibid. 29.*
[14] *Id. 22.23.*
[15] *Id. 23.1.*
[16] *Idem 24.2.*

[1] Id.23.2. in vino.[7] [1] Acetum scillinum comitialibus perquam utile: *ut &* [2] populi nigræ semen ex aceto.
[2] Id.24.8.
[3] Id.25.5. [3] Drusum constat candido elleboro liberatum comitiali morbo in Anticyra insula. Ibi enim tutissimè sumitur, quoniam sesamoides admiscent. Italia veratrum vocat.

[4] Id.26.11. [4] Comitiales sanant panacis radices potæ cum coagulo vituli marini, ita ut sint panacis tres partes.

[5] Id.27.4. [5] Anonidis radix comitialibus datur in oxymelite decocta ad dimidias.

[6] Id.28.4. [6] Sanguine ipsius hominis, ex quacunque parte emisso, efficacissimè ora illini tradunt comitiali morbo lapsorum.

[7] Ibid.16. [7] Comitiali morbo testes ursinos edisse prodest, vel aprinos bibisse ex lacte equino, aut ex aqua: item aprinam urinam & ex aceto mulso: efficacius, quæ inaruerit in vesica sua. Dantur & suum testiculi inveterati tritique in suis lacte, præcedente vini abstinentia, & sequente continuis diebus. Dantur & leporis sale custoditi pulmones, cum thuris tertia parte, in vino albo, per dies xxx. Item coagula ejusdem. Asini cerebrum ex aqua mulsa, infumatum prius in foliis, semuncia per dies: vel ungularum ejus cinis cochlearibus binis toto mense potus. Item testes sale asservati, & aspersi potioni, in asinorum maximè lacte, vel ex aqua. Membrana partus earum, præcipuè si marem pepererint, olfactata accedente morbo comitialium, resistit. Sunt qui è mare nigroque cor edendum cum pane sub dio prima aut secunda luna præcipiant. Alii carnem, aliqu sanguinem aceto dilutum per dies XL. bibendum Quidam urinam equi aquæ ferrariæ ex officinis mi scent, eademque potione & lymphaticis medentur. Comitialibus datur & lactis equini potus, lichenqu in aceto mulso bibendus. Dantur & carnes caprina in rogo hominis tostæ, ut volunt Magi. Sevum ea

rur

rum cum felle taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat, potũ verò ſub limine ex aqua. Morbum ipſum deprehendit caprini cornus vel cervini uſti nidor.

[1] Cerebrum capræ Magi per anulum aureum trajectum, priuſquam lac detur, infantibus inſtillant contra comitiales, cæterosque infantium morbos. [1] Ibid. 19.

[2] Quidam muſtelæ cineres dant quotidie in potu. [2] Id. 30. 4.

[3] Utiliſſimum comitialibus morbis œſypum cum myrrhæ momento & vini cyathis duobus dilutum, magnitudine nucis avellanæ, à balineo potum. [3] Ibid. 10.

[4] Teſtudinis ſanguis adverſus comitiales morbos manditur cum polenta. [4] Id. 32. 4.

[5] Quidam & morbis comitialibus utiliter dari putant lapidem Samium; *item* [6] caſtorea. [5] Id. 36. 21. [6] Id. 32. 3.

*Quinetiam inſpuendo curari creditur, non modo arceri. unde apud Comicum:*

*[7] Et illic iſti qui ſputatur morbus interdum venit, &c.* (*ſputarier?* [7] Plaut. Capt.

*Et eum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit in-*
*H. Ne verere, multos iſte morbus homines macerat,*
*Quibus inſputari ſaluti fuit, atque aliis profuit.*

[8] Artemon calvaria interfecti, neq; cremati, propinavit aquam è fonte noctu comitialibus morbis. [8] Plin. 28. 1.

[9] Clavum ferreum defigere, in quo loco primum caput defixerit corruens morbo comitiali, abſolutorium ejus mali dicitur. [9] Ibid. 6.

*Incubus eſt gravis corporis oppreſſio & nocturna ſuffocatio, reſpirationem offendens vocemque intercipiens. Hinc Latinis ab incubando, ut Græcis* ἐφιάλτης, *ab* ἐφάλλεσθαι, *id eſt, inſiliendo, &* ἐπιβολὴ, *aggreſſio vel invaſio dicitur: cum qui malo hoc corripiuntur, ſe ab aliquo incumbente premi ſomnient. Hinc &* πνιγάμονα, *Themiſon* πνιγαλίωνα, *alii* πνιγμὸν ἐνύπνιον, *Dioſc.* πνιγμοὺς ἐνυπνίων *nominarunt, quod* Incubi eſſentia. Nomina.

*hoc affectu laborantes in somno suffocari videantur.*
[1] 25.4. *Plinius* Strangulationes nocturnas, [1] Faunorum in quiete ludibria, & [2] nocturnam lymphationem *appellat. Sed an sint Dæmones incubi & succubi, vide* [3] *Cardanum*, [4] *Bodinum*, [5] *Delrio & alios.* [6] Sed hunc morbum neque Deum, neque Semideum, sed Epilepsiæ tentationem, id est, præludium esse, Soranus probavit. [7] Posterioribus Græcis Babytycarius, & *Hispanis* Lapedisilla *dicitur: nobis* De Nachtmerry.

[2] 34.15.
[3] 16. *de rer. var.* 93.
[4] 2. *Dæmonom.* 7.
[5] 2. *Disquis. Magic.* 15.
[6] *Cæl. Aur.*
[7] *Suidas.*

Symptomata.

*Incubum eleganter describit poëta:*

[8] *Ac veluti in somnis oculos ubi languida pressit*
*Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus*
*Velle videmur, & in mediis conatibus ægri*
*Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ*
*Sufficiunt vires, nec vox, aut verba sequuntur.*

[8] *Virgil.* 12. *Æn.*

Apoplexiæ nomina.
Essentia.

Ἀποπληξία, ἀπόπληξις, & ἀποπληκτικὸν νόσημα, ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν *nominatur, quod qui eo morbo corripitur, velut ictu fulminis aut sydere percussus, repentè corruat, unde Syderatio Scribonio Largo, & Syderati, qui hoc malo perculsi. Ictus fulminis Celso, Ictus Sanguinis Eutropio, & Sexto Victori*; [9] per quem scilicet impetu ruentis sanguinis & vitales vias obstruentis momento quis eripitur & suffocatur. *Celso dicitur* Morbus attonitus, & Attoniti, quorum corpus & mens stupet. *Idem suo tempore* Paralysin etiam hunc affectũ appellatum [10] *tradit.*

Caussa.
[9] *Salmas. not. in Capitolin.* p. 87.
[10] 3.26.

Prognosticum.

*Solet plerumque lethalis esse.*

[11] Valentinianus dum Quadorum legationi responderet, subitò effusione sanguinis, quæ Græcis Apoplexis vocatur, voce amissa, sensu integer, expiravit.

[11] *Paul. Diac.* 11.

[12] Verus Antoninus dum cum fratre in vehiculo veheretur, subito sanguine ictus est casu morbi, quem Græci Apoplexin vocant.

[12] *Eutrop.* 8.

*In sanguinea Apoplexia bonum, sed anceps remedium*

*dium Venæ ſectio, quæ etiam adhibita in Lucio Vero:*
[1] Subitò in vehiculo morbo, quem Apoplexin vocant, correptus Lucius, depoſitus è vehiculo, detracto ſanguine Altinum perductus, quum triduum mutus vixiſſet, apud Altinum periit. [1] *Capitolin. in Vero.*

*Tardius quandoque ad ſe redeunt, quare non citò ſepulturæ mandandi Apoplectico malo percuſſi. Nam* [2] Joannes Scotus apoplexia correptus, nimis feſtinato funere, pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem, miſerabili mugitu edito, pulſatoque diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite periit. [2] *Iovius 6. Elog.*

*Apoplexia niſi interimat, ſolet ferè in Paralyſin terminari, quæ partis eſt reſolutio, uti Apoplexia totius corporis, ſine motu, & ſenſu: quam vocem etiam Hipp. ad peculiarem paralyſin tranſtulit. Dicitur autem* Παράλυσις, ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, *id eſt, reſolvi. Eadem &* πάρεσις, παραπληγία, παραπληξία; & ἡμιπληγία, *quando omnia unius lateris membra reſolvuntur.* Paralyſeos eſſentia. Nomina.

*Paralyſin quandoque infert ebrietas. Ita* [3] Lacydes philoſophus mortuus eſt ex paralyſi: quam ex immodica potatione contraxerat. *Cui eo nomine his verſibus parentatum:* Cauſſa. [3] *Laërt. 4.*

Καὶ σέο, Λακύδη, φάτιν ἔκλυον, ὡς ἄρα καὶ σὺ
    Βάκχον ἑλὼν, αἴδην ποσὶν ἔσυρες ἄκροις.
Ἦ σαφὲς ἦν, Διόνυσος, ὅταν πολὺς ἐς δέμας ἔλθοι,
    Λῦσε μέλη. διὸ δὴ μήτι Λυαῖος ἔφυ.

*Fama eſt, Lacyde, pedibus quod traxeris atras*
    *Exceptum Bacchum Ditis adusque fores.*
*Scilicet hoc verum eſt, penetrat quum corpora, Bacchum*
    *Solvere membra, ideò non ſatus ille fuit.*

[4] Paralyſin caventibus pinguia glirium decoctorum & ſoricum utiliſſima tradunt eſſe. Præſervatio. [4] *Plin. 30. 10.*

Curatio. [1] Plin.20.3. [2] Ibid.9.

[1] Colocynthis infusa clysteribus paralysi medetur. [2] Erasistrati schola clamat, brassica nihil esse utilius stomacho nervisque, ideò & paralyticis & tremulis dari jubet.

[3] Idem.24.11. [4] Id.25.5. [5] Id.22.24. [6] Id.26.11. [7] Id.27.7. [8] Ibid.10. [9] Id.32.3. [10] Ibid.4.

[3] Rubia, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur, in medicina sanat ischiadicos & paralyticos, ita ut bibentes laventur quotidie: [4] Medetur paralyticis elleborum nigrum, [5] mulsum, [6] vettonica, iberis, [7] absinthium, [8] hippophæstonis succus, [9] castoreum.

[10] Testudinum in cœno & paludibus viventium evulsæ carnes coquuntur in aquæ congio, sale modicè addito: ita decoctarum ad tertias partes succus, paralysin & articularios morbos sentientibus bibitur.

[11] Id.24.7.

*Extrinsecus* [11] liquida pice perunguntur ad spasmos, paralyses, nervorum dolores.

Stupor. ejus caussa.

*Est & quum imperfecta paralysi sensus motusve torpet & hebescit, hic propriè Stupor appellatur.*

*Hunc Narcissus inducit*, nervis inimicus, à narce, *id est, stupore* dictus, non à fabuloso puero.

Torpedo. [12] Idem.32.1.

*Idem præstare dicitur* [12] Torpedo: etiam procul & è longinquo, vel si hasta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes.

[13] Claudian. 3. Epigr.14.

[13] *Quis non indomitam miræ torpedinis artem*
*Audiit, & merito signatas nomine vires?*
*Illa quidem mollis, segnique obnixa natatu*
*Reptat & attritis vix languida serpit arenis.*
*Sed latus armavit gelido natura veneno,*
*Et frigus, quo cuncta rigent, armata medullis*
*Miscuit, & proprias hyemes per viscera duxit &c.*
*Et meminit captiva sui, longeque per undas*
*Pigra venenatis effundit flamina venis.*
*Per setam vis alta meat, &c.*
*Victricemque ligat concreto sanguine dextram.*

[1] Vetto-

[1] Vettonica torpentibus membris prodest: & [2] torpentes membrorum partes corroborat cerri decoctum fotu.

Curatio.
[1] *Plin. 26. 11.*
[2] *Id. 24. 4.*

[3] Ejus qui cicutam bibit, cruribus ingruit gravitas; denique extinctio caloris & concretio eum sensu spoliat.

Cicuta.
[3] *Plutarch. de his qui sero &c.*

*Sic* [4] Socrates hausta cicuta, quum inter deambulandum, crura jam gravari sentiret, jacuit resupinus: sic enim, qui venenum præbuit, jusserat. Qui paulo post eum tangens, pedes & crura consideravit. Deinde gravius comprimens pedem ejus, quæsivit, an sentiret? negavit Socrates. Ille rursus pressit tibias, ostenditque nobis frigere eas atque rigere. Et ipse attigit rursus, aitque, quum ad cor attingeret, tunc esse decessurum.

[4] *Plato Phædro.*

*Cicutæ vinum pro remedio est.*

Remedium.

[5] Lacedæmone Minervæ templum repertum est compilatum, intusque jacens inanis lagena. ea de re cum inter multos qui accurrerant, disquireretur: quidam è corona hominum, Si vultis audire, inquit, ego vobis exponam, quid mihi in mentem venerit de hac lagena. existimo sacrilegos rem aggressos ita periculosam, prius cicutam bibisse, ac vinum secum attulisse; ut si fallerent, epoto mero vim veneni diluerent, incolumesque discederent: sin verò deprehenderentur, ante tormenta facili & doloris vacua morte decederent. Hæc illo fato, res tam intricata ac perplexa, visa fuit non suspicantis aliquid tale, sed scientis. Itaque circumfusi homini, alius aliunde cœperunt interrogare, quisnam esset, cuive notus, & unde ista haberet cognita. denique hoc modo examinatus, confessus est, se unum de istis esse sacrilegis.

[5] *Plutarch. de garrul.*

*Σπασμὸς, ut notat* [6] *Galenus*, sive Convulsio, ipso nomine planè declarat, quam hyparxin, quamque naturam habeat. [7] *Celso* nervorum rigor, & distentio

Convulsionis nomina.
[6] *Com. in 6. Aphor. 39.*
[7] *2. 7.*

tio *dicitur*, ſed ambigua, *ut vult Hollerius*, appellatione *cum paralyſi, cum diſtentio & contractionem & extenſionem ſignificet. Aureliano* conductio & diſtentio. *Nobis* Cramp, à crimpen, *id eſt, contrahi, corrugari. Id fieri ſolet humore abſumpto ex ariditate; Græcis* κράμβος *eſt aridus, ſiccus. Ita & Gallis* σπασμὸς φυσώδης, crampe *nuncupatur.*

Definitio.

*Convulſio eſt nervorum muſculorumque ſuam originem verſus, præter voluntatem perpetua contractio.*

[1] Ægros ſcimus nervos eſſe, ubi invitis nobis moventur.

[1] *Seneca 2. de ira 15.*

Differentiæ.

*Hic affectus interdum totum corpus, interdum partes infeſtat. Quæ totius eſt corporis, id adeò arctè occupat, ut flecti haud poſſit: quumque corpus in priora curvatur, emproſthotonos eſt; quum in poſteriora, opiſthotonos; quum æquali robore in utramque partem, tetanos: quæ nomina ſolent etiam ſolius cervicis muſculis accommodari. Hujus cauſſam & vitium in ſpinæ initio contineri extra controverſiam eſt. Iam verò partis convulſio fit eo nervo aut muſculo affecto, qui partis motioni deſtinatus eſt. Ita fit convulſio in labris, quam riſum Sardonium dicunt*, à [2] Sardonia herba, ranunculi ſpecie, quæ in cibis potuve mentis alienationem concinnat, & cum labrorum contractione convulſionem facit ridentis ſpecie. *Hæc propterea* herba ſcelerata *dicitur Apuleio de plant. & copioſe in Sardinia naſcitur. Herbæ hujus mentionem quoque fecit Pauſan.* eamque ſelino, id eſt, apio ſimilem *dicit*, ac mortem cum riſus ſpecie afferre: indeq; Homerum ac poſteros [3] σαρδάνιον γέλωτα, & σαρδώνιον nuncupaſſe: *pro quo ſcribitur & σαρδίανος γέλως apud Plutarch. & σάρδιος γέλως apud Scholiaſt. Lycophronis. Quidam tamen (inter quos eſt Euſtath.)* σαρδώνιον γέλωτα *dictum autumant* ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας, à renudandis

Sardonius riſus.

[2] *Dioſc. 6.*

[3] *Odyſſ. 1.*

[...]andis dentibus. *Vocatur hic affectus & σπασμὸς [...]ωνικὸς*, seu oris tortura, aut oris distortio [1] *Celso:* [1] *4.2.*
*[...]iturque tum à paralysi musculorum mandibula-* **Caussa.**
*[...]um, tum, & frequentius, à convulsione musculo-*
*[...]um faciei.*

**Convulsionis caussa.**
[2] Sæpe intra corpus discreta & rarefacta carne in- [2] *Plato Timæo.*
[...]ascitur spiritus: qui cum foras egredi nequeat, iis-
[...]em, quibus & ingressi aliunde spiritus, doloribus
[...]ficit. Sed ingentibus tunc affligit doloribus, quan-
[...]o nervis proximisque venulis circumfusus hæc in-
[...]at, & ligamenta continuosque nervos à tergo in-
[...]endit atque contorquet. Qui sanè morbi ab ipsa
[...]itendente & inflante passione τέτανοι κ̀ ὀπισθότονοι,
[...]ensiones, & à tergo contortiones cognominantur,
[...]uorum difficile remedium est. Subortæ enim fe-
[...]res hos maximè solvunt. [3] Fiunt enim convulsio- **Curatio.**
[...]es, quando nervi replentur frigidis & glutinosis hu- [3] *Gal. com. in*
[...]oribus, ex quibus etiam nutriuntur, vel etiam, ut *2. Aph. 26.*
[...]m dictum, flatibus. His igitur febris superveniens,
[...]olita est magna ex parte calefacere, extenuare, at-
[...]ue dissolvere.

*In plethorico corpore venæ sectio instituenda.*

[4] Agesilaus Megaræ, exercitum ex agro Theba- [4] *Plutarch. in*
[...]o reducens, dum ad curiam in arcem scandit, con- *vita.*
[...]ulsione & ingenti cruciatu sanum crus ejus corre-
[...]tum est, mox intumuit, & sanguine distensum ap-
[...]aruit, immanemque excitavit inflammationem.
Quum medicus quidam Syracusius venam ei secuis-
[...]t sub talo, dolores sedati sunt, cæterum copioso
[...]nanante & prorumpente sanguine, qui sisti nequi-
[...]at, vehemens animi defectus, & præceps inde pe-
[...]culum circumstetit Agesilaum. Suppressit tandem
[...]men medicus cursum sanguinis. Delatus autem
[...]acedæmonem Agesilaus, perdiu imbecilla valetu-
[...]ine fuit.

[5] Semen Seseli Cretici prodest homini ad con- [5] *Plin. 20. 5.*

vulſa, in vino albo potum. Item opiſthotonicis dua-
rum aut trium ligularum menſura.

[1] *Ibid.* 7. [1] Convulſa & luxata caulibus tritis cum polenta
ex aqua frigida leniunt.

[2] *Ibid.* 9. [2] Philiſtion opiſthotonicis ſuccum ex lacte capri-
no cum ſale & melle bibendum cenſet.

[3] *Ibid.* [3] Bulbi per ſe triti nervorum contractioni me-
[4] *Ibid.* 16. dentur.
[5] *Ibid.* 13. [4] Convulſis medetur Heraclium cum panacis ra-
[6] *Ibid.* 15. dice,[5] mentha,[6] liguſticum,[7] ſagapenum,[8] marru
[7] *Ibid.* 18. bium,[9] fœniculi radix, [10] baccharis radix, [11] leuca
[8] *Ibid.* 22. cantha, [12] radix bupleuri, [13] fici arboris cinis, [14] ce
[9] *Ibid.* 23. drides, hoc eſt fructus cedri, [15] chamædrys, [16] cli
[10] *Idem* 21. 19. nopodion, [17] Smyrnii radix.
[11] *Idem* 22. 16. [18] Alí, ſive Symphyti petræi radix imponitur con
[12] *Ibidem* 22. vulſis.
[13] *Idem* 23. 7. [19] Peucedani ſucco perunguntur ſpaſtici, tetan
[14] *Idem* 24. 5. ci. Epithymo ſpaſticis opiſthotonicis perungi ſem
[15] *Ibid.* 15. ne hyperici, quod coris vocatur, idemq; bibere pr
[16] *Id.* 27. 4. deſt. Spaſticis tremulis, opiſthotonicis alceæ radi
[17] *Ibid.* 13. bibitur ex aqua mulſa. Sic & rigores excalfacit.
[18] *Id.* 27. 6.
[19] *Ibid.* 12. [20] Tremor & horror corporis affectus, ſunt ex a
Tremoris nomen. fectibus animi pendentes. Tremor eſt motus
[20] *Scalig. exerc.* 312. motibus contrariis, ex Galeno. Græca tota vox
Eſſentia. factitia. *Oritur quum inſita gravitate membru*
Cauſſa. *delabitur, facultas verò imbecillior id nequit e*
*gere.*

*Præcipua igitur cauſſa eſt facultatis atque nerv*
*rum imbecillitas, quæ contrahitur ex ſenectute gr*
*vi morbo, immoderata venere, metu, ac ſæpiſſime*
*vinolentia.*

[21] *Senec. Ep.* 24. [21] Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nerv
rum torporem tremoremque: libidines pedu
manuum, articulorum omnium depravationes.

[22] *Plaut. Pſeud.* [22] *Magnum hoc vitium vino eſt,*
*Pedes captat primum, luctator doloſu'ſt.*

[1] Balsamum capitis doloribus, tremulis, spasti- Curatio. [1] *Plin.23.4.*
is, ruptis perquam utile.

[2] Liquida pice perunguntur ad tremores. [2] *Id.24.7.*

[3] Radicularum hippophæstonis succus exprimi- [3] *Id.27.10.*
ur æstate ad solvendam alvum tribus obolis, maxi-
nè in comitialibus morbis, & tremulis hydropicis.

*De viribus radicis alceæ ad tremores, in convul-*
*ione jam diximus.*

## CAP. IV.

### *Excrementorum cerebri Symptomata. eorum caussæ, & curatio.*

Catarrh. nomina.

Καταῤῥοῦς [4] *Cælio Aureliano* Influxio *dicitur, pro-* [4] 2.7.
*priè* Defluxio. *Est enim à* καταῤῥεῖν, *id est, de* Essentia.
*uere; indeque rectè definitur humoris è capite in*
*ubjectas sedes prolapsio. Priscis Græcis ea vox igno-*
*a,* [5] sed ob desidiam, & luxum in victu, homines [5] *Plato 3. de rep.*
cunarum instar aqua flatuq; exuberantes, coëge-
unt præclaros Æsculapii successores morbos quos-
am novo nomine flatus & catarrhos appellare.
Græcis interdum καλασταγμὸς vocatur, Latinis [6] *Cels.4.2.*
ropriè Destillatio. *Quare errasse* [7] *Argenterium,* [7] *Com. in Hip. 2. Aph.4.*
*um negat Latinos ullum habere vocabulum, quo*
*atarrhi nomen exprimant, diversi apud Plinium* Differentiæ.
*ci convincunt. Catarrhi nomine* [8] *Paulus* eam [8] *lib.3.cap.28.*
lum fluxionem *designavit*, quæ in fauces irruit, [9] *Com. in Hip. 2. Aphor.40. & 1. de morb. int.18.*
*uod* [9] *Hollerius quoque sequutus est. Sed male id*
*ibuit Galeno* [10] *Duretus. Nam* [11] *Gal. destillatio-* [10] *in Holl.*
*em in fauces* βρόγχον *nominat, eamque quæ in os* [11] *3. de sympt. causs.4.*
*, catarrhum. Paulum & Galenum non discrepa-*
*vult* [12] *Ioh. Vigirius. Eos tamen conciliare student* [12] *de catarrh. cap.1.*
*Altimarus &* [14] *Mercatus, ut intelligatur Pau-* [13] *de med. corp. hum. mal. 43.*
*s loquutus fuisse de fluxione ab ore incipiente &*
*sinente in fauces. Destillationes nonnulli distinxe-* [14] *2. de morb. 1.*
*unt his versiculis,*

Si

*Si fluit ad pectus, dicatur rheuma catarrhus,*
*Ad fauces branchus, ad nares esto coryza.*

Raucedinis essentia, nomina.

*Cum humor defluit in asperam arteriam, βρόγχος, Raucedo, & Raucitas vocatur, quia illa τῆς φωνῆς τραχύτης est affectio βρόγχου, id est, gutturis, vel bronchiorum pulmonis.* [1] Raucos appellatos esse, ait Verrius, videri ab ariditate, sive à similitudine spicarum aristæ. in spicis namq; flava frumenta rava appellari idem Verrius docet. Ravim *quoq;* antiqui pro raucitate dicebant, *fortè à ῥόος, id est, fluxus. Ital.* roco, rauco. *Hisp.* ronco, *tanquam à* roncho. *Germanis raucus est* heiser, *nobis* heesch, *Vet. Fland.* heersch. *Sic Anglis* hoarse. [2] *An ab* arsu? cui arsa, assa, sicca vox est: aut ab hæsu, ut sit cui hæret vox. Κόρυζα *verò (quæ vox est Attica, siquidem reliqui Græci dicebant μύξαν) fit ubi ad nares destillat humor. Latinis* [3] Gravedo est. Hæc nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet, sub eadem salsa est saliva, sonant aures, venæ moventur in capite, turbida urina est. *Et Ravis est vocis obtusitas. Ita metonymicè coryza ravim significat. & ab illo κόρυζα ducamus Angl.* hoarse, *Belg.* heersch *& inde eliso r* heesch. *Sed Hipp. aliquando nomine coryzæ intelligit* fluxionem omnem, in quamcunque partem fiat, & ab eo junctim ponuntur [4] κορυζώδεες ἀπὸ κεφαλῆς & βραγχώδεες, qui ex capitis gravedine & raucedine laborant. *Sic autem dicuntur Hippocrati, qui ex propria capitis imbecillitate, gravedine, aut destillatione in guttur & arteriam laborant, non autem ex aliis caussis externis, ut frigore, sole, æstu.*

[1] *Festus.*

[2] *Martin. Etymol.*

Gravedo.

[3] *Cels.* 4. 2.

[4] *Hip.* 16. *Epid. s.* 3. *Aph.* 6.

Raucedinis remedia.

*Raucedini congrus, aliaque glutinosa congruunt.*

[5] Γόγγρῳ τε λευκῷ, πᾶσι τε τοῖς κολλώδεσι
Βρόχθιζε. τούτοις γὰρ τρέφεται τὸ πνεῦμα, καὶ
Τὸ φωνάριον ἡμῶν εὐλαμπρον γίνεται.

[6] *Manduca congrum candidum, & si quid tena*

[5] *Clearchus.*

[6] *Grotius vertit.*

*Præter*

*Præterea est: namque hæc spiritum corroborant,*
*Et voci pariter clarum concinnant sonum.*

*Catarrhus quandoque primarius capitis affectus,* Catarrhi caussæ.
*rebro impense humido frigidoque, ideoque mul-*
*m pituitosi excrementi generante.*

[1] Pituita acida, atque item salsa, languorum o- [1] *Plato 3. de rep.*
nium, qui distillatione fiunt, origo est: quoniam
rò plurima loca illabitur, malas gignit valetudi-
s plurimas.

*Quandoque* [2] Catarrhi materia è calidiore jeco- [2] *Arist. 2. de part. an. 7.*
suscitatur: multi inde vapores in caput efferun-
, qui deinde cerebri frigore in aquam versi pro-
us relabuntur; perinde atque terrarum expira-
nes, quæ in nubes concrescentes, mox dissol-
ntur in imbrem; [3] aut sicut vaporarii halitus in [3] *Avic. f. 3. c. proprio.*
blime elatus densatur in aquam. *Posteriorem caus-*
*n Fernelium frustra oppugnare, alibi demonstra-*
*mus. Hepatis vitio & catarrhis simul laborasse*
*gustum legimus.*

*Hic* [4] graves & periculosas valetudines per o- [4] *Sueton. in vita.*
mem vitam expertus est: præcipuè Cantabria do-
ta, cum etiam distillationibus, jocinore vitiato,
desperationem redactus, contrariam & ancipi-
n rationem medendi necessariò subiit: quia cali-
fomenta non proderant, frigidis curari coactus:
tore Antonio Musa. *Huc multum facit aëris con-*
*utio. Ita & idem Augustus* austrinis tempesta-
us tentabatur gravedine.

*Catarrhorum malis præveniendis fonticulos, &* Præservatio.
*teria perquam utilia quotidie experimur.*

Libyes, ubi filii ipsorum quadrimi effecti sunt, [5] *Herodot. 4. 187.*
as verticis eorum lana succida inurunt, nonnulli
as temporum: eam videlicet ob caussam, ne
unquam tempore pituita defluens è capite of-
at. Et sunt revera Libyes inter omnes, quos nos
imus, homines saluberrimo corpore. Quod si

pueris

pueris inurendis ſpaſmus exiſtat, inventa eſt ab eis medicina. urina enim hirci aſperſa eos liberant.

[1] Plin. 20.20. [1] Quinetiam inveni apud autores, caput illitum peplio, deſtillationem toto anno non ſentire.

Curatio.

[2] Id. 22.20. [2] Heliotropii folia infantium deſtillationibus quod Siriaſin vocant, illita medentur. Item contra ...ctionibus, etiamſi id comitialiter accidat. Decocto quoque foveri eos, ſaluberrimum eſt.

[3] Id. 20.6. [3] Allium compeſcit diſtillationes cum lacte co...ctum, vel tritum permiſtumve caſeo molli: quo ge...nere & raucitatem extenuat.

[4] Id. 22.25. [4] Panis, quo vivitur, innumeras pœne contine... medicinas. Datur ex vino ad diſcutienda, quæ præ... ſtringi opus ſit, & ſi magis etiamnum, ex aceto: ac... verſus acutas pituitæ defluxiones, quas Græci rheu...matiſmos vocant: item ad percuſſa, luxata. Ad o...mnia autem hæc fermentatus, qui vocatur auto...pyros, utilior. Vetus aut nauticus panis tuſus, atq... iterum coctus, ſiſtit alvum. Vocis ſtudioſos, & con...tra diſtillationes, ſiccum eſſe primo cibo, utiliſſi...mum eſt.

[5] Id. 23.8. [5] Nuces avellanæ toſtæ deſtillationi medentur.

[6] Id. 24.7. [6] Picis natura excalfacit, explet. Adverſatur priv...tim cum melle diſtillationibus & ſternutamentis.

[7] Ibid. 12. [7] Spina Arabica ſpiſſat ſtringitque diſtillation... omnes.

[8] Id. 30.4. [8] Aſperitatem faucium & diſtillationes leniu... cochleæ. coqui debent in lacte, demptoque tantu... terreno conteri, & in paſſo dari potui. Sunt qui Aſt... palæicas efficaciſſimas putant, & ex aliis ſmegm... earum. Lenit & gryllus infricatus: aut ſi quis ma... bus, quibus eum contriverit, tonſillas attingat.

[9] Id. 32.6. [9] Oſtrea in conchis ſuis uti clauſa venerint, m... diſtillationibus proſunt.

[10] Id. 22.23. [10] Laſer præcipuæ utilitatis in raucitatibus: co... feſtim enim purgat fauces, vocemque reddit.

CA

## CAP. V.

### *[S]ensuum externorum vitia, instrumentorumque morbi, symptomata. horum caussæ, signa, curationes.*

DIfficile [1] dictu est, quænam caussa sit, cur ea quæ maximè sensus nostros impellunt voluptate, & specie prima acerrimè commovent, ab iis [c]elerrimè fastidio quodam & satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine & varietate [f]loridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in [v]eteribus, quæ tamen etiamsi primo aspectu nos [c]œperunt, diutius non delectant: cum iidem nos [i]n antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque te[n]eamur? Quanto molliores sunt & delicatiores in [c]antu flexiones, & falsæ voculæ, quam certæ & se[v]eræ, quibus tamen non modo austeri, sed, si sæpius [f]iunt, multitudo ipsa reclamat? Licet hoc videre in [r]eliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari [s]umma & acerrima suavitate conditis, quam his [m]oderatis: & magis laudari, quod ceram, quam [q]uod crocum olere videantur. In ipso tactu esse [m]odum & mollitudinis & levitatis. Quinetiam gu[s]tatus, qui est sensus ex omnibus maxime volupta[r]ius, quique dulcedine præter cæteros sensus com[m]ovetur, quam citò id quod valde dulce est, asper[n]atur aut respuit? Quis potione uti aut cibo dulci [d]iutius potest? quum utroque in genere ea, quæ [l]eviter sensum voluptate moveant, facillimè fu[g]iant satietatem: sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

[1] *Cicero 3. de Oratore.*

[2] Sensibilium *autem* exuperationes, sensuum in[s]trumenta corrumpunt. nam si motus sit vehemen[t]ior, instrumentique sensus superet vires, dissolvi[t]ur ratio. id autem erat sensus, dissolviturq; perinde

[2] *Arist. 2. de anim. 12.*

atque

Visum lædentia. atque concentus intentione, cum vehementer fides pulsantur.

[1] Lucret. [1] *Præterea splendor, quicunque est acer, adurit*
*Sæpè oculos, ideò quod semina possidet ignis*
*Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.*

[2] Senec. Ep. 83. [2] Difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radii solis offensionem: *ideoque* [3] solem ægra lumina formidant.

[3] Idem de brevit. vitæ 82.

[4] Senec. Herc. fur. [4] *— torpet acies luminum,*
*Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.*

[5] Plutarch. de exilio. [5] Multi sunt cibi amari & acres, mordentesque palatum, aut linguam vellicantes: quibus tamen dum dulcia & grata quædam admiscemus, id quod offendebat adimitur. Sunt & colores aspectu mo lesti, ad quæ ob vehementiam nimiamq; vim ocu lorum acies confunditur, & hebetatur. at pro reme dio iis adjicere licet umbras, aut avertere oculos a viridia, & jucundum habentia colorem.

Iuvantia.

[6] Senec. 3. de ira 9. [6] Confusis *siquidem* oculis prosunt virentia, quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quo rum colore præstinguitur.

[7] Plato de mundi nat. *Et ut* [7] albus color visum dispescit: *ita* nig componit atque coagmentat.

[8] Senec. 1. Nat. 3. [8] Quidam hoc genere valetudinis laborant, ipsi sibi videantur occurrere, ut ubique imagine suam cernant. Quare? quia infirma vis oculoru non potest ne proximum quidem sibi aërem pe rumpere, sed resistere. Itaque quod in aliis effi densus aër, in his facit omnis. Satis enim valet qu liscunque ad imbecillem aciem repellendam: lo ge autem magis visum nostrum nobis remittit, qu crassior est & pervinci non potest, sed radios lu num nostrorum moratur, & eo, unde exierunt, flectit.

Oculorum debilitas.

Curatio.

[9] Senec. Ep. 93. [9] Si quid obstat oculo, & visum impedit, del removeri. Huic opus est remedio, quo purge

ac

cies, & officientem ſibi moram effugiat, &c. Oculos quoque ægros non medicus tantum curat, ſed etiam monet. non eſt, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo lumini: à tenebris primo ad umbroſa procede; deinde plus aude, & paulatim claram lucem pati aſſueſce. Non eſt, quod poſt cibum ſtudeas; non eſt, quod plenis oculis & tumentibus imperes. Afflatum & vim frigoris in oculos incurrentis evita. Aliaque ejuſmodi, quæ non minus, quam medicamenta proficiunt. Adjicit remediis medicina conſilium. Præſervatio.

[1] Fœniculum nobilitavere ſerpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumque aciem ſucco ejus refficiendo. Unde intellectum eſt, hominum quoq; caliginem præcipuè eo levari. [1] Plin. 20.23.

[2] — μαράθου δέ ἑ νήχυτος ὄρπηξ [2] Nicander Ther.
Βοσκηθεὶς ὠκύντε καὶ αὐγήεντα τίθησι.

[3] — *paſtusque marathro* [3] Rov. vert.
*Luminibus ſolitum gaudet rediiſſe vigorem.*

[4] Oculorum aciem folia raphani, [5] acetum ſcillinum, [6] ſuccus lini, [7] roſmarini, [8] centaurei majoris, addita aqua fotus. [4] Plin. 20.3. [5] Id. 23.2. [6] Id. 20.22. [7] Id. 24.11. [8] Id. 25.12.

[9] Chryſelectrum ſi cum melle Attico conteratur, oculorum obſcuritatibus medetur. [9] Id. 37.3.

[10] Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtravere, vexatis pullorum oculis illa medẽtes. [10] Id. 8.27.

[11] Euphorbiæ lacteus ſuccus miris laudibus celebratur in claritate viſus. [11] Id. 5.1.

*Nihil autem ei nocentius ebrietate.* [12] Vino immodico lingua quidem præpeditur, labra verò ſolvuntur, oculi autem detorquentur ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine viſus tanquam in piſcina natet, & mentiri coacti exiſtimant omnia in orbem ferri. numerare autem non poſſunt quæ procul ſunt, tanquam ſint unica. Atque duos ſoles videre mihi videor, ebrius dicebat Thebanus ſenex. Viſui nocet ebrietas. [12] Clem. Alex. 2. Pæd. 2.

T Motus

Motus enim à caliditate vini viſus, ſæpius ejus, quod unum eſt, multiplicem apprehendit ſubſtantiam. Nihil autem differt an viſum moveat, an id quod movetur: idem viſui ex utroque accidit, qui propter fluctuationem non poteſt ſubjectum perfectè comprehendere.

[1] Horat. 1. Sat. 2.

[1] *—ſaltat Milonius, ut ſemel icto*
*Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis.*

[2] Athen. 9. Deipn. 12.

[2] Oculos noſtros decipi temulentia monſtravit apertè ſuo reſponſo Anacharſis, ebriorumque falſa eſſe opiniones declaravit. Nam cum inter compotandum uxorem ejus quidam eſſet intuitus; conjugem, inquit, minimè pulcram duxiſti, ô Anacharſi. Ita mihi quidem videtur, ait ille; ſed heus tu puer, meracius mihi poculum miſce, ut formoſam illam faciam.

[3] Nonnus 15. Dionyſ.

[3] Ὄμμασι δερκομένοισιν ἐδιπλώθησαν ἐρίπναι·
Καὶ βλεφάροις δοκέεσκον ἰδεῖν διδυμάζυγον ὕδωρ.
*Oculis videntibus duplicabantur rupes,*
*Et oculis videbantur videre duplicem aquam.*

Cæcitatis cauſſæ.

*Nec viſum modo depravat ebrietas, ſed & quandoque tollit.*

[4] Athen. 10. Deipn.

[4] Bibaces & vinoſos cum recenſet Theopompus Dionyſium juniorem Siciliæ tyrannum nominat qui ob temulentiam corruptis oculis excæcatus fi Ariſtoteles, in explicanda Syracuſiorum adminiſtratione publica, ait continenter ipſum ad nonageſimum uſque diem ebrium interdum fuiſſe, atque ideò hebetatos illius oculos.

[5] Ovid. 6. Faſt. 5.

[5] *—vinis oculique animique natabant.*

[6] Polybius 3. Hiſt.

*Sed ſunt & aliæ Cæcitatis cauſſæ.* [6] Hannibalem tanta ophthalmia invaſit, ut altero tandem oculo captus.

[7] Appian. 4. de bell. civil.

[7] Senex proſcriptus, quo mutaret oris ſpeciem pelliculam induxit alteri oculo: deinde pace redd ta, & amota pellicula, oculus lõgo otio redditus e inutilis.

[1] Post vicesimum annum multis restitutus est visus. Quibusdam statim nascentibus negatus nullo oculorum vitio: multis repente ablatus simili modo, nulla præcedente injuria. Venas pertinere ab iis ad cerebrum, peritissimi autores tradunt. *Vasis hisce, nervos opticos vocant, obstructis, ac proinde præclusa spiritibus in oculum via, perit visus, nullo oculi vitio. Perit & cum Suffusio ob pupillam consistens impedit, ne crystalloides primum vivendi organum, externarum rerum species atque simulacra excipiat, neve illa liberè cernat. Principio cum tenuis adeo est humor, ut minimè deprehendi possit, fumi duntaxat, & muscæ ante oculos obversari putantur. Tandem crassescens omninò visum præpedit.*

[1] *Plin.* 11.37.

Suffusionis caussa.

[2] Quomodo oculos major & perfecta suffusio excæcat, sic modica turbat.

[2] *Senec. Ep.* 85.

Suffus. & Cæcitatis curatio.

*In suffusione* [3] homo solus emisso (*potius* à pupilla remoto) humore cæcitate liberatur. [4] Felle inunctis oculis ex melle nihil utilius prædicant. [5] Confert & mustelæ cinis.

[3] *Plin.* 11.37.
[4] *Id.* 28.8.
[5] *Id.* 29.6.

[6] Chelidonia hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. *Ridet hoc* [7] *Celsus. Sed Aristoteles caussam reddit: nempe* [8] eos renasci, si pungantur ac evellantur, cum adhuc fiunt, non autem, ubi perfecti fuerint. *Hoc verò miraculosum:* [9] Joannes Arag rex, quod filius Ferdinandus victor & incolumis è bello rediisset, præ nimio gaudio oculorum visus, quos amiserat, recuperavit.

[6] *Idem* 25.8.
[7] *6.6.*
[8] 4. *de ortu anim.* 6.
[9] *Marineus* 12. *de reb. Hisp.*

[10] Oculi uni animalium homini depravantur: unde cognomina Strabonum & Pætorum. Ab iisdem, qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocabantur: qui parvis utrisque, Ocellæ: Luscini injuriæ cognomen habuêre.

[10] *Plin.* 11.37.

*Caligo est tenebrosa visio ex crassiore densioreque facta tunica cornea.*

Caliginis essentia.

Curatio.

[1] Idem 20. 15. [1] Cæpæ ſativæ olfactu ipſo & delacrymatione caligini medentur, magis verò ſucci inunctione.

[2] Id. 21. 20. [2] Caligines oculorum ſucco meliſſophylli cum melle inungi eximium habetur.

[3] Id. 23. 4. [3] Balſaminum oculorum claritati plurimum confert, caliginem diſcutit.

[4] Id. 24. 5. [4] Exprimitur ſuccus tuſis fagi foliis cum ſemine, qui miſtus oleo caliginem oculorum aufert.

[5] Ibid. 15. [5] Chamæſyce claritati oculorum, & contra ſuffuſiones utiliſſima, & cicatrices, caligines, nubeculas, in vino cocta, inuncta.

[6] Ibid. 16. [6] Succus radicis ari cum melle Attico oculorum caligines diſcutit.

[7] Id. 25. 5. [7] Elleborum nigrum oculorum caliginem fotu diſcutit: ob id quidam & inunxere trito.

[8] Ibid. 8. [8] Florentibus chelidoniis ſuccus exprimitur, & in æreo vaſe cum melle Attico leniter cinere ferventi decoquitur, ſingulari remedio contra caligines oculorum. Utuntur & per ſe ſucco in collyriis, quæ chelidonia appellantur ab ea.

[9] Ibid. 12. [9] Caligines ariſtolochia diſcutit. Ad hypochyſin & caliginem, cyclaminon in paſtillos diluunt. Peucedani ſuccum ad claritatem & caligines, cum meconio & roſaceo.

[10] Ibid. 13. [10] Anagallidis ſuccus oculorum caliginem diſcutit cum melle, & ex ictu cruorem & argema rubens, magis cum Attico melle inunctis.

[11] Id. 27. 5. [11] Alectorolophos utilis caligini oculorum cocta cum faba freſa melle addito.

[12] Id. 29. 6. [12] Viperam vivam in fictili novo comburere, addito fœniculi ſucco ad cyathum unum, & thuris manna una, atque ita ſuffuſiones oculorum & caligines inungere utiliſſimum eſt. Medicamentum id echion vocatur. Fit & collyrium è vipera, in olla putrefacta, vermiculisq; enatis cum croco tritis. Exuritur in olla cum ſale, quem lingendo, claritatẽ oculorum conſequuntur.

[1] Ulu-

[1] Ululæ fel prædicatur ad albugines, suffusiones, caligines: adeps similiter ad claritatem. Aquilæ, quam dicunt pullos ad contuendum solem experiri, misto felle cum melle Attico inunguntur nubeculæ & caligationes suffusionesque oculorum. Eadem vis & in vulturino felle est cum porri succo & melle exiguo. Item in gallinacei felle alligato ad argema, & ad albugines ex aqua diluto: item ad suffusiones oculorum, maximè candidi gallinacei. Fimum quoque gallinaceorum, duntaxat rubrum lusciosis illiniendum monstrant. [1] *Ibid.*

[2] Mituli causticam vim habent. Lavantur plumbi modo ad oculorum albugines caliginesque. [2] *Id.32.9.*

[3] Hieracium vocatur collyrium, quod ita maxime constat: temperatur autem id Hammoniaci unciis quatuor, æruginis Cypriæ duabus, atramenti sutorii, quod chalcanthum vocant, totidem, misyos verò una, croci sex. Hæc omnia trita aceto Thasio colliguntur in pilulas, excellentis remedii contra initia glaucomatum & suffusionum, contra caligines & scabritias & albugines. [3] *Id. 34. 11.*

*Nubecula tenuis est humor corneæ inhærescens, cujus adhæsu putat laborans, se per nebulam, per vaporem, per fumum res omnes intueri.* Nubeculæ essentia.

[4] Sanat omnia oculorum vitia lactucæ succus cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, adustionesque omnes, præcipuè caligines. Curatio. [4] *Id.20.7.*

[5] Folia loti cum melle, oculorum cicatrices, argema, nubeculas, discutiunt. Othonnes succus oculorum medicamentis convenit. Mordet enim leviter & excalfacit, adstringitque siccando: Purgat cicatrices, & nubeculas, & quicquid obstat. Quidam tradunt lavari, atque ita siccatum digeri in pastillos. [5] *Id.22.21.*

*Ille verò humor sensim crassescens tandem albuginem parat. Est enim Albugo crassus & albus humor* Albuginis essentia.

*mor in cornea, aut etiam ſupra hanc ita concretus atque denſatus, ut omnem plerumq; videndi aciem perſtringat.*

Curatio.
[1] Id.20.5.

[1] Cæparum ſucco & cicatrices oculorum, & albugines, & argema inunxere.

[2] Id.22.8.

[2] Oculorum quoque albugines, herbam, quam centum capita vocant, ſanare adalligatam tradiderunt.

[3] Id.22.25.
[4] Id.24.5.
[5] Id.29.6.
[6] Id.32.9.
[7] Id.24.6.

[3] Valent ad oculorum argema, & albugines hominum, [4] cedri ſuccus, [5] fel caninum, [6] mituli plumbi modo loti.

[7] Ammoniacum claritati viſus in collyriis convenit. Pruritum, cicatrices, albugines oculorũ tollit.

[8] Ibid.11.

[8] Scobem ebeni oculis unicè mederi dicunt: lignoque ad cotem trito cum paſſo, caliginem diſcutit. Ex aqua vero radice, albugines oculorum.

Oculi ruptura.

*Rhexis eſt ejuſdem corneæ ruptura, vel ſectio, vel exeſio.*

Curatio.
[9] Id.29.6.

[9] Anguium adeps ærugini miſtus, ruptas oculorum partes ſanat, & membrana ſive ſenectus vernatione eorum exuta, ſi adfricetur, claritatem facit.

Procidentiæ curatio.

*In hac primum albugineus humor emanat, oculumque multo minorem relinquit. Deinde rhagoides tunica procidit, ac tum eſt oculi procidentia, quæ Græcis eſt proptoſis.*

[10] Id.36.20.

[10] Hæmatites lapis procidentes oculos præclarè cohibet.

[11] Id.20.20.

[11] Prodeſt & portulaca foliis tritis cum corticibus fabæ.

Oculi confuſio cur.

*Ab hac diverſa eſt oculi confuſio, in qua ex ictu humores permiſti confuſique ſunt, citra eruptionem ullam.*

[12] Id.22.11.

[12] Stœbe cocta in vino oculis ictu cruentatis & *confuſis* medetur.

[13] Id.36.20.

[13] Lapis hæmatites oculis cruore ſuffuſis mirè convenit.

*Glauco-*

*Glaucoma est crystalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuscum colorem mutatio. Hoc vitio impediti aut per fumum, aut per nebulam se videre arbitrantur. Hinc loquendi formula apud Latinos, glaucoma ob oculos objicere.* Glaucoma.

[1] *Ei nos factitiis fabricis, & doctis dolis* [1] *Plautus Milite.*
*Glaucoma ob oculos objiciemus: eumque ita*
*Faciemus, ut quod viderit, non viderit.*

[2] Glaucomata dicunt Magi cerebro catuli VII. dierum emendari, specillo demisso in dextram partem, si dexter oculus curetur, in sinistram, si sinister: aut felle recenti asionis. noctuarum est id genus maximum. [3] aut jecoris recentis inassati sanie, cum despumato melle. Curatio. [2] *Plin.* 29. 6. [3] *Id.* 28. 8.

*Nunc adhærentis mēbranæ affectus percurramus.*

Πτερύγιον *sive Vnguis, nervosa dura & albicans membranula est ex angulo sese obtendens, & plerumque pupillam contegens.* Oculi unguis.

[4] Sepiæ cortex cicatrices oculorum cum melle sanat, pterygia cum sale & Cadmia singulis drachmis. *Ipsius autem* [5] Cadmiæ effectus siccare, persanare, sistere fluxiones, pterygia & sordes oculorum purgare, scabritiem extenuare. [4] *Id.* 32. 6. [5] *Id.* 34. 10.

*Omnium autem frequentissime oculos infestant epiphora, & ophthalmia, ex quibus & dolores acerbi & alii plerique morbi expullulant.*

Ἐπιφορὰ *quandoque generaliter sumitur, pro impetu humoris in quamlibet partem: ita Plinius dixit epiphoras uteri, & ventris & oculorum. Verum de his plerumque intelligitur, ut sit* Epiphoræ nomen.

[6] *—acre malum semper stillantis ocelli.* [6] *Iuven. Sat.* 6.

*Epiphora est tenuis humoris impetus, lacrymarum specie in oculos factus.* Essentia.

[7] Epiphoris oculorum aut doloribus imponitur peponum caro, [8] cæpa in cinere cocta cum farina hordeacea, [9] apium per se tritum, aut cum pane, Curatio. [7] *Plin.* 20. 3. [8] *Ibid.* 5. [9] *Ibid.* 11.

[1] *Id.*20.14. [2] *Ibid.*17. [3] *Ib.*20. [4] *Ib.*21. [5] *Ib.*22. [6] *Id.*21.21. [7] *Id.*22.25. [8] *Id.*23.4. [9] *Id.*25.12. [10] *Ibid.*13. [11] *Ib.*29.6. [12] *Id.*25.12.

vel polenta, [1] cuminum per ſe, vel tumentibus cum melle, [2] aniſi radix tuſa è vino, [3] portulaca fronti temporibusque cum polenta, ſed ipſis oculis è lacte & melle, [4] oxylapathum ſativum frõtibus, [5] lini ſemen cum thure & aqua, aut cum myrrha ac vino, [6] hemerocallis folia, [7] amylum, lens cum meliloto aut cotoneo, [8] malobathrum vino expreſſum, [9] panacis radix cum polenta, pſyllium fronti, [10] cicutæ ſuccus, *&* [11] lacertæ cinis.

[12] Hyoſcyami ſemen bibunt obolo, tantundem meconii adjicientes, vinumque, ad epiphoras inhibendas.

Ophthalmiæ nomina.

*Ὀφθαλμία, Oculorum morbus, ſive (ut Solinus loquitur)* Ocularia ægritudo, *ſumitur, ut Pleuritis, Nephritis, & aliæ voces generales, pro peculiari oculorum affectu. Celſus Lippitudinem vocat. Et qui ea laborat*, Lippus *dicitur à λείβω. Δάκρυα λείβειν eſt lacrymas fundere, cui affine* leep *noſtrum.*

Eſſentia.

*Ophthalmia eſt oculi inflammatio ex oculorum angulis in totam adhærentem membranam effuſa.*

[13] *Plutarch.* 5. *Symp.* 7.

[13] De reliquis morbis cum maximè cum facillimè Ophthalmiæ contagium ad una degentes: tam acrem habet vim viſus adficiendi alterum.

[14] *Ovid.* 2. *de rem. amor.* [15] *Senec.* 2. *de Clem.* 6.

[14] *Dum ſpectant læſos oculi, læduntur & ipſi:*
*Multaque corporibus tranſitione nocent.*
*Sed requiritur & patientis diſpoſitio.* [15] Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur.

*In hoc autem, & in aliis oculorum affectibus, altero oculo male affecto, ſani ratio habenda, ne in conſenſum trahatur.*

[16] *Incertus* 1. *Anthol.* [17] *Roverius vertit.*

[16] Καὶ γὰρ δεξιὸν ὄμμα πεπονημένον ὄμματι λαιῷ
Πολλάκι τοὺς ἰδίους ἀντιδίδωσι πόνους.
[17] *Namque oculus ſano læſus dat ſæpe labores,*
*Alter & alterius noxia damna capit.*

Curatio.

*Vini potus lippis noxius.*

[1] *Potor nobilis, Aule, lumine uno*
*Luscus Phryx erat, alteroque lippus:*
*Huic dicit medicus, bibas caveto*
*Vinum: si biberis, nihil videbis.*
*Ridens Phryx, oculo valebis, inquit.*
*Misceri sibi protinus deunces,*
*Sed crebros jubet: exitum requiris?*
*Vinum Phryx, oculus bibit venenum.*

[1] *Martial.6. Epigr.78.*

[2] Lippitudinis levandæ gratia, vena secatur. [2] *Plutarch.de his qui sero à num.pun.*

[3] Contra lippitudines retrò aures fricare prodest, & lacrymosis oculis frontem: [4] fel illitum frontibus: aut ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis Attici cyathis tribus, & croci uncia, inunctum. [3] *Plin.28.6.* [4] *Ibid.8.*

[5] Cancri etiam oculos adalligatos collo, mederi lippitudini dicunt. [5] *Id.32.8.*

[6] Ciconiæ pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus: item qui draconis caput habeat. Hirundinum pullos plena luna excæcant, restitutaque eorum acie capita comburuntur: hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem, & dolores, ac lippitudines, & ictus. [6] *Id.29.6.*

Surditatis caussæ.

*Gravis auditio atque surditas sola magnitudine differunt. Fiunt autem vel cerebro, vel primo audiendi organo, vel auris anfractu aut læso aut impedito.*

*Fit quandoque, ut & in visu diximus, à vehementi objecto.*

[7] *Prætervadit enim vox fauces sæpe, facitque*
*Asperiora foris gradiens arteria clamor.*

[7] *Lucr.4.*

[8] Sonitus aquæ montes scindentis, & cum strepitu in Nilum cadentis horrenda quædam res, & auditu intolerabilis apparet, multique prope accedentes auditum amiserunt. [8] *Philostr.6.de vita Apoll. 12.*

Curatio.

[9] Apium succo radicis gravitatem aurium mitigat: *ut &* [10] nasturtium tritum impositum auribus cum fico: *item* [11] chalchantũ per fistulas inspiratum. [9] *Plin.20.11.* [10] *Ibid.13.* [11] *Id.34.12.*

[1] Id.20.1. [1] Foliorum cucumeris ſylveſtris ſuccus auribus ſurdis cum aceto inſtillatur.

Odoratus læſi cauſſæ. *Odoratus quoque perit, vel imminuitur impedito narium ethmoidisque oſſis meatu, quo ſpiritus ac odor duci ſolet. Idque vel phlegmone facit, vel gravedo, vel ſarcoma, vel polypus.*

[2] *— mediis in naribus ingens Gibbus. —*

[2] Iuven. Sat. 6. *At ſi horum nulla ſigna comparent, offenſionis cauſſa vel ad priores cerebri ventriculos, vel ad eas propagines (mammillares vocant) in quibus eſt odorandi ſenſus, referri debet.*

[3] Athenæus 15. Deipn. 39. [3] Maſurius ſenſus in capite poſitos odoribus demulceri ac deliniri inquit. quod Alexis in Improba ſic dixit:

[4] Grot. vert. [4] — ὑγιείας μέρος

Μέγιστον, ὀσμὰς ἐγκεφάλῳ χρηστὰς ποιεῖν.

*— ſanitatis maxima*

*Pars eſt, odore cerebrum perfundi bono.*

Tactus. [5] Plin. 10.71. [5] Tactus ſenſibus omnibus eſt, etiam quibus nullus alius: nam & oſtreis & terreſtribus vermibus quoque. Exiſtimaverim omnibus ſenſum & guſtatus eſſe.

Guſtus læſi cauſſæ. *Guſtus perit, aut imminuitur, nervis mollioribus, qui à tertia cerebri conjugatione exeunt, perfrigeratis, aut quadamtenus obſtructis, aut certè ea cerebri parte affecta, unde illi originem habent. Depravatus verò guſtus, qui abſurdi alienique ſaporis perceptio eſt, accidit quum vel linguæ corpus, vel quæ ipſum veſtit membrana, vitioſo atque tetro humore imbuitur.*

[6] Senec. Ep. 109. [6] Iſto modo dicas licet, non eſſe in melle dulcedinem. Nam ipſe ille, qui eſt, eſſe debet ita aptatus linguæ palatoque ad ejuſmodi guſtum, ut ille tali ſapore capiatur, non offendatur. Sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videtur.

[7] In-

[1] Intellectus saporum est cæteris in prima lingua: omini & in palato: *in quibus & loquela.* [1] *Plin.* 11. 37.

Linguæ usus.

[2] Homo igitur linguam absolutam, mollissinam, & latam præcipuè habet, ut commoda sit & d sapores percipiendos, & ad literas exprimendas. st enim homo omnium maximè animalium sensu acilis. Et lingua, quæ mollis est, vim tangendi præipuè obtinet: gustus autem, tactus quidam est. Ad iterarum etiam explanationem & ad sermonis exressionem lingua mollis, lata & absoluta accomnodatior est: quippe quæ contrahere, producee, dilatare, denique varie afformare possit. Patet oc in iis, quibus non satis absoluta est. blæsi enim albi, & torti sunt: quod vitium literarum defetus est. [2] *Arist.* 2. *de part. anim.* 17.

Balbutiei caussa.

Essentia.

*Idem fit à nimia linguæ crassitie, aut alio naturali vitio conformationis, quod etiam mutos facit.*

[3] Erat Crœso filius habilis ad cætera, sed mutus. Ad cujus vitium emendandum Crœsus pro viribus omnia fecerat, cum alia excogitando, tum verò Delphos mittendo ad oraculum sciscitandum; atque ei Pythia talibus respondit, [3] *Herodot.* 1. *Hist.* 85.

*Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,*
*Μὴ βούλου πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν*
*Παιδὸς φθεγγομένου. τόδε σοι πολὺ λώϊον ἀμφὶς*
*Ἔμμεναι. αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.*
*Lyde genus, rex multorum, valde inscie Crœse:*
*Ne cura gnati exoptatam audisse loquentis*
*Intra ædes vocem: sine qua potior tibi longe.*
*Ille die quoniam primum infelice loquetur.*

Porrò captis mœnibus quidam Persa in Crœsum sibi ignotum, ut occisurus, vadebat. Quem invadentem se Crœsus quum videret, tamen præsenti lade affectus, devitare negligebat: nihil putans lifferre an percussus oppeteret mortem, an non. Id bi filius ejus mutus aspexit, timens patri, erupit in vocem,

Mutus sponte sanatus.

vocem, inquiens, Homo, ne perimas Crœsum. Atque hoc ille primum effatus, postmodum per omne vitæ tempus vocalis extitit. *Ita* [1] mutus in periculo patris naturalia vocis impedimenta rupit, qui plus quinquennio tacuerat.

[1] *Senec. 3. Contr. 5.*

Mutorum remedia.

[2] Pulegii semen obmutescentibus olfactu admovetur.

[2] *Plin. 20. 14.*

[3] Proserpinaca in quantalibet lassitudine recreari tradunt defessos, etiam cum obmutuerint, si subjiciatur linguæ.

[3] *Idem. 27. 12.*

Balbutiei curatio.

*Naturalem Balbutiem egregiè superavit,* [4] cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensis Demosthenes, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturæ diligentia, industriaq; superarit; cumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo loquutus putaretur. Deinde cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assequutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant) binæ ei contentiones vocis, & remissiones continerentur. Qui etiam (ut memoriæ proditum est) conjectis in os calculis summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat: neque is consistens in loco, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo.

[4] *Cicero 1. de Oratore. Plutarch. in vita.*

Dentium stupor.

*Dentes variè affici solent: modò enim stupescunt frigidioris humoris influxu, & acerborum crudorumque fructuum esu;*

[5] *Namq; ita connexa est* (anima) *per venas, viscera, nervos,*
*Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur:*
*Morbus ut indicat, & gelidaï stringor aquaï:*

[5] *Lucr. 3.*

Dolor.

*modo dolore conflictantur gravissimo, idque ferè ob destillationem.*

[1] Den-

[1] Dentium *autem*, oculorum, aurium dolor ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſcitur: non minus mehercle, quam capitis ipſius. [1] *Sene. Ep.* 78.

*Dentium dolori medetur aqua marina.*

[2] Is, qui ſe nihil ſcribere juxta mare habitantibus de curatione dentium ajebat, uſum marinæ oſtēdit. [2] *Plutarch. præc. ſan.*

*Hujus ſuccedaneum quibuſdam urina; quæ etiam dentium ſordes abſtergit.*

[3] *Egnatius, quod candidos habet dentes,* [3] *Catull.* 40.
*Renidet uſquequaque.—*
*Quod quiſque minxit, hoc ſibi ſolet mane*
*Dentem atque ruſſam defricare gingivam:*
*Vt, quo iſte veſter expolitior dens eſt,*
*Hoc te amplius bibiſſe prædicet lotî.*

*Diodorus Siculus de Hiſpanis:* Mirabilis apud eos viget conſuetudo. Nam cum munditia ſemper elegantes exiſtant, una in re videntur immundi, & ſpurcitie pleni. Univerſum ſiquidem corpus lavant urina, dentesque fricant, hanc optimam corporis curam exiſtimantes. Quod etſi Diodorus vituperat, ego tamen (*verba ſunt* [4] *Lucii Marinei*) laudo. Magna ſiquidem vis ineſt urinæ, quæ multis morbis medetur, ut philoſophi dicunt & medici. [4] *De reb. Hiſp.* 1.

Dentium doloris remedia ſunt [5] gummi oleæ, [6] cucumeris ſylveſtris ſuccus, [7] ſtaphylini radix, [8] naſturtium, infuſo in aures ſucco, [9] Clepidium adalligatum brachio qua doleat, gith coctum cum aceto, [10] ſinapi, [11] ſtaphys agria in aceto decocta, [12] pix cedria, [13] Ammoniacum accenſum.

Curatio.
[5] *Plin.* 13. 11.
[6] *Id.* 20. 1.
[7] *Ibid.* 5.
[8] *Ibid.* 13.
[9] *Ib.* 17.
[10] *Ib.* 22.
[11] *Id.* 22. 1.
[12] *Id.* 24. 5.
[13] *Ibid.* 6.

[14] Allium dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis imminuit, vel ſi decocti aqua colluantur, addaturque ipſum in cava dentium. [14] *Id.* 20. 6.

[15] Lactucæ folia trita ex aceto, colluta matutinis bis menſe, dentium dolorem prohibet. [15] *Ibid.* 7.

[16] Dentium dolores ſedat tritum ex aceto cap- [16] *Ibid.* 15.

paris

Id. 23.7. paris semen decoctum, vel manducata radix: [1] caprifici succus appositus in lana, aut in cavis eorum abditus: *multaque alia apud Plinium, & alios.*

Cardan. 2. Contr. 2.7. *Magicum videtur, quo* [2] quidam perpetuum tri- dui dolorem clavo emendicato, quibusdam obscuris notis in ligno cum eo descriptis, ter tacto dente non solum protinus sanavit: sed jusso asservari clavo, quem in ligno confixerat, pollicitus est perpetuam ejus dentis incolumitatem, quæ etiam subsequuta est.

## CAP. VI.

### *Faucium, & pulmonum morbi, symptomata, caussæ, signa, & curationes.*

Anginæ etymon, essentia. [3] Festus.

ANgor [3] est animi, vel corporis cruciatus, propriè à Græco συνάγχη, id est, strangulatione dictus. unde & faucium dolor Angina vocatur. *Plautus:*

[4] Mostell.

[4]*In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficæ illi* (*latricem*

*Fauces prehendam, atque enicem scelestam stimu*

*Merito itaque, quod angat, & velut laqueo strangulet hominem, Angina dicitur, affectus fauces, id est summas gulæ gutturisque partes, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, præcludens*

Nomina. *Græcis* κυνάγχη, συνάγχη, *seu* λυκάγχη, *quæ nomina Aurelian. dici putat* ἀπ᾽ ἀγχόνης, *à suspendio, quia instar suspendii suffocat: vel à* συνέχειν, *id est, cohibendo spiritum, quia respirationem prohibet: vel quia canes, sues. Vnde apud Comicum,*

[5] Plautus Trin.

[5] *Sues moriuntur angina hic acerrima.*

*Et apud poëtam,*

[6] Virgil. 3. Georg.

[6] *— quatit ægros*

*Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.*

*Lupi crebrò hoc symptoma perpetiuntur: vel, ut vul*

*vult Aëtius, quoniam ea correpti canum in morem linguam exerant. Σωάγχη potius à σὺν & ἄγχω dicta videtur Sennerto, quam à ſuibus, quod linguæ Græcæ analogiæ non reſpondeat: quaſi non eſſet uſitatum Græcis duabus vocalibus occurrentibus in compoſitione, conſonantẽ euphoniæ cauſſa interjicere.*

*De vocibus* παρακυνάγχη *&* παρασυνάγχη *videndus Paulus, & ex eo Gorræus.*

Angina vinaria.

*A ſimili* [1] Anginam vinariam habere dicuntur, qui vino ſuffocantur.

[1] *Feſtus.*

[2] *Scalig. in Caſtig.*

[2] Quiſquis hoc dixit, ſequutus eſt eum, qui Demoſthenem dixit ἀργυράγχην ἔχειν. *De eo lepidam hiſtoriam* [3] ſcripſit Critolaus, legatos *ſcilicet* Mileto veniſſe Athenas, auxilii petẽdi gratia. Tum qui pro ſeſe verba facerent, quos viſum erat, advocaſſe. advocatos, uti erat mandatum, verba pro Mileſiis ad populum feciſſe. Demoſthenem Mileſiorum poſtulatis acriter reſpondiſſe, neque Mileſios auxilio dignos, neque ex rep. id eſſe contendiſſe. Poſtridie cum res agi denuo cœpta eſſet, Demoſthenem lana multa collum cervicesq; convolutum, ad populum prodiſſe, & dixiſſe ſe συνάγχην pati, eò contra Mileſios loqui non quire. Tum è populo unum exclamaſſe: Non συνάγχην quod Demoſthenes pateretur, ſed ἀργυράγχην eſſe. Ipſe etiam Demoſthenes, non id poſtea concelavit, quin gloriæ quoque hoc ſibi aſſignavit. Nam cum interrogaſſet Ariſtodemum actorem fabularum, quantum mercedis, uti ageret, accepiſſet, & Ariſtodemus talentum reſpondiſſet: At ego plus, inquit, accepi ut tacerem. *Idem Hagæ cuidam nuper gloriari licuit, qui nunc æternum tacet, ſed gratis.*

Argentangina.

[3] *Agell.* 11.9. *Plut. in vita.*

Anginæ cauſſæ.

*Angina præceps admodum malum, inprimis ubi neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet. Hac ſæpe videmus brevi temporis ſpatio ſublatum ægrotum, conſtante mente integriſque ſenſibus.*

Paulo

*Paulò minus periculi eſt, quum interiores laryngis fauciumque muſculi, manifeſta phlegmone tentantur. Talis inflammatio quandoque & à ſpina faucibus inhærente.*

[1] *Plutarch. in præc. San.*

[1] Niger ſane oratoriam artem in Galatia docens, forte fortuna ſpinam piſcis deglutiverat, cum ſubitò foris ſupervenit quidam rhetor, ac declamare cępit. Ibi Niger, ne ſpeciem concedentis ſilentio præberet metuens, etiamnum ſpina in faucibus inhærente declamavit & ipſe. ſed orta inde magna & dura inflammatione, impatientia doloris exſecari ſibi ſpinam introrſum profunde vulnere adacto paſſus eſt. per quod vulnus exemta quidem eſt ſpina: verum ipſe eo ex vulnere, quod ſanatu difficile eſſet, humoresque affluerent parti læſæ copioſi, mortuus eſt. *Sed veræ Anginæ exemplum affert Seneca:* [2] Homo ſummæ frugalitatis cum hilaris cœnaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, angina, vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergò horas, poſtquam omnibus erat ſani ac valentis officiis functus, deceſſit.

[2] *Epiſt.* 101.

Præſervatio.

[3] *Celſ.* 4.4.

[3] Angina non periclitari toto anno vulgò audio, ſi quis pullum hirundinis ederit.

Curatio.

[4] *Plin.* 22.24. [5] *Id.* 30.4. [6] *Id.* 27.7. [7] *Id.* 20.17. [8] *Id.* 25.3. [9] *Id.* 24.19. [10] *Id.* 26.4. [11] *Id.* 23. *præf.* [12] *Id.* 13.5. [13] *Id.* 22.23. [14] *Id.* 23.12. [15] *Id.* 24.7. [16] *Id.* 27.12. [17] *Id.* 24.7. [18] *Id.* 32.8. [19] *Id.* 23.2. [20] *Id.* 21.19. [21] *Id.* 34.12. [22] *Id.* 23.8.

[4] Anginis utiliſſimum eſt mel, [5] fel anſerinum cum elaterio & melle, [6] abſinthium cum melle & nitro, [7] aniſum cum melle & hyſſopo ex aceto gargarizatum, [8] herba quæ vocatur Britannica, [9] herba quæ gignitur ſuper fimeta ruris, [10] argemonia ſumpta ex vino, [11] omphacium, [12] chryſocolla, [13] laſer gargarizatus, [14] herba proſerpinaca, [15] palmipiſſa liquida, [16] polygonum, [17] pix, [18] menarum ſalſarum ex capitibus cinis ex melle illitus, [19] oxymeli calidum gargarizatum, [20] violæ ex aqua potæ, [21] miſy, [22] nuces juglandes cum ruta & oleo.

*Sed quævis remedia præcedat venæ ſectio.*

Spirandi difficultas.

[23] *Celſ.* 4.4.

[23] Eſt etiam circa fauces malum, quod apud Græcos

cos aliud atque aliud nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit. Sed hæc dum modica est, neq; ex toto strangulat, Δύσπνοια appellatur. Cum vehementior est, ut spirare æger sine sono, & anhelatione non possit, Ἆσθμα, Anhelatio & Suspirium *Scribonio, Plinio,* [1] *Seneca, & qui eo laborant* Ἀσθματικοὶ *Græcis,* Anhelatores *Plinio,* Suspiriosi *Marcello. De hoc affectu conqueritur Seneca:* Uni morbo quasi assignatus sum : quem quare Græco nomine appellem, nescio. Satis enim apte Suspirium dici potest. Brevis est valde & procellæ similis. impetus est : intra horam ferè desinit. Quis enim diu expirat? Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt : nullum mihi videtur molestius. Quidni? aliud enim, quicquid est, ægrotare est : illud animam agere. Itaque Medici hanc meditationem mortis vocant. Facit aliquando spiritus, quod sæpe conatus est.

Asthmatis essentia.

Nomina.

[1] *Epist.* 54.

*Asthmatis causa ferè obstructio pulmonum : rarò in corde sedem habet, cujus tamen exemplum hic afferam.*

Caussæ.

[2] Scombergius in curru suo intercepto spiritu enectus. Is jam à longo tempore difficultate respirandi laborabat, ad quam per intervalla accedebat acutissimus circa præcordia dolor, quo cum corripiebatur, sudore per totum corpus diffluebat, adeoque debilitabatur, ut prope anima linqui videretur. Verum ut erat moderata & patienti natura, cum nihilominus quotidiana aulæ officia minimè intermitteret, longa assuetudine & morbum sibi familiarem, & suis minus suspectum fecerat. Secto corpore, quod prævalidum ac vastum vivus habuerat, admiratione dignum Chirurgis ac Medicis fuit, quod membrana ac carnea omnis pars, quæ sinistram cordis regionem tegit, & ad flabellationis assiduæ usum dilatatur, ac comprimitur, ex immo-

Symptomata.

[2] *Thuanus Hist.* 122.

dico calore, & liberaliore victu tota offea reperta est, ita ut respirandi facultatem impediret, idq; tandem repentinæ suffocationi caussam dedisse creditum est. Nam alioqui saluberrimo temperamento, nullaque pars in eo non maximè sana erat, nisi quatenus crebra strangulatione vexabatur.

Curatio.

[1] Plin. 20. 21. [2] Ibid. 6.

[1] Hippocrates radicis altheæ decoctæ succum asthmaticis in vino bibendum dedit: [2] aliqui allium tritum in lacte.

[3] Idem. 26. 7.

[3] Molon ex vino dyspnœæ medetur: centaurium majus ecligmate: plantago succo vel cibo: Vettonicæ tusæ pondo libra, mellis Attici semuncia ex aqua calida, quotidie bibentibus. Aristolochia vel agaricon, obolis ternis ex aqua calida, aut lacte asini pota. Cissanthemos ad orthopnœas bibitur: item hyssopum & asthmaticis: *aliaque plura apud Plinium.*

Sputi sanguinis caussa.

*Ex pulmonum vena casu, labore, clamoribusve, aut aliis caussis rupta, sæpe sanguis expuitur. Remedium affert Comicus:*

Curatio.

[4] Plautus Mercat.

[4] *— jamdudum sputo sanguinem,*

CH. *Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvum feceris.*

*Sed non raro lethale.*

[5] Ovid. 1. de Ponto 4.

[5] *Cernis ut è molli sanguis pulmone remissus,*
*Ad Stygias certo limite ducat aquas?*

[6] Plutarch. in vita Ag. & Cleom. Polyb. 2. Hist.

[6] Antigonus post prœlium vociferans pulmonem dirupit, vimque sanguinis effudit, atque acri febre correptus expiravit.

[7] Valer. Max. 9. 2.

[7] L. Sylla animi concitatione nimia, atque immoderatæ vocis impetu, convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum evomuit.

[8] Hippocr. 5. Aph. 31.

[8] E pulmone autem prodire inditium est, si spumosus sputo rejiciatur. *Ita apud poëtam sagitta emissa,*

[9] Virgil. 9. Æneid.

[9] *— stomachoque immissa sub altum*

*Pectus abit, reddit ſpecus atri vulneris undam,*
*Spumantem, & fixo ferrum in pulmone pependit.*
*Quod etiam lethale fuit,*
*— abolitaque intus*
*Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.*

Phthiſeos causſæ.

[1] A ſanguinis ſputo, puris ſputum malum; & [2] à puris ſputo, tabes.

[1] *Hipp. 7. Aph. 16.* [2] *Ibid. 17.*

[3] Pharnuches ab equo lapſus ſanguinem evomuit, nactusque eſt morbum, qui in phthiſin evaſit.

[3] *Herodot. 3. Hiſt. 88.*

[4] Adrianus imp. venando jugulum & coſtam fregit: *unde ſanguinis ſputum & tabes. Vtrumque & à veneno.*

[4] *Spartian.*

*Ita* [5] Philippus rex Aratum veneno ſuſtulit. Ac principio quidem ignota res cæteris fuit; neq; enim ea vis erat pharmaci, ut in ipſo ſtatim articulo necaret: ſed mora temporis corporis valetudinem afficiebat. [6] Non præceps *ſcilicet*, neque acre, ſed ex illis, quæ lentos calores primum in corpore & tuſſim excitant languidam: unde ita ſenſim ad tabem perducunt. Ipſum verò Aratum non latebat malum, quod hoc modo palam eſt factum. Is aliquando, quum unum è ſputis, queis paries erat conſputus, ſanguine mixtum eſſe obſervaſſet, famula adſtanti, Hæc nos, inquit, prœmia amicitiæ noſtræ erga Philippum retulimus.

[5] *Polybius Hiſt. 8.*
[6] *Plutarch. in vita.*

*Neque inter tabis cauſſas ultima eſt triſtitia. Ita* [7] Menenio Conſuli Romano præ dolore ac mœrore animi tabes vix ſanabilis conciliata.

[7] *Dionyſ. Hal. Ant. Rom. 11.*

Φθίσις *autem, quam Latini Tabem, & veteres Græci* φθείωμα *vocarunt, vel latè ſumitur, pro omni corporis extenuatione,*

[8] *Oſſa atque pellis ſum, miſer à macritudine:*

*vel preſsè, pro ea, quæ fit ab exulceratione pulmonis, & Græcis propriè* [9] φθόη, *ut &* [10] πύη *appellatur.*

[8] *Plaut. Capt.* [9] *Gal. 7. Aph. 16.* [10] *Aretæus 1. de cauſſ. & ſign. diut. 18.*

*Hæc cõtagio inficit.* [11] Multos enim, qui in eo morbi genere aliis inſervisſent, ipſos una periiſſe *novimus.*

Contagioſa.
[11] *Iſocrat. Æginet.*

Præſervatio.
[1] *Plutarch. de his qui ſerò à num. pun.*

*Quia etiam plerumque hæreditaria,*[1] tabe extinctorum liberos, tantiſper dum cadaver comburebatur, ſedere jubebant pedibus in aquam demiſſis.

Curatio.
[2] *Plin. 20.6.*
[3] *Idem 20.22.*
[4] *Id. 22.22.*
[5] *Id. 24.16.*
[6] *Id. 26.7.*
[7] *Ibid. 11.*

[2] Porri ſectivi ſuccus ſanguinem excreantibus, & phthiſicis, vel ex ipſo cibo prodeſt: *item* [3] allium in fabæ ſorbitione, ecligmata è ſemine lini, [4] acanthi radices incoctæ cibo, maximè ptiſana, iaſione olus ſylveſtre, [5] aron è melle, myrrhis in ſorbitione, [6] verbenaca, [7] geranii drachma in vini cyathis tribus bis die, plantaginis ſuccus, & ipſa decocta.

[8] *Id. 22.22.*

[8] Defectis corporibus, & phthiſicis conſtat bulbos aſphodeli cum ptiſana decoctos aptiſſimè dari: panemq; ex his cum farina ſubactis, ſaluberrimũ eſſe.

[9] *Celſ. 3.22.*

[9] Opus eſt, ſi vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione, ſic, ut denſius, quam id eſt, ex quo diſcedit æger, petatur.

[10] *Plin. 24.6. & 31.6. & Celſ. 3.22.*

[10] Sylvas eas duntaxat, quæ picis reſinæque gratia radantur, utiliſſimas eſſe phthiſicis, aut qui longa ægritudine non recolligant vires, ſatis conſtat: & illum cœli aëra plus ita, quam navigationem Ægyptiam proficere, plus quam lactis herbidos per mõtium æſtiva potus.

[11] *Ibid. 7.*

[11] Picem etiam phthiſicis cyathi menſura quidam dederunt, & contra veterem tuſſim.

Peripneumoniæ nomina.

*Peripneumonia eſt pulmonis inflammatio, quæ & πνευμονία, Hippocrati quoq; πλευμονία dicitur. Poſſit Latinis* Pulmonia *appellari, ut hoc affectu correpti à Columella* Pulmonarii *nuncupantur.*

Cauſſa.
[12] *Celſ. 2.7.*

*Succedit quandoque pleuritidi, vel anginæ,* [12] ſi ſubito finita eſt.

Prognoſticum.
[13] *Plutarch. quæſt. nat.*

[13] Medici periti ex appetitionibus ægrotantium de eorum vel ſalute vel interitu præſagiunt. & narrat Mneſitheus medicus initio πνευμονίας, eum qui cœpas appetat, ſervari, qui ficus, perire: quod temperamentis appetitus, affectibus temperamentum ſit ſubſequens.

[2] Peri-

[1] Peripneumonicis datur tragoriganum cũ melle, [2] mel decoctum, [3] ficus decoctæ cum fœnogræco, [4] aron, [5] centaureum majus, item hyssopum, & [6] pancration ecligmate. Curatio. [1] Plin. 20.17. [2] Id.22.24. [3] Id.23.7. [4] Id.24.16. [5] Id.26.7. [6] Id.27.12.

[7] Color autem pulmonis, si neque per sputa, neque per cucurbitulas, neque per sanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus est, vomicas aliquas interdum excitat. [7] Cels.2.7.

*Vomica pulmonis est abscessus exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, quod membranula propriaque cysti concluditur. Hæc frequens est in tabidis. Quare utrumque affectum jungit Satyricus:* Vomicæ essentia.

[8] *Et phthisis & vomicæ putres.* [8] Iuvenal. Sat. 13.

[9] Petroselinum præcipuum ad vomicas, cochlearibus binis succi additis in cyathum marrubii succi, atque ita aquæ calidæ tribus cyathis. Buselinon ejusdem effectus. Curatio. [9] Plin. 20.12.

[10] Castor in ovum inane marrubii succum addit, ipsumque ovum infundit melle æquis portionibus tepefactum, vomicas rumpere, purgare, persanare promittens. [10] Id.20.22.

*Præterea* [11] medentur vomicæ parthenium calfacto succo pota, paliuri radix, [12] chamædrys. [13] Cochleæ *quoque* suspiria emendant & vomicas. [11] Id.22.17. [12] Id.24.13. [13] Ibid. 15.

*Sed vomica &* [14] suppuratio melius ferro rescinduntur, (*si in thorace sint*) quam medicamento. [14] Columell. 6. R.R. 11.

*Ita quidam* [15] deploratus à medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste. [15] Plin. 7.50.

*Et* [16] divinæ fortunæ vulnus Pheræo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quæ à nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret. [16] Valer. Max. 1.8. Cicer. 1. de nat. deor.

## CAP. VII.

### *Thoracis morbi, symptomata, eorumque signa, & curationes.*

Pleuritidis etymon, nomina, essentia.
[1] *Gal.2.Meth.2.1.ad Glauc.3.*
[2] *annot.in Holler.26.*
[3] *Method.15.*
[4] *com.in 9.Rhas.39.*

PLeuritis *inter eos morbos* [1] *Galeno recensetur,* qui à loco affecto nomen obtinent. *Cum autem* ὁ ὑπεζωκὼς τὰς πλευρὰς ὑμὴν, *membrana quæ costis subtenditur, Græcis dicatur* πλευρά, *inde potius deductum videtur* πλευρῖτις, *quæ est istius membranæ inflammatio, vocabulum, quam vel* ἀπὸ τοῦ πλευροῦ, *id est, à latere, ut voluit* [2] *Duretus: vel* ἀπὸ τῶν πλευρῶν, *id est, à costis, ut placuit* [3] *Rondeletio, &* [4] *Iacchino.*

[5] *1.Prognost.*
[6] *2.de vict acut.*
[7] *3.Aph.23.*

*Quamvis enim Hippocrates Pleuritidem* [5] ἄλγημα τῶν πλευρέων, *id est, dolorem costarum appellaverit, & eodem sensu* [6] ὀδύνην τῶν πλευρέων: *Idem tamen alibi* [7] πόνους πλευρέων ἀπὸ τῶν πλευριτίδων *separavit. Quia scilicet non omnis lateris dolor est pleuriticus, licet omnis pleuritis cum lateris dolore conjuncta sit. Vulgo Latinis hic affectus, morbus* Costalis, *vel* Lateralis, *& Barbaris* Pleuresis *appellatur. Serenus quoque* Telum *vocari scribit,* [8] quod corpus dolore instar gladii transverberet: *quemadmodum hodie non dissimiliter* La punta *Italis nuncupatur.*

[8] *Isidor.4.6.*

Caussa interna.

*Interna Pleuritidis caussa est tenuis biliosusque sanguis, qui ex vena cava cordi assidente inter costas & succingentem membranam incidens, inflammationem ibi parit.*

Externa.

*Externa, quæ istius impetum movet, est excandescentia, vociferatio, ebrietas, &c.*

[9] *Polybius 2.Hist.4.*

[9] Agro Illyriorum rex ebrietati & id genus liberalioribus epulis indulgens, in pleuritin incidit, quæ post paucos dies ipsum sustulit.

Prognosticũ.
[10] *Cicero 3.de Oratore.*

*Fortassis die septimo, qui acutorum criticus:*

[10] Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudorem-

doremque multum consequutum esse audiebamus: ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit: dieque septimo est lateris dolore consumptus. Symptomata.

[1] Huic dolori lateris febris & tussis accedit, & per hanc excreatur, si tolerabilis morbus est, pituita: si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emolitur. Idque primo vitio gravius, secundo tolerabilius est. [1] *Cels. 4. 6.*

Remedium verò est magni & recentis doloris, sanguis missus. At sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est, confugiendumque ad cucurbitulas est, ante summa cute incisa. Curatio.

[2] Pleuriticis datur staphylinos ex aqua, [3] tragoriganum cum melle, [4] phu radix, [5] laser in sorbitione vinum poturis, [6] mellis decoctum, [7] erysimum cum melle, [8] ficus cum fœnogræco decoctæ, [9] ammoniacum, [10] apocyni semen ex aqua, [11] candidus mori flos ex vino, [12] centaureum majus, hyssopum, peucedani succus, [13] hypericon ex vino. [2] *Plin. 20. 5.* [3] *Ibid. 17.* [4] *Id. 21. 20.* [5] *Id. 22. 23.* [6] *Ibid. 24.* [7] *Ibid. 25.* [8] *Idem 23. 7.* [9] *Idem 24. 6.* [10] *Ibid. 11.* [11] *Ibid. 14.* [12] *Idem 26. 7.* [13] *Ibid. 8.*

[14] Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet, & tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Præter hæc circumdare primum oportet latus hapso lanæ sulphuratæ: deinde cum paulum inflammatio se remisit, siccis & calidis fomentis uti. Ab iis transitus ad malagmata est. Si vetustior dolor remanet, novissimè resina imposita discutitur. [14] *Celsus 4. 6.* Empyematis caussa.

[15] Ex Pleuritide *plerumque, aliquando etiam* [16] *ex angina, &* [17] *peripneumonia, non bene tussi expugatis abscessus exoritur, è quo tandem rupto pus sæpe universum in thoracis capacitatem influit.* [15] *Hipp. de affection. 5. Aphor. 8. Gal. 4. loc. aff. 8. 5. loc. aff. 3.* [16] *Hipp. 5. Aph. 10.* [17] *Gal. 2. Progn. 59.*

[18] Est quidem ἐμπύημα, sive suppuratio omnis, puris tum confectio, tum collectio, quacunque fit parte corporis: at Medicis proprie ea est, quæ in thorace vel pulmonibus fit. [18] *Gal. ibid. 60.*

Curatio.
[1] Plin. 21.20.
[2] Ibid. 19.
[3] Id. 22.25.
[4] Idem 23.7.
[5] Idem 25.5.
[6] Idem 27.12.
[7] Ibid. 13.
[8] Idem 23.1.
[9] Idem 27.10.
[10] Ibidem 2.
[11] Idem 24.4.

[1] Suppurationes purgant iris rufa, [2] violæ, [3] hordei farina ex posca, addita resina & galla, faba in cibo fresa, & cum allio cocta, [4] mori radix, [5] eleborum nigrum: [6] discutiunt onopordon, [7] Smyrnii radix illita.

[8] Vitis nigra suppurationes incipientes discutit, veteres maturat & purgat: [9] recentes *etiam* nigro pœoniæ semine, veteres rubro discutiuntur.

[10] Fæx aceti resistit suppurationum incrementis.

[11] Cerri folia & cortex, & glans, siccat collectiones suppurationesque.

*Empyematis curationem spontaneo sanguinis fluxu, ex testimonio affert Orator:*

[12] Demosth. advers. Conon.
Symptomata.

[12] Febres me continuæ sequebantur, & cruciatus totius corporis perquam & vehementes & atroces: inprimis verò laterum atque imi ventris: neque cibum capere poteram: &, ut medicus quidam affirmabat, nisi mihi doloribus afflicto, & jam desperato purgatio sanguinis ultro copiosa supervenisset, me saniosum (ἔμπυον) factum, fuisse periturum; nunc is sanguis recessu mihi suo saluti fuit.

Tussis essentia. caussa.

*Tussis, Græcis βὴξ, est efflatio vehemens, quâ quicquid spirandi instrumentis molestum est, natura expellere conatur.*

[13] Senec. Ep. 75.

[13] Distillatio *plerumque* tussim facit.

Curatio.
[14] Martial. 11. Epigr. 87.

*Tussi dulcia medentur:*

[14] *Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat*
*Assiduè tussis Parthenopæe tibi,*
*Mella dari, nucleosque jubet, dulcesque placentas,*
*Et quicquid pueros non sinit esse truces.*

[15] Plin. 20. 13.
[16] Catull. carm. 45.

[15] Putant subtrita eruca tussim infantium sedari.

[16] *Hic me gravedo frigida, & frequens tussis*
*Quassavit, usque dum in tuum sinum fugi,*
*Et me recuravi ocimoque & urtica.*

[17] Plin. 20.4.
[18] Ibid. 5.
[19] Ibid. 7.

[17] Ad tussim mane jejunis prodest raphanus cum melle, [18] inula condita, [19] lactuca hyssopite admisto,

[...]histo, [1] nasturtium ex melle, ruta cum ficu, & decocta ad dimidias partes, potaque ex vino, [2] pulegium, [3] cunila gallinacea, [4] targoriganum cum melle. [1] *Ibid.13.* [2] *Ibid.14.* [3] *Ibid.16.* [4] *Ibid.17.*

[5] Porrum sectivum tussim, & distillationes thoracis, pulmonis & arteriæ vitia sanat, datum in sorbitione ptisanæ, vel crudum, præter capita sine pane, ita ut alternis diebus sumatur: vel si purulenta excreentur. *Plura apud Plinium. Sed* [5] *Idem.20.6.*

[6] Ἀμυγδαλὴ τῆς βηχὸς ἀγαθὸν φάρμακον. [6] *Thrynich. apud Stob.*

*Remedium tussis optimum est amygdala.*

## CAP. VIII.

### *Cordis symptomata. eorum caussæ & curationes.*

COr [7] solum viscerum, atque omnino partium corporis, nullum vitium patitur grave, idque recta ratione. Cum enim principium corrumpitur, nihil est, quod cæteris, quæ inde pendeant, præbere auxilium possit. [7] *Arist.3.de part.anim.4.*

[8] Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit: læsumque mortem illico affert. [8] *Plin. 11.37.*

[9] *Non hic herba valet, non hic nocturna Cyteis:* [9] *Propert.2. El.4.*
*Non Perimedea gramina cocta manu.*
*Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger:*
*Huic nullum cœli tempus & aura nocet.*
*Ambulat, & subito mirantur funus amici.*

*Præcipua cordis Symptomata sunt Syncope, & Palpitatio.*

Syncope est præceps virium lapsus; *ut ante se à veteribus Medicis definitam testatur Galenus.* Syncopes essentia.

*Hac minor est* λειποθυμία *&* λειποψυχία, *in quibus non est tanta animi exolutio.*

*Caussæ cordis affectus omnes, sæva animi pathemata, dolor atrox, nimia evacuatio, labor, inedia.* Caussæ.

 [1] — ina-

[1] Plautus Curcul.

[1] *—inanitate jamdudũ inteſtina murmurant*
*Tenebræ oboriuntur, genua inedia ſuccidunt,*
*Animo male eſt.*

*& quæcunque calorem nativum, ſpiritusque diſſol-vunt atque diripiunt.*

[2] Lucret. 6.

[2] *Nocturnumq; recens extinctum lumen, ubi acri*
*Nidore offendit nares, conſopit ibidem.*

[3] Senec. Ep. 58.

[3] Fortes quidem & paratiſſimi fundere ſuum ſan-guinem, alienum videre non poſſunt. Quidam a-vulneris novi, quidam ad veteris & purulenti tracta-tionem inſpectionemque ſuccidunt, & linquun-tur animo: alii gladium facilius recipiunt, quam vi-dent. Non eſt hic timor, ſed naturalis affectio, inex-pugnabilis rationi. *Itaque facile animo deficiunt.*

Curatio.

*In Lipothymia ſive animi deliquio convenit refri-geratio, tam quæ fit ab aëre, quam ab aqua frigid. Illa enim ſpiritus in unum cogunt, eorumq; diſſipa-tionem prohibent, qui quidem plurimi & tenuiſſim ſolent venire ad faciem, ut ſenſuum muneribus mi-niſtrent.*

[4] Senec. 4. Nat. 13.

*Hinc* [4] animo relictos ſtupentesque frigida ſpar-gimus, ut in ſenſum ſuum redeant.

*Id oſtendit poëta in anhelante, & ad frigidiore auram quaſi reviviſcente Sarpedone:*

[5] Homer. Iliad. 5.

[5] Τόν δ' ἔλιπε ψυχή, κατὰ δ' ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλύς·
Αὖτις δ' ἀμπνύνθη, περὶ δὲ πνοιὴ Βορέαο
Ζώγρει ἐπιπνείουσα κακῶς κεκαφηότα θυμόν.
*Hunc autem deſeruit anima, & circa oculos offi-*
*ſa eſt caligo.*
*Rurſus autem refocillatus eſt, circum verò au-*
*boreæ*
*Recreabat afflans ægrè ſpirantem animam.*

*Quod ipſum melius facit inſperſio aquæ frigid ut in vulnerato Hectore,*

[6] Ibid. 14.

[6] Ἔνθα μιν ἐξ ἵππων πέλασαν χθονί· κὰδ δέ οἱ ὕδωρ
Χεῦαν· ὁ δ' ἀμπνύνθη, καὶ ἀνέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν.

Tu

*Tum ipſum ex equis admoverunt terræ: circa autem ipſum aquam*
*Fuderunt. hic autem reſpiravit & aſpexit oculis.*
*in Laodamia ob mariti diſceſſũ animo deficiente;*

[1] *Lux quoq; tecum abiit. tenebris exanguis obortis* [1] *Ovidius Epiſt. Her.*
*Succiduo dicor procubuiſſe genu.*
*Vix ſocer Iphiclus, vix me grandævus Acaſtus,*
*Vix mater gelida mœſta refecit aqua.*

*i nota cauſſam, fortem mœſtitiam: ſymptoma, ut Plautino loco, tenebras oculis oborientes: alterum loquela ſuppreſſa. Ita Andromache ob inopinam Æneæ conſpectum,* Symptomata.

[2] *— mediis exterrita monſtris* [2] *Virgil. 3. Æneid.*
*Diriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit:*
*Labitur; & longo vix tandem tempore fatur.*

*t miſer poëta de ſe ipſo:*

[3] *Si jam deficiam, ſuppreſſaque lingua palato* [3] *Ovid. 3. Triſt. 3.*
*Vix inſtillato reſtituenda mero.*

*ptimum in animi defectu id remedium.*

[4] *Et jam deficiens ſic ad tua verba revixi,* [4] *Idem 1. de Ponto 4.*
*Vt ſolet infuſo vena redire mero.*

*Cordis palpitatio, immoderata eſt concuſſio, vehementi diaſtole atque ſyſtole moleſta.* Cordis palpit. eſſentia.

*Affectus hic Græcis* παλμὸς τῆς καρδίας *appellatur.* Nomina.
*Marcellus* Cordis ſaltationem *vocat.*

[5] Ὀρχεῖται ἡ καρδία φόβῳ. [5] *Æſchylus Inferiis.*
*Salit autem cor timore.*

*ta Comicus:*

[6] *Extimuit illam, jam horret corpus, cor ſalit.* [6] *Plautus Ciſtell.*

*Alii* cordis ſaltum, pulſum, formidinem, jectigationem. *Serapio* Caphoram, *Rhaſes* titillationem, *Avicenna, & omnes Arabum ſectatores* Cordis tremorem, ([7] quia tremor fit ſemper à facultate languida) *ſed minus commodè, ut videtur Mercuriali,* [8] quia in tremore cum motus fit ſurſum & deorſum, fit loci mutatio, in palpitatione verò nequaquam id accidit: [7] *Riolan.* [8] *Mercur. 2. Pr. 10.*

accidit: deinde tremor fit à virtute debili; in palpitatione verò illud non est necesse. Itaque distincti hi affectus.

Caussæ. [1] Crato Epist. 136.

[1] In Maximiliano II. Imp. præter hydropem pulmonis, palpitationis caussa fuit aqua in pericardio aucta. *Quinetiam*

[2] Æschyl. Sept. ad Theb.

[2] Φόβῳ οὐχ' ὑπνώσσει κέαρ.
*Præ timore non quiescit cor.*

[3] Virgil. 5. Æneid.

[3] *— exsultantiaque haurit*
*Corda pavor pulsans.*

*Et ex pavore*

[4] Ovid. 3. Fast.

[4] *Corda micant regis, totoque è corpore sanguis*
*Fugit, & hirsutæ diriguere comæ.*

*Hinc joci apud Comicos:*

[5] Plautus Aulul.

[5] *Cor meum cœpit artem facere ludicram.*

[6] Idem Capt.

[6] *— Abi directum cor, ac suspende te.*
*Tu sussultas, ego vix adsto præ formidine.*

[7] Anaxandrides apud Stob. 43.125.

[7] — Ω̃ πονηρὰ καρδία,
Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος·
Ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς ἢν ἴδῃς δεδοικότα.

[8] Grotius vertit.

[8] — O *cor improbum,*
*Quam tu malignum es solum in toto corpore!*
*Nam subito saltas, ubi timentem videris.*

*Idem præstat gaudium: & de eo hoc Plauti;*

[9] Pl. Milite.

[9] *Dicito doctè, & cordatè, ut ei cor saliat.*

## CAP. IX.

## *Ventriculi symptomata, horumque caussæ, & curationes.*

OS *inprimis ventriculi multa symptomata exercent. Horum alia fiunt, quatenus eximio id sensu præditum, ut Cardialgia, Cardiogmos: alia quatenus appetentiæ sedes, qualia sunt diminuta, atque dejecta appetentia, bulimus, appetentia canina, pica, malacia, sitis.*

Καρ-

Καρδιαλγία *est oris ventriculi dolor, & καρδιωγ-* Cardialgiæ
*ὶς morsus aut erosio oris ventriculi: quod* [1] veteres &Cardiogmi
*ρδίαν* nominabant, appellationem (ut ajunt) de- essentia. Etymon.
icentes ab his symptomatibus, quæ adfert. *Cum* [1] *Gal. 5. loc.*
*erò ab affecto ore ventriculi cor in consensum tra-* *aff.*
*itur, Galenus videtur tribuere similitudini.* na-
ræ congeneitatem *vocat. Alexander potius refe-*
*ndum* dicit ad vicinitatem. *Sed cum* [2] membra [2] *PlatoTimæo.*
ituralia sint valdè separata à vitalibus, *putat Mer-*
*rialis,* [3] non propter vicinitatem cor compati ori [3] *3. Prax. 2.*
entriculi, sed potius ob excellentiam sensus, qua id
æditum est: *quæ & Fernelii est sententia.* Cardiaci

[4] Cardiacus morbus nihil aliud est, quam nimia morbi essen-
nbecillitas corporis, quod stomacho languente, tia.
nmodico sudore digeritur. Licetque protinus sci- [4] *Cels. 3. 19.*
e eum esse, ubi venarum exigui, imbecillique pul- Symptoma-
s sunt. Sudor autem supra consuetudinem, & mo- ta.
o & tempore, ex toto thorace & cervicibus, atque
iam capite prorumpit, pedibus tantummodo &
uribus siccioribus atque frigentibus.

[5] Curatio prima est, supra præcordia imponere Curatio. [5] *Plin. 23. 1.*
uæ reprimant cataplasmata: secunda sudorem pro-
ibere. Id præstat acerbum oleum vel rosa, vel
iyrteum aut [6] melinum. [7] Tertium auxilium est, [6] *Athenæus 25. Deipn. 12.*
nbecillitati jacentis, vino ciboq; succurrere. *Nam* [7] *Cels. cit.*
Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse [8] *Plin. 23. 1.*
ertum est. Sed id dandum quidam non nisi in ac-
essione censent, alii non nisi in remissione. Illi, ut
idorem coërceant: hi, quia tutius putant, minuen-
e se morbo: quam plurium sententiam esse video.

[9] Cum polenta sylvestrium seridum radices sto- [9] *Id. 20. 3.*
nachi caussa sorbentur: & cardiacis illinuntur su-
er sinistram mammam ex aceto.

[10] Datur & cardiacis brassicæ decoctæ jus, [10] *Ibid. 9.*
*tem* [11] membrana quæ fel contineat, in potu vel [11] *Idem 28. 8.*
ibo.

[1] Dio-

[1] *Idem* 20.13. [1] Diocles rutam cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina hordeacea.

[2] *Iovius in vita Pomp. Columnæ.* [2] Scipio Lancelotus medicus Julium II. pontificem ſtomachi vitio proſtratum, & alimenta repudiantem, oblato Perſico pomo, ad certam vitæ ſpem fœliciter erexit.

Cibi faſtidium. [3] *Paul.* 3.57. [3] Ἀνορεξία ſeu ἀποσιτία eſt σιτίων ἀποστροφὴ, ciborum averſio ſeu faſtidium, *ſed ut aliquid tamen aſſumatur. eo differt* ἀπὸ τῆς ἀσιτίας, *quod hæc ſit abſtinentia cibi in totum.*

Inedia diuturna. [4] *Plin.* 11.54. [4] Homini non ante ſeptimum diem lethalis inedia: duraſſe & ultra undecimum plerosque, certum eſt.

[5] *Athenæus* 2. *Deipn.* [5] Timonis amita quotannis in ſpelæo, urſarum more, bimeſtre tempus abſque ullo alimento delituit ſemianimis, ut ſola inſpiratione viveret ac ægre dignoſceretur.

Appetitus proſtrati cauſſæ. *Imminuitur autem vel omnino proſternitur appetentia, cibique faſtidium adeſt, quum corpus univerſum multo luxuriat alimento, aut quum os ſtomachi pingui adipe, vel lento humore obtunditur vel etiam, quum ſtomachus à cauſſa calida & humida relaxatur. Vnde liquet, quam male medici paſſim imbecillitate ſtomachi laborantibus præſcriban juſcula.*

[6] *Cicer.* 16. *Ep. fam.* [6] De Medico & tu bene exiſtimari ſcribis, & ego ſic audio. Sed plane curationes ejus non probo: ju enim tibi dandum nō fuit, cum κακοστόμαχος eſſes

Symptomata. *Affectus hic admodum moleſtus.*

[7] *Iuvenal. Sat.* 13. [7] *Perpetua anxietas nec menſæ tempore ceſſat,*
*Faucibus ut morbo ſiccis, interque molares*
*Difficili creſcente cibo.*

[8] *Ovid.* 1. *de Ponto* 11. [8] *Os hebes eſt, poſitæque movent faſtidia menſæ,*
*Et queror inviſi cum venit hora cibi.*
*Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aër*
*Nil ibi, quod nobis eſuriatur, erit.*

Necta

*Nectar & ambrosiam, latices, epulasque Deorum,*
*Det mihi formosâ gnava Iuventa manu;*
*Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum:*
*Stabit & in stomacho pondus inerte diu.*

[1] Cibi satietas & fastidium aut subamara aliqua relevatur, aut dulci mitigatur: *sed hæc moderata. nam* Curatio. [1] *Cicero 1. de Invent.*

[2] *— stomacho dulcis & esca nocet.* [2] *Ovid. 2. Amor. 19.*

*Hinc* [3] mulsum ex austero vino factum, non implet stomachum: sed appetendi revocat aviditatem cibi. [3] *Plin. 22. 24.*

[4] Uvæ in ollis servatæ, & os, & stomachum, & aviditatem excitant. [4] *Id. 23. 1.*

[5] Cunila montana concoctionem mirè adjuvat, & ad cibos aviditatem. [5] *Id. 20. 16.*

[6] Cibi *præterea* aviditatem faciunt, & fastidium detrahunt lupini, [7] anisum, [8] vinum modicum, [9] amygdalæ amaræ, [10] myrrhis. [6] *Idem 22. 25.* [7] *Id. 20. 17.* [8] *Id. 23. 1.* [9] *Ibid. 8.* [10] *Id. 24. 16.*

[11] Creduntur & ciborum appetentiam facere prunorum, cerasorum, ac vitium gummi. [11] *Ibid. 11.*

*Ventriculo à nimia frigiditate debili (nam & hæc stupefacto velut stomacho appetentiam prosternit,* [12] quoniam omnis immodica intemperies operationes exolvit) *Theriaca prodest.* Appetitus prostrati caussa. [12] *Gal. comm. in 2. Aph. 20.*

[13] Marcus Antoninus imperator erat valetudine usque adeo infirma, ut frigus principio ferre non posset, congregatisque militibus, ut ipse jussisset, priusquam cum eis colloqueretur, secederet paululum, ac modico cibo, idque noctu, semper uteretur. Nihil enim capiebat interdiu, præter medicamentum, quod Theriacum appellant: quod pharmacum non tam sumebat timoris caussa, quam quod erat infirmo stomacho & pectore, ut eum ob hanc caussam rebus suis potuisse sufficere arbitrentur. [13] *Xiphilin. in vita.*

*Immodicæ famis duo sunt affectus:* Bulimus, & Appetentiæ Caninæ, & Bulimi discrimen.

Appe-

Appetentia canina. *Quas voces quidam pro synonymis usurpant, alii variè distinguunt. Primo quod Canina appetentia cum vomitu fiat, & quod qui ea laborant, instar canum, ubi ventriculum repleverunt, mox vomitu cibum rejicere soleant: in Bulimo verò non fiat vomitus. Deinde, quod Bulimon* [1] *lipothymia comitetur, Canina verò appetentia sine ea fiat. Tertio,* [2] quod Bulimos magis specialis sit, Canina vero appetentia generalior. *Siquidem Bulimi una tantum caussa proditur, frigus nempe externum: Canina verò appetentia, modo ab eadem, modo ab aliis quoque caussis. Duretus ita distinguit,* [3] ut Bulimos Gallis sit *faim sans appetit, fames* sine appetitu, Canina appetentia *appetit sans faim*, appetitus sine fame: *quam distinctionem laudat* [4] *Varandæus. Sennerto* [5] Caninus appetitus est continua, inordinata, & ferè inexplebilis fames: Bulimus autem appetitus quidem magnus, sed non continuus; imo verò qui sæpe in nauseam desinit, cum lipothymia & virium defectione. *Imò nonnulli tantum abest ut Bulimon vehementem famem definiant, ut contra velint in eo facultatem appetendi planè esse extinctam: idque auctoritate Galeni, qui scribit* [6] Bulimon incipere à fame, sed desinere in dejectionem facultatis appetentis. *Hinc* [7] Cleomenes negabat Bulimum esse famis speciem, *& Herc. Saxonia ait,* [8] eos decipi, qui putant eum esse magnam famem. *Appellemus verò hunc affectum Bulimon cum Paulo, Aëtio, Tralliano, aliis, antequam in totum languente nimium ventriculo, & pœnè extincto calore aboletur fames; sed tum cum ægri adhuc vehementer appetunt. Et hoc significatum, ipsa nominis ratio confirmat.* Nam βȣ́λιμος, βȣλιμία, βȣλιμιάζειν, *nec non* βȣ́παις *dicuntur à* βȣ̃, *quæ particula auget, unde &* [9] κάβηξ sive larus dictus βȣφάγος, *atque* [10] Herculi dicatus est ob voracitatem: [11] & equus Alexan-

[1] *Caussam vide Mercurial. 3. Prax.8.*
[2] *Galen.com. in 2. Aph.1.*
[3] *annot.in Holler.34.*
[4] *de morbis ventric.3.*
[5] *3. Pract.p.1. s.2. c.2.*
[6] *Gal. com. in 2. Aph.21.*
[7] *Plutarch.6. Symp.8.*
[8] *2. Tralect. 9.*
Bulimi etymon.
[9] *Athen.10.*
[10] *Aristophanis Scholiastes.*
[11] *Vossius 2. Orator. Inst.4. 7.5.*

Alexandri vocatus βουκέφαλος, non à bubuli capitis similitudine, ut putavit Festus; & fortasse etiam Strabo (qui sic dictum ait à latitudine frontis:) sed, vel à capitis magnitudine, vel ab inusto bubuli capitis signo, quomodo κοππατίαι dicti, quibus inustum K. [1] Cæterum non solus Alexandri equus Bucephalus dictus ab inusta nota capitis, sed omnes equi sic vocabantur, qui eadem insignis origine notati fuerant. *Ita* [2] Græci Bulimon, magnam famem dicunt, assueti magnis & amplis rebus præponere Bu, à magnitudine scilicet bovis. Hinc est quod grandes pueros bupædas appellant, & mariscam ficum bisycon. [3] Videtur ergo Bulimus famem ingentem aut publicam notare: maximè apud eos, qui Æolica dialecto E pro B usurpant. non enim boulimon antiquitus, sed poulimon, quasi πολύλιμον appellant. *Affectus hic* βούβρωστις *Plut. Hom.* φαγέδαινα, phagedæna *Aureliano*, Edacitas præter consuetudinem *Horatiano vocatur.* [4] Ego id πάθος invenio furcillam dictam à vetere collectore glossarum. Furcilla βούλιμος, ὁ μέγας λιμός. *Nos vocare possumus* Honts-honger, Caninam appetentiam, *vel* VVolfs-honger, *sicut Hispani* Hambre de lobo, *famem lupi.*

[1] *Salmas. Plin. exerc. p. 892.*
[2] *Festus.*
[3] *Plutarch. 6. Symp. 8.*
[4] *Scaliger ad Fest. cit.*

*Affectum hunc eleganter describit Callimachus:* Symptomata.

[5] Αὐτίκα οἱ χαλεπόν τε καὶ ἄγριον ἔμβαλε λιμὸν,
Αἴθωνα, κρατερόν· μεγάλη δ' ἐστρεύγετο νούσῳ·
Σχέτλιος ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὖτις.

[6] *His dictis, miserum pœna mulctavit acerba,*
*Terribilemque famem tetros immisit in artus;*
*Flagrantem, immanem; tabes est tetra medullas.*

*Et fusius alterius* βουλιμιῶντος, *sive famelici inexplebilem esuritionem Ovidius:*

[7] *— furit ardor edendi:*
*Perque avidas fauces immensaq; viscera regnat.*
*Nec mora, quod pŏtus, quod terra, quod educat aer,*

[5] *Hymno in Cererem.*
[6] *Vulcanius vertit.*
[7] *8. Metam. in fine.*

*Poscit; & appositis queritur jejunia mensis;*
*Inque epulis epulas quærit. quodque urbibus esse,*
*Quodque satis poterat populo; non sufficit uni.*
*Plusq; cupit, quo plura suam demittit in alvum.*
*Vtque fretum recipit de tota flumina terra;*
*Nec satiatur aquis; peregrinosque ebibit amnes;*
*Vtque rapax ignis non unquam alimenta recusat;*
*Innumerasque faces cremat; & quo copia major*
*Est data, plura cupit; turbaque voracior ipsa est:*
*Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani*
*Accipiunt, poscuntque simul. cibus omnis in illo*
*Caussa cibi est: semperque locus fit inanis edendo.*

[1] *Surius com. rerum in orbe gestarum.*

[1] Anno cIↃ IↃ XI. Maximilianus Cæsar comitia indixit apud Augustam, ubi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atque incredibilis ingluviei, ita ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam una vice devoraret, & tamen nec dum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, ubi ob locorum frigora, solent esse homines edaciores. quanquam hujus edacitas propemodum incredibilis videri possit.

Caussæ.

[2] *Agell. 16.3.*

[2] Erasistratus vim quandam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον καὶ βούπεινα appellant, in diebus frigidissimis multò facilius accidere ait, quã cum serenum atque placidum est. Atque ejus rei caussas, cur is morbus in eo plerumque tempore oriatur, nondum sibi esse compertas dicit. *Sed eas affert Plutarchus, ubi refert* [3] Brutum ex labore & algore bulimia correptum. Quod mali, *addit,* apprehendit fere & pecudes & homines, quum per nivem lassescunt: vel quod calor ob corpus frigore astrictum, ubi coactus intro omnis est, alimentum statim consumat.

[3] *Plutarch. in vita.*

[4] *Idem 6. Symp. 8.*

*Sic* [4] docet Aristoteles, foris magno circumfuso & efficaci frigore, corporis interna vehementer incale-

calescere. *Vnde* [1] ventres hyeme & vere natura calidissimi. Quocirca iis temporibus alimenta copiosiora dari debent. Siquidem innatum calorem copiosiorem habent, pluribus igitur alimentis egent. Videtur igitur calor intro compulsus, & abundans, intus consumere alimentum, eoque deficiente ipse quoque ignis instar extingui. Itaque bulimo correpti cum vehementer esuriunt, tum admodum exiguo cibo sumpto reficiuntur: quod cibus ingestus quasi fomes est iterum exsuscitando calori.

*[1] Hippocr. 1. Aphor. 15.*

Vel apprehendit hæc fames, quod emissus halitus à nive fusa acris & tenuis penetret corpus, & calorem ex eo foras dispersum dissolvat. Quippe sudores efficere calor videtur occursu in superficie frigoris extinctus. [2] Etenim spiritus qui à nive defertur, est quasi æther istius concretæ substantiæ, & ramentum tenuissimarum partium, & vi præditum secandi dividendiq; non carnem modo, sed argentea etiam atque ærea vasa. videmus enim hæc nivem non continere: quippe exspirando ea consumitur, exterioremq; vasis superficiem humore opplet tenui ac glaciei simili, quem spiritus relinquit per meatus occultè exiens. Is ergo niveus spiritus per nivem ambulantibus acutus & flammæ in morem incidens, extrema urere videtur secando, & penetrare carnem ignis instar. Inde corpus majorem in modum rarescit, calorque foras fluens à frigore spiritus superficiem ambientis restinguitur. Itaq; roridum sudorem corpus evaporat ac tenuem, liquaturq;, & simul vires consumuntur. Quod si quis tum quiescat, non multum caloris è corpore dilabitur. Cum verò motus corporis nutrimentum celeriter calefacit, & calor foras se proripit, carne laxata: necesse est magnum virium fieri defectum. Cæterum frigus non densandi modo, sed etiam liquandi corpora vim habere, constat. Acribus etiam hye-

*[2] Idem 6. Symp. 8.*

mibus cotes plumbei loquantur. Et quod multis non eſurientibus accidit bulimia, oſtendit fluxum magis, quam denſationem corporis. Rareſcunt autem hyeme, ob quam diximus tenuitatem: alioqui etiam laſſitudine, & motu calorem in corpore ſitum acuente: qui attenuatus & fatigatus copioſè fluit & diſſeminatur per corpus. Mala denique & caricas probabile eſt, aliquid exhalare quo jumentorum (accidit bulimus equis & aſinis, cum caricas aut mala geſtant) attenuetur calor, & in partes minimas diſſipetur. alia enim aliis ut reficiuntur naturali ratione, ita etiam læduntur.

[1] *Agell. 16.3.*

[1] Quod Eraſiſtratus ſcriptum reliquit, inquit Phavorinus, propemodum verum eſt: Eſuritionem faciunt inanes patentesque inteſtinorum fibræ, & cava intus ventris, & ſtomachi vacua hiantia. quæ ubi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & connivent: tunc loco, in quem cibus capitur, vel ſtipato vel adducto, voluntas quoque capiendi ejus deſiderandiq; reſtinguitur. Scythas quoque ait eundem Eraſiſtratum dicere, cum ſit uſus, ut famem longius tolerent, faſciis ventrem ſtrictiſſimè circumligare.

[2] *Plutarch. de fortuna.*

[2] Fit autem fames velut concuſſis alveis aſpera & turbulenta, attrahiturque vi alimentum, non citra dolorem, appetitusque excitatur non alimentum requirentis famis, ſitisve ſimilis, ſed inflammationi, quæ medicamentorum hauſtum applicationemve requirat.

Curatio.

[3] *Plutarch. 6. Symp. 8. & Bruto.*

[3] Brutus in diſcrimen vitæ adductus bulimo fuit, cum Dyrrhacio Apolloniam proficiſceretur per nivem copioſam, & eorum qui cibos geſtabant, nemo ipſum conſequeretur. ibi cum jam animo deficeret ac conſideret, coacti ſunt milites ad muros accurrere, & ab hoſtibus excubitoribus panem flagitare: quo ſtatim accepto, Brutum recreaverunt.

[3] In-

[1] Invenere herbas universæ gentes. Scythia eam, quæ Scythice vocatur, circa Bœotiam nascens, prædulcis. Aliam utilissimam ad ea, quæ spasmata vocant. Magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes, famem sitimque non sentiunt. Idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique, [1] *Plin.* 25.8.

*Tradunt etiam* [2] glycirrhiza sitim famemque sedari. [2] *Idem* 22.12.

*Sed non tantum Appetitus imminuitur, aut augetur: sed etiam depravatur. quod malum Græcis* κίττα, *Latinis eorum imitatione, sed nullo idoneo authore,* Pica, *& vulgò* Picatio *dicitur, sive quod pennarum aut vocis in hac ave sit varietas; sive* [3] quod ipsa sæpe hoc malo laboret, *ut putat Ægineta; sed unde illi notus picæ appetitus nescio; sive, quod ipsa subinde mutet loca, ut affectus appetentiam. Alii verò ab hedera, quæ Græcis* κιττὸς *dicitur,* [4] ita vocatam volunt, quod sicut hæc variis, prout occurrunt, plantis se implicare soleat; ita hoc affectu laborantes varia edulia appetant. *Dicitur etiam* μαλακία *Græcis, & Plinio* [5] gravidarum Malacia, *quod mollities quasi quædam & defectio sit, prægnantium inprimis, quæ languentes modo hoc, modo illud appetunt. Quanquam verò hæc cõmunis sit Medicorum sententia, nonnulli tamẽ Picam & Malaciam diversos affectus statuunt:* [6] Picam nempe esse appetitum corruptum, tam in viris, quam in mulieribus, in parvulis & adultis: Malaciam verò tantummodo in prægnantibus. *Ita quidem distinguit Saxonia. At magis differre vult Mercurialis, qui notat Altimarum,* [7] quod scripserit Picam appellari Græcis μαλακίαν, & Plinio malaciam, cum tamen, *inquit,* μαλακία mollitiem significet: atque mollities sto-

Picæ etymon & nomina.

[3] *Paul.* 1.1?

[4] *Aëtius* 4. *Tetr.* 4.11.

[5] 23.6.

[6] *Saxon.* 2. *Prælect.* 10.

[7] 3. *de morb.* 6.

machi alius sit morbus à pica, languor nempe & laxitas, propter quam nec ventriculus appetit cibos, nec continere potest. Præterea Plinius, ad malaciam laudat malicorium. Sed malicorium est medicamentum adstringens, quod convenit in laxitate ventriculi, sed non in pica.

[1] *Plutarch. in quæst. nat.*

[1] Videntur corporum temperamenta animalibus adferre appetitiones quæ in morbis ingenerant diversas acrimonias, dulcedines, & alias qualitates insolentes atque absurdas:[2] quomodo gravidæ cum pica vexantur, lapides, & qui nauseant, salsuginem, aliosque id genus cibos appetunt, paullo post expuituri & aversaturi.

[2] *Idem in polit. præc.*

Curatio.
[3] *Plin. 23. 7.*

[3] Citreorum semen edendum præcipiunt in malacia prægnantibus: ipsa verò contra infirmitatem stomachi: Malicorium *quoque* expetitur gravidarum malaciæ, quoniam gustatu moveat infantem.

Sitis essentia.
[4] *Arist. 2. de Anim. 3.*
[5] *Plato Philebo.*

*Porro ut* [4] fames, cupiditas est calidi & sicci, *ita* sitis, frigidi & humidi.

[5] Sitis est concupiscentia potionis, seu potius repletionis potus. Vacuus enim & exhaustus contraria eorum, quæ patitur, appetit.

Sitis immodicæ caussa.

*Hæc nulla prorsus est, quum os ventriculi humore dulci, frigido, multoque perfunditur: immoderata, quum id ipsum quasi humore prorsus exhaustum inaruit. Ita in æstu & potus penuria,*

[6] *Lucan. 4.*

*[6] — torrentur viscera flamma,*
*Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.*
*Iam marcent venæ, nulloque humore rigatus*
*Aëris alternos angustat pulmo meatus,*
*Rescissoque nocent suspiria dura palato,*
*Pandunt ora siti, nocturnumque aëra captant.*

*Sitim præterea inducunt omnia calida, salsa, acria; & quæ guttur gulamve exsiccant: inter quæ etiam vociferatio.*

[7] *Cicero 5. Philip.*

[7] Ipse interea de me in Tyburtino Scipionis declamita-

clamitavit, sitim quærens: hæc enim ei caussa solet esse declamandi.

[1] *Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pene marini:*
*Qui potus dubium est sistat, alatne sitim.*

[1] *Ovid.* 3. *de Ponto* 1.

Dipsadis morbus.

[2] A serpente, qui διψὰς dicitur, ictus, cognominem huic reptili affectũ patitur. Etenim inextincta siti cruciatur: & quod maxime est mirum, quo plus biberit, eo magis potum expetit, & multo plus bibendi cupiditas intenditur.

[2] *Lucian. de Dipsad.*

[3] *Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crescit.*

[3] *Ovid.* 3. *Met.*

Nec sitim unquam extinxeris, tametsi totum Nilum, Istrumve potandum præbueris, sed morbum irrigando incendes magis: quemadmodum si quis ignem oleo extinguere conetur. Dicunt Medici illam esse caussam: quod crassum cum sit venenum, quando postea potu madescit, celeriter movetur, humidius, ut verisimile est, redditum & latissimè diffusum.

[4] *Signiferum juvenẽ Tyrrheni sanguinis Aulum*
*Torta caput retrò Dipsas calcata momordit.*
*Vix dolor, aut sensus dentis fuit: ipsaque leti*
*Frons caret invidia: nec quicquã plaga minatur.*
*Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas*
*Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.*
*Ebibit humorem circum vitalia fusum*
*Pestis, & in sicco linguam torrere palato*
*Cœpit. defessos iret qui sudor in artus*
*Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.*
*Non decus imperii, non mœsti jura Catonis*
*Ardentem tenuere virum, quin spargere signa*
*Auderet, totisque furens exquireret agris*
*Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.*
*Ille vel in Tanain missus, Rhodanumq;, Padumq;.*
*Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem.*
*Accessit morti Libye, fatique minorem*
*Famam Dipsas habet terris adiuta perustis.*

[4] *Lucan.* 9.

*Scrutatur venas penitus squalentis arenæ:*
*Æquoreusque placet, sed non & sufficit, humor.*
*Nec sentit fatique genus, mortemque veneni:*
*Sed putat esse sitim: ferroque aperire tumentes*
*Sustinuit venas, atque os implere cruore.*

Sitis major in jejunis quam fames.

[1] *Plutarch. 6. Symp. 1.*

*Sed non alienum erit ab instituto nostro, duo huc afferre problemata. Ac primum;* [1] Ob quam caussam jejuni magis sitiant, quam esuriant. Hoc enim præter rationem fieri videbatur, cum defectus sicci nutrimenti à jejunio suam videretur naturalem expletionem potius desiderare. Dico: Eorum, quæ in nobis sunt, aut solum aut maximè calorem nutrimento indigere. idque adeò nos in eo cernere, quod neque aër, neque aqua, neque terra nutrimentum requirunt, neque consumunt quod eis appropinquat: solus id ignis facit. Hinc etiam adolescentes senibus voraciores sunt ob calorem: & contra senes jejunium facillimè ferunt, quod obtusus eorum jam & exilis est calor: sicut & exanguium animalium, quæ ob inopiam caloris minimo indigent alimento. Quin & unumquemque exercitationes corporis, vociferationes, & quæ alia motu calorem augent, suavius alacriusque edere cogunt. Cæterum caloris nutrimentum, quod naturæ ejus primo conveniat, arbitror esse humorem. quod & auctæ oleo flammæ arguunt, & cinis omnium rerum siccissima, quod combusto humore terrestres partes exsuccæ relinquuntur. Ad hæc ignis divellit ac dissipat corpora, eximendo iis humore, quo glutinabantur & cohærebant. Ergo cum jejunamus, primum è reliquiis nutrimenti in corpore calor vi humorem eripit: deinde ipsum aggreditur nativum carnis humorem inflammatio, succum persequens. hinc siccitate tanquam in luto oborta, potum magis quam cibum corpus desiderat: donec bibendo refectus calor & confirmatus solidi alimenti appetitionem excitet.

[1] Cur

[1] Cur *autem* fames potu compescitur, sitis contra cibo sumpto fiat vehementior? Sitis edendo intenditur, cibo sua siccitate humorem, qui sparsim imbecillis in corpore est reliquus, contrahente & omnem humorem absumente. sicuti videmus terram & pulverem, & multò magis mixta humorem omnem in se recipere atque abolere. Contra famem necessario abolet potus. Humor enim ciborũ reliquias aridas & exiles rigans & infundens, succo ingenerato & exhalationibus eas effert in corpus, indigentibusque applicat partibus. Itaque non malè Erasistratus humorẽ cibi vehiculum dixit. nam quæ ob siccitatem, aut aliam affectionem ignava sunt, & gravia, admixtus attollit, sursumque evehit. Multi autem, etiam cum non bibissent, sed tantum lavissent, continente fame, acrique liberati sunt. Quippe humor extrinsecus subiens, succulentiora facit, adq; nutriendum aptiora, quę sunt intus: ita ut vehementia & sævitia famis remittat & mitigetur. Ideò eorum quoque, qui inedia vitam finire volunt, multi diu durant, sola aqua pota: quantisper scilicet non omne id siccitas absumpsit, quod apponi corpori idque alere potest.

Fames potu sedatur.

Sitis cibo intenditur.

[1] *Plutarch. 6. Symp. 3.*

Famis remedium.

*Quam intolerabile malum sit immensa sitis, ostendit* imperator ille, qui se & exercitum hostibus præ siti dedidit.

*Et* [2] C. Marius, quum castra metatus esset adversus Teutonas, in loco, qui minimum habebat aquæ, militibus dicentibus se sitire, ostendit illis flumen proximè hostium vallum labens: Illinc, inquit, vobis potus sanguine venalis est. At illi jusserunt, ut se quò vellet, duceret, donec liquidum haberent sanguinem, nec totus adhuc præ siti diriguisset.

[2] *Plutarch. apophth. reg. & imp.*

[3] Socrates sitim reprimebat, non permittens sibi ipsi, uti à gymnasio biberet antequam primam urnam haustam effudisset: [4] & voluntate scimus sitim

[3] *Idem de garrul.*

[4] *Plin. 7. 18.*

victam, equitemque Romanum Julium Viatorem in pupillaribus annis subtercutem fusæ morbo prohibitum humore à medicis, naturam fecisse consuetudine, atque in senectam caruisse potu.

Sitis remedia.
[1] Plin. 11.54.
[1] Quædam exiguo gustu famem ac sitim sedant, conservantque vires, ut butyrum, hippace, glycirrhizon. Perniciosissimum autem in omni quidem vita, quod nimium, præcipue tamen corpori: *& in vehementi siti*

[2] Lucan. 4.
*[2] Continuus multis subitarum tractus aquarum*
*Aëra non passus vacuis discurrere venis,*
*Arctavit, clausitque animam.*

[3] Plin. 20.17.
[4] Ibid. 20.
[5] Id. 23.4.
[6] Ibid. 7.
[7] Ibid. 8.
[8] Id. 26.7.
[9] Id. 37.10.
[3] Sitim cohibent anisum, [4] portulaca, [5] succus palmarum decoctarum, [6] ficus, [7] nuclei nucis pineæ, [8] halus, [9] coticulæ ex achate.

*Ventriculus porro, ut cibi promptuarium est, & primæ coctionis officina, aliis rursum symptomatis premitur, ut cruditate, inflatione, singultu, nausea, vomitu, cholera, dolore.*

Cruditatis est causa.
*Cruditas est, quando cibus non coquitur, sed crudus excernitur.*

[10] Senec. Ep. 24.
[11] Id. Epist 2.
[10] Epulæ cruditatem afferunt. *Sed* [11] non prodest cibus, qui statim emittitur.

Signa.
[12] Columell. 7. R.R.
[12] Cruditatis signa sunt crebri ructus, ac ventris sonitus, fastidia cibi.

Curatio.
[13] Plin. 20. 13.
[13] Ruta cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi veteres.

[14] Ibid. 20.
[14] Portulaca *etiam, sed à diversa caussa,* cruditates sedat.

Singultus nomina, essentia, caussæ.
*Singultus, Græcis* λύγξ, λυζμὸς, *&* λυγμὸς, *convulsivus est ventriculi motus, quo quæ in proprium corpus impacta sunt, excutere conatur.*

[15] 6. Aph. 13.
[15] Hunc perinde atque convulsionem vel ab inanitione vel à repletione fieri *censuit Hippocrates.*

Curatio.
[16] Plato convivio.
[16] Si vis aliquamdiu spiritum cohibere, singultus cessabit. Si minus id placet, saltem aqua multa intus

allue

ue fauces. Et si forte vehemens est, nares commodè stimula, ut sternutatio irritetur. Nam si id mel, aut bis feceris, etiamsi vehementissimus sit lletur.

*Hipp. quoque* [1] singultum tolli *scripsit*, singulenti sternutamenta si supervenerint. [1] 6. Aphor. 13.

[2] Brassicæ succus contra singultus datur cum coandro & anetho, & melle ac pipere ex aceto. [2] Plin 20. 9.

[3] Mentha singultus, & vomitiones sistit, cum suco granati, ut Democritus monstrat. [3] Ibid. 14.

[4] Anisum præcipuum est ad ructus, ideò inflatioibus stomachi medetur. singultus & olfactum & ecoctum potumque inhibet. Foliis decoctis digeit cruditates. [4] Ibid. 17.

[5] Singultus præterea cohibent anethi semen ferens olfactum, [6] juncus odoratus, [7] scandicis semen x aceto, [8] acetum *ipsum*, [9] hemionium, item aritolochia, [10] rhacoma, [11] castorea ex aceto. [5] Ibid. 18. [6] Idem 21. 20. [7] Id. 22. 22. [8] Id. 23. 1. [9] Id. 26. 7. [10] Id. 27. 12. [11] Id. 32. 3.

*Nausea, quæ Græcis ναυσία, Ionicè ναυτία, & ναυτίασις dicitur,* [12] *est inane vomendi desiderium, quo nihil ejicitur.* Nauseæ nomina, essentia. [12] Gal. 1. loc. aff. 6.

*Hinc Seneca nauseabundus:* [13] Nausea me segnis hæc, & sin exitu torquebat: quæ bilem movet, nec effun . [13] Epist. 53.

*E aff cum sæpe infestentur navigantes, ei nominis dedere rationem. Namque* [14] nauseare dicti sunt primum, quibus in navi ac inter navigandum stomachus langueret: deinde consuetudo obtinuit, ut vox ea, quocunque modo sic affectis tribueretur. Etymon. [14] Plutarch. 6. Symp. 8.

*Vocatur quoque* ἀπλαζμὸς, *&* ἀνατροπὴ τοῦ στομάχου, stomachi subversio. *A plerisque tamen distinguuntur, ut nausea fiat ante, subversio post cibum.*

[15] Cur *autem* magis nauseant, qui in mari navigant, quam qui in fluviis, etiam cœlo tranquillo? Sensuum maximè olfactus nauseam movet, & animi de motibus metus. nam & tremunt & horrent, Caussæ. [15] Plutarch. quæst. nat.

& alvi

& alvi humectantur iis, qui imaginando periculum concipiunt. Horum neutrum molestum est navigantibus in flumine. Nam odor omni dulci ac potabili aquæ familiaris est, navigatio sine periculo. In mari & odor insolens molestiam adfert, & metuunt sibi, præsenti de futuro fidem non habentes. Itaque tranquillitas foris nihil prodest, dum animus æstuans ac perturbatus, corpus quoque tumultu opplet.

Remedium. [1] Plin. 27. 7.

[1] Nauseas maris arcet in navigationibus potum absinthium.

Vomitionis essentia, curatio.

*Solet ferè nausea, ut tussim ὁ κέρχνος, præcedere vomitionem. Hæc autem est, eorum, quæ in ventriculi sunt spatio, sursum facta rejectio.*

[2] Plin. 20. 23.

[2] Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet sisymbrium sylvestre sive in cibo sumptum, sive succo potum.

[3] Ibid. 15. [4] Ibid. 20. [5] Ibid. 23. proœm. [6] Ibid. 1. [7] Id. 24. 19. [8] Id. 10. 14.

[3] Sistit & vomitionem nauseasque cuminum ex vino, quantum apprehenderint tres digiti; [4] portulaca, [5] claviculæ ipsæ quibus repunt vites, tritæ, & ex aqua potæ, [6] merum, [7] semen graminis, [8] pulegium cum aceto & polenta.

Choleræ essentia. Etymon. [9] Galen. 2. Meth. 2. [10] lib. 7. cap. 14.

*Cholera est bilis tum supernè, tum infernè eruptio.* [9] Nomen habet à caussa, nempe ἀπὸ τῆς χολῆς, à bile. *Quamvis Trallianus malit derivare* [10] ἀπὸ τῶν χολάδων, id est, intestinis, quod materia quæ sursum effertur, ex intestinis excerni videatur. *Hanc etymologiam priori præferunt Mercatus, & Duretus; sed illam meritò probarunt Celsus, Aurelianus, Pereda, Massarias, Varandæus, Sennertus, & alii.*

*Hujus caussa bilis est: quæ evacuanda.*

Caussa. Curatio. [11] Cicero 14. Ep. fam.

[11] Χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur.

*Et si non sponte secedat,*

[1] Πικρά

[1] Πικρῷ πικρὰν κλύζουσι φαρμάκῳ χολήν. [1] *Sophocl. in fragm.*
*Amaram amaro remedio bilem lavant.*

[2] Vidi Italos, siquando bilem vellent eximere, [2] *Erasmus 4. Adag. 6. 73.*
dies aliquot nihil sumere præter offulas pauculas ex
aqua cum paullulo butyri recentis decocta. Quidam addunt herbarum ac radicum pauxillum.

[3] Scari *quoque* piscis, quia marinum leporem venatur, eoque pascitur, intestina Choleram morbum invehunt. [3] *Athenæus 8. 14.*

[4] Usu compertum est Choleras & distillationes stomachi ocimo inhiberi. [4] *Plin. 20. 12.*

[5] In cholera quoque lactucas coctas patinis dederunt: ad quam utilissimæ quam maximi caulis & amaræ. Quidam lacte infundunt. Defervefacti hi caules & stomacho utilissimi traduntur, sicut somno ativa maximè lactuca, & amara lactensque, quam meconidem vocamus. [5] *Ibid. 7.*

[6] Cholericis prosunt cotonea cruda matura, [6] *Idem 23. 6.*
baccæ paliuri; [7] item polygoni succus. [7] *Idem 24. 13.* [8] *Idem 27. 12.*

*Quod ad diætam;* Cholericorum diæta.

[9] Stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem, quoscunque accepit cibos, mutat, & omne alimentum in caussam doloris trahit. *Hinc ex divini Hippocratis oraculo*, Impura corpora quo magis nutris, eo magis lædis. [9] *Seneca 5. de Benef. 12.*

## CAP. X.

### *Iecoris & Lienis morbi, & symptomata, horumque caussa, signa, & curationes.*

*IEcur & Lien compluribus variisque patent affectibus. Inter morbos frequentissima obstructio.* Lienis tumor.

[10] Lienis tumor, *quandoque morbus*, quandoque febris est accidens, qui sedatus, etiam febrim facit leviorem. [10] *Plutarch. de tranquill.*

*Hujus symptomata expressit leno apud Comicum:* Symptomata.

[1] *Vale-*

[1] *Plautus Curcul.*

[1] *Valetudo decrescit, accrescit labor,*
*Nam jam quasi zona, liene cinctus, ambulo.*
*Geminos in ventre habere videor filios.*
*Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.*

*Remedium additur;*
*— ambula, id lieni optimum est.*

Curatio.
[2] *Plutarch. Demosthene.*

[2] Orchomenium Laomedontem ad repellen-dum Splenis vitium ajunt ex medicorum præcepti[s] longis cursibus usum, atque ita corpore laboribu[s] subacto, certaminibus sese dedisse sacris, & inte[r] optimos evasisse cursores.

[3] *Plin. 11.37.*

[3] Peculiare cursus impedimentum aliquando i[n] liene: quamobrem inuritur cursorum laboranti-bus. Et per vulnus etiam exempto vivere animali[a] tradunt.

[4] *Idem 20.10.* [5] *Id. 23.7.* [6] *Id. 24.14.* [7] *Ibid. 15.* [8] *Id. 27.12.* [9] *Id. 28.9.* [10] *Id. 24.9.*

[4] Datur Spleneticis succus brassicæ in vino alb[o] per dies XL, scilla cocta, [5] mororum succus, [6] cap-paris thyrsus ex aceto conditus, [7] chamædrys, [8] pan-cration cum melle, [9] caprinum serum.

[10] Tamarice ad lienem præcipua est, si succu[s] ejus expressus in vino bibatur. Adeoque mirabilem ejus antipathiam cõtra solum hoc viscerum faciunt ut affirment, si ex ea alveis factis bibant sues, sin[e] liene inveniri. Et ideò homini quoque splenetic[o] cibum potumque dant in vasis ex ea factis. [11] Hede-ræ quoque ligni vase spleneticos bibentes sanar[i] audio.

[11] *Ibid. 10.*

[12] *Ibid. 19.*

*Exterius* [12] spleni addito nitro fœnogræcum de-coctum & impositum medetur. Item ex aceto. Si[c] & jocineri decoctum.

[13] *Id. 31.11.* [14] *Id. 7.2.*

[13] Imponuntur etiam Spleneticis spõgiæ è posc[a].

[14] Quorundam corporis partes nascuntur ad ali-qua mirabiles: sicut Pyrrho regi pollex in dextro pe-de: cujus tactu lienosis medebatur. [15] nec cuiquam hoc auxilii genus, quanquam pauperrimo, dene-gavit.

[15] *Plutarch. in vita.*

*Ad Lienis morbos etiam referendus, quem hodie Scorbutum vocamus, idem cum Stomacace & Scelotyrbe veterum.* [1] In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderint, compageſque in genibus ſolverentur. Stomacacen medici vocabant & Scelotyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britannica, non nervis modo, & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque & ſerpentes. Folia habet oblonga nigra, radicem nigram. Succus ejus exprimitur & ex radice.

Scorbutus. [1] Plin. 25. 3. Stomacace. Scelotyrbe. Curatio.

*Icterus bilioſi eſt humoris per ſumma corporis effuſio.*

*Græcis* ἴκτερος *dicitur ab* [2] ave, quæ icteros vocatur à colore, quæ ſi ſpectetur, ſanari id malum tradunt, & avem mori: *vel à milvo*, [3] quod hic morbus affectorum oculos faciat pallidos & nigros, ut [?] ἰκτίνων, id eſt, milvorum: *vel* [4] à muſtela ſylveſtri, quæ itidem oculos habet aureos, & [5] Græcis ἰκτὶς, *Latinis viverra nuncupatur. Iidem morbum hunc* [6] interdum Arquatum, *vel Arcuatum à ſimilitudine iridis, vel arcus cœleſtis, quod ad colorem,* interdum Regium nominant:

Icteri eſſentia, etymon, nomina. [2] Plin. 30. 11. [3] Suidas. [4] Aretæus 1. 15. Aët. 10. 17. [5] Plin. 29. 4. [6] Celſ. 3. 24.

[7] *Molliter hic quoniam celſa curatur in aula.*

[7] Serenus.

[8] Nam per omne tempus utendum eſt lecto, & conclavi cultiore, clauſo loco, ut & ludis, laſcivia, per quæ mens exhilaretur. [9] Varro regium morbum appellatum tradit, quoniam mulſo curetur, *quod in regum erat deliciis. Gloſſæ* ἴκτερος aurigo, ἰκτερικὸς auriginoſus, *ab auri ſcilicet colore; qua ratione etiam Gallis* Jauniſſe, *& nobis* Geel-ſucht, *appellatur. Vulgo* Icteritia *dici conſuevit.*

[8] Celſ. cit. [9] Plin. 22. 24.

[10] Color autem eum morbum detegit, maximè oculorum, in quibus quod album eſſe debet, fit luteum.

Signa. [10] Celſ. cit.

[1] *Lurida*

[1] Lucret. 4.

*[1] Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur*
*Arquati, quia luroris de corpore eorum*
*Semina multa fluunt simulachris obvia rerum:*
*Multaque sunt oculis in eorum denique mista,*
*Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.*

Curatio.
[2] Plin. 20. 9.

[2] Apollodorus ictericis radicis brassicæ crudæ succum gargarizandum bibendumque demonstrat.

[3] Plutarch. 5. Symp. 7.

[3] Regio qui laborant morbo, eos sæpenumerò cognovimus sanari, si in avem charadrium inspiciant. tali natura, ut apparet, prædito animali, ut morbum è corpore affecti elabentem ad se trahat, atque recipiat oculis tanquam defluentem quendam humorem.

Icterus niger.
[4] Plin. 11. 37.

*Fit etiam Icterus niger*, [4] cum fel nigrum toto corpore vagum, colorem oculis aufert; nigrescuntque contacto eo.

[5] Plautus Capt.

*[5] Viden' tu illi maculari corpus maculis luridis?*
*Atra bilis agitat hominem.*

*Et alibi de insano:* *(colo*

[6] Idem Menach.

*[6] Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritu*
*Ex temporibus atque fronte?*

Corporis tumida moles.
[7] Cicer. 4. ad Heren.

[7] Corporis bonam habitudinem tumor sæpè imitatur.

[8] Iuven.

*[8] Montani quoque venter adest abdomine tardus*

[9] Plin. 11. 37.

[9] Plerisque animalium est plenitudo sine sensu quam ob caussam tradunt L. Apronii Consularis vir filio detractos adipes, levatumque corpus immobil onere.

[10] Ælian. 9. var. hist. 13.

[10] Dionysium Heracleotam filium Clearchi tyranni, fama est ex quotidiana voracitate luxuqu paullatim seipsum nimia carne ac pinguedine implevisse. Immensa igitur corporis crassitudo, & carnis incrementum, spirandi facultatem ei adime bant. Medici verò hoc ei remedium illius morb præscripserunt, ut tenuissimis & oblongis acubus a hunc usum paratis, latera transmitterentur, eæqu

pe

per ventrem impellerentur, dormiente ipſo profundius. Id negotium aliis datum eſt: & donec acus carnem agnatam, & quaſi alienam transfoderet, ille non aliter jacebat, quam lapis. Cum verò tranſiſſet eò, ubi validum erat & genuinum corpus, neq; amplius ex nimia pinguedine aſcititium, tum perſentiſcebat, & è ſomno excitabatur. Quod ſi quando negotia hominum audire, juraque dare vellet, ciſtam corpori prætēdebat (quidam verò non ciſtam, ſed turriculam affirmant fuiſſe) ut reliquæ partes occulerentur, ſolaque facies ſupereminerer: atque ſic cum iis colloquebatur: peſſimam mehercule veſtem illam indutus, magisque belluæ vallum quoddam, quam hominis amictum.

[1] Erat Galeottus uſque adeò tumenti abdomine, ut cum ſub vaſto obeſi ventris pondere, vel prægrandia jumenta fatiſcerent, rheda curuli veheretur: ac demum ſenex ad montem Annianum circa Ateſte, arvina ſuffocatus interierit.

[1] *Iovius in vita.*

[2] Sanctius eo nomine primus, rex Legionis, Craſſus ab habitu corporis cognominatus, quum tantam ſaginæ molem vix ferret, ad eamque levandam nihil intentatum relinqueret, Cordubam Abderamari regiam, qui Saracenis imperabat, impetrata prius ab eo pace, profectus eſt. Ubi inter Medicorum experimenta, quorum magna turba apud Abderamarum, herbæ cujuſdam vi ad maciem deductus, haud ita multo poſt exceſſit, non ſine veneni dati ſuſpicione.

[2] *Fr. Tarapha de reg. Hiſp.*

*Meliori ſucceſſu* [3] Scipio Vitellius, *celebris in Belgica hiſtoria*, qui cum ſub mediam fermè ætatem, increſcente adeò corporis mole, ut faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus venter eſſet, immodicè projectus, videret tardiorem quotidie reddi ſe ad belli munia, homo ad militiam cuncta referens, vino ſua ſibi ſponte interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ

[3] *Strada 1. de bello Belg. 8.*

usque finem perseveravit: effecitque, ut detumescente abdomine, defluenteque ventris pelle, qua ipse se thoracis instar involvebat, octoginta septem librarum decrevisse pondo compertus sit.

Cachexiæ essentia.

*Cachexia malus est, atque vitiosus corporis habitus. Sub hoc plena satis atque copiosa corporis moles est: at verò tum substantia & colore vitiosa: corpusque non promptum atque alacre, sed grave atque iners. nam* [1] corpora non robore, sed valetudine inflantur.

[1] *Quintil. 2. Orat. Inst. 3.*

[2] *Polyb. 3. Hist.*

[2] Carthaginenses, quoniam sub dio in Gallia Cisalpina hibernantes, frigore, illuvie, ac squallore conflictati fuerant, deinde per paludes ingrediendo multa perpessi mala erant: omnes vero tum equi, tũ & viri cachexia, & λιμοψώρᾳ, quasi dicas, scabie & fame orta, laborabant. Hannibal modicis intervallis castra mutans, in regione ad mare Adriaticum moras trahebat, equos autem veteribus vinis, quorum ibi magna copia, diligenter lavans, cachexia & scabie omni eos liberavit, similiter & milites habitiores, (*malim* boni habitus, εὐέκτας) reddidit, & alacres paratosque ad certamina.

Caussa. Hydropis nomina. [3] *Cels. 3. 21.* Etymon. Caussæ internæ.

*Huic proximi,* [3] quos aqua inter cutem male habet. morbum ὕδρωπα Græci vocant. *Item* ὕδερος, ὑδεριάσις, παρέγχυσις. *Plinio quoque* Hydropisis, *unde Italorum* Hidropisia, *Hispanorum* Idropisia, *& contractum Anglorum* Dropsie. *Nobis eadem ratione, ab aqua,* VVater-sucht.

[4] *Serenus.*

[4] *Corrupti jecoris vitio, vel splenis, acerbus*
*Crescit hydrops, aut cum siccatæ febre medullæ,*
*Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem:*
*Tum lympha interius vitio gliscente tumescit,*
*Secernens miseram proprio de viscere pellem.*

Hydropis species. [5] *Cels. cit.*

[5] Ejus tres species sunt. Nam modo ventre vehementer intento, creber intus ex spiritu sonus est. Modo corpus inæquale est, tumoribus aliter ali-

terque

terq; per totum id orientibus. Modo intus in unum aqua contrahitur, & modo corpore ita movetur, ut impetus ejus conspici possit. Primum τυμπανίτην & τυμπανίαν Græci nominant. Secundum λευκοφλεγματίαν vel ὑποσάρκα, *item* κατὰ σάρκα, σαρκίτην, ὑποσαρκίδιον, ἐπισαρκίδιον, *& communiter* ἀνασάρκα, vel τὸ ἀνὰ σάρκα, *quod sub carne, per carnem, vel juxta carnem, vel supra vel infra carnem, humor contineatur.* Leucophlegmatiam *propterea vocant, quod turgidula cutis albescat à pituita.* [1] *Aretæus,* Leucophlegmatiam *ab* Anasarca *distinxit, quod probat* [2] *Vega,* & vix *dissentit Saxonia. Quod tamen video à* [3] *Galeno reprehensum.* Tertium ἀσκίτην Græci nominant, [4] quod in hoc affectu ἀσκοῦ, id est, utris in modum humor in peritonæo contineatur.

Tympanites.

Quod summus venter ungue percussus ut tympanum tinniat.

Anasarca.

[1] 2. *diuturn.* 1.

[2] 3. *de arte med.* 8. 10.

[3] 4. *Acut.* 3. Vide *Mercat.* 4. *de morb. int.* 6. *Riol. Sennert. &c.*

[4] *Gal.* 4. *Aph.* 11.

Communis tamen omnium est humoris nimia abundantia, ob quam ne ulcera quidem in his ægris facilè sanescunt.

Ascites.

*Hæc abundantia sæpe contrahitur jecore aut liene ob pravam victus rationem vitiato.*

Hydropis caussæ externæ.

[5] Heraclitus, cum vitam in montibus ducens, olera ac herbas comederet, ob eam caussam morbo aquæ intercutis abreptus interiit.

[5] *Laërtius in vita.*

*De malvarum esu simile quid supra adduximus.*

*Inter symptomata sitis vehemens.*

Symptoma.

[6] —— *quibus intumuit suffusa venter ab unda,*
*Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

[6] *Ovidius* 1. *Trist.* 7.

[7] Nullus sufficit humor ad satiandum eum, cujus desiderium non ex inopia, sed ex æstu ardentium viscerum oritur, non enim sitis illa est, sed morbus: *quare non sedatur, nisi eo ablato.*

[7] *Seneca ad Alb.* 11.

[8] *Crescit indulgens sibi dirus hydrops,*
*Nec sitim tollit, nisi caussa morbi*
*Fugerit venis, & aquosus albo*
*Corpore languor.*

[8] *Horatius* 2. *Odar.* 7.

[9] Sæpe verò hoc malum per se incipit. Sæpè alteri

[9] *Cels.* 3. 21.

teri vetusto morbo, maximeque quartanæ superve-nit. Facilius in servis, quam in liberis tollitur, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus, Chrysippi discipulus, apud Antigonum regem, amicum quendam ejus notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum negavit posse sanari. Cumque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit illum ad morbũ ægri respicere, se verò ad animum. Neq; eum res fefellit. Ille enim cum summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque suam urinam in exitium sese præcipitavit. Inter initia tamen non difficillima curatio est, si imperàta sunt corpori, quies, sitis, inedia. At si malum inveteraverit, non sine magna molestia discutitur.

Prognostica.

Hydropis curatio.

[1] *Elleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,*
*Poscentes videas. venienti occurrite morbo.*

[2] Adolescens quidam Assyrius in summis deliciis vivere consuetus, cum in adversam valetudinẽ incidisset, ad Æsculapium venit, erat autem in potationibus & conviviis plurimum vivere, imò, ut verius dicamus, mori consuetus. Laborabat autem aqua intercute, & ebrietate gaudens, de exsiccatione non curabat. propterea & à Deo negligebatur, ita ut ne somnia quidem ulla illi mitteret. quibus de caussis anxius adolescens graviter incusabat Æsculapium, qui tandem in somnis illi superstans, si Apollonium, inquit, conveneris, melius tibi erit. Accedens igitur ad Apollonium adolescens, quidnam, inquit, ex tua sapientia possum acquirere? jubet

1 *Persius Sat. 3.*

2 *Philostrat. 1. de vita Apollon. 6.*

bet enim me deus tecum loqui. Cui Apollonius, id, inquit, quod ſcio, juvare te plurimum in præſentia poteſt: quæris enim, ut opinor, ſanitatem. Certe, inquit ille; hanc promittit Æſculapius, ſed tamen non dat. Bona verba, inquit Apollonius; volentibus enim duntaxat illa tribuere ſolet: tu autem omnia facis, quæ morbo penitus adverſantur. Delitiis enim diffluens, abdomini indulges, & pene corruptis inteſtinis, & aqua nimia redundantibus, cibos quaſi lutum ſuperinfundis. Et hoc quidem manifeſtius dixit, quam Heraclitus: ille enim tali morbo laboranti opus eſſe dixit ex pluvia ſiccitatem inducere: non facilè intelligibilia, neque manifeſta dicens. Apollonius verò ſapienter dicta, apertè interpretatus eſt, & adoleſcentem ad ſanitatem redegit.

[1] Heraclitus hydrope correptus Medicos per ænigmata ſciſcitabatur an poſſent ex imbre ſiccitatem facere. Illis non intelligentibus, ſeipſum boum ſtabulo includens, & fimo bubulo obruens, eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhaurire poſſe. Hermippus autem refert illum Medicis dixiſſe, Num poſſit quiſquam preſſis inteſtinis humorem exhaurire? Negantibus autem, ſeipſum ſolis objeciſſe radiis, ac juſſiſſe pueris boum fimo ſe oblinere, eo calore maceratum, poſtridie obiiſſe diem. Neanthes verò ait, illum fimo bubulo quum ſe eximere non poſſet, ita perſtitiſſe, atque ob eam mutationem ignotum, à canibus diſcerptum eſſe. [1] *Diog. Laërt. lib. 9.*

[2] Orodi morbo aquæ intercutis laboranti Phraates filius aconitum miſcuit: quod vis morbi per alvum dejecit, adeò ut rex inde haberet ſe melius. [2] *Appianus de bello Parthico.*

[3] Narrabat Gisbertus Horſtius Amſtelodamenſis, Romæ medicinam cum laude faciens, ibi hydropicum quendam diu decubuiſſe, cujus uxor tandem ſumptuum pertæſa, veneno eum tollere decreverat: quare bufonis in olla uſti pulverem ægroto [3] *Wier. 3. de præſtig. dæmon. 35.*

 propi-

propinat, unde ille copiosum reddit lotium: hinc denuo eundem pulverem exhibet, ut citius illi ærumnosam sumptuosamq; vitam cum præcipite commutaret morte, qui multo uberiore exonerata per vesicam saburra aquea, convaluit præter conjugis expectationem.

1 Auson. Epigr. 10.

[1] *Quam pia fata deum! prodest crudelior uxor,*
*Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

2 Plin. 20. 1.
3 Ibid. 4.
4 Ibid. 5.
5 Ibid. 6.
6 Ibid. 7.
7 Ibid. 9.

[2] Contra hydropises bibitur cucumis silvestris, [3] raphani ex aceto, aut sinapi, [4] cæparum succus cum succo fœniculi, [5] porri sectivi succus, [6] lactucæ caprinæ lac spissatum; mox in aceto pondere obolorum duum, adjecto aquæ cyatho, [7] scilla tosta, & in aqua cocta, *&c.*

8 Idem 22. 9.

Linguæ quoque recens subjecta præstat, ne hydropici sitim sentiant. [8] Glycyrrhiza diximus sitim famemque sedari. Ob id quidam adipson appellavere eam, & hydropicis dedere ne sitirent.

Præservatio.
9 Plutarch. de his, qui serò &c.

*Quia sæpè hæreditarius hic affectus, olim* [9] intercute aqua extinctorum liberos, tantisper dum cadaver comburebatur, sedere jubebant pedibus in aquam demissis.

## CAP. XI.

### *Intestinorum symptomata. horum caussæ, signa, curationes.*

*INtestina multis dirisque symptomatis torqueri solent, ut dolore, tarda dejectione, profluente alvo.*

Diarrhœæ caussæ.
10 Cic. 7. Ep. fam.
11 Thuan. Hist. 48.

*Diarrhœa sive alvi profluvium oritur ex immoderato olerum esu. Ita Cicero conqueritur, se* [10] à beta & malva deceptum, & διάρροια *correptum: & Senis in annona penuria plures obiisse narrat Thuanus*, [11] idque malvarum esui à medicis tributum fuisse, quæ alvum plus nimium solverent, & concoctionem impedirent.

*Idem*

*Idem faciunt cibi insulsi.*

[1] Milites vino, sale, aceto, oleo carentes; ac tritico, hordeo, cervorum, leporumque carnibus sine sale coctis vescentes, alvis dissiliebant, atque hoc mortis genere multi sunt absumpti. [1] *Appian. de bello Hisp.*

*Et post inopiam ex subita repletione.* [2] Milites Antonii, quum transirent per agros fœlices, post longam inopiam implebant se affatim. unde hydropicis cœliacisque morbis laboratum est. [2] *Idem de bello Parth.*

[3] Alvi fluxum etiam infert vini tenuis & acris plus æquo potus. [3] *Lucian. de merc. cond.*

[4] Proxima huic inter intestinorum mala, tormina esse consueverunt. Δυσεντερία Græcè vocatur. *Qua voce etiam usus* [5] *Cicero. Vulgus medicorum* difficultatem intestinorum *exprimit*; *melius Scaliger in* [6] *Aristotele* cruentum alvi profluvium *vertit.* Nam δυς hic non significat difficultatem, sed malitiam morbi, [7] ut δυσπραγεῖς. *Ex hisce patet Dysenteriam esse cruentum alvi profluvium cum ventris torsione: nam à dolore hoc jam Tormina dixit Celsus.* Dysenteriæ nomen. & etymon. [4] *Cels. 4. 15.* [5] *Cic. 7. Epist. fam. ad Gall.* [6] *10. de hist. anim. 43.* [7] *Scalig. com. in Hipp. de somn. 45.* Essentia.

[8] Quando bilis per venas in ventrem inferiorem superioremve pellitur, sic effugit è corpore tanquam transfuga ex seditiosa civitate, Diarrhœas & Dysenterias, similesque morbos inducit. Caussa interna. [8] *Plato Timæo.* Causs. externa.

[9] Xerxis milites ad Hellespontum euntes, quocunque veniebant, & ad quoscunque homines, eorum direptis fructibus vescebantur: ubi autem nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, ut è solo germinabat: nonnulli delibatis corticibus, & strictis frondibus arborum tam agrestium quam mansuetarum, nihil omninò relinquentes. hoc autem præ fame facere cogebantur. Quos deinde pestilentia excipiente ac dysenteria, inter viam extinguebãtur. [9] *Herodot. 8. Hist. 115.*

[10] Hellebori vi Cirrhæi expugnati fuerunt. Solon enim ejus radices quamplurimas in Plistum amnem conjiciendas curavit. Qui cum avidius de [10] *Pausanias in Phocicis.*

aqua illa bibissent, alvi perpetuo profluvio laborantes, deserere mœnium præsidium coacti sunt, & Amphictyonibus obsidentibus urbem tradere.

Signa. [1] *Cels. 4. 15.*

[1] Ex his cruor, modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur, interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est.

Oportet in primis conquiescere. siquidem omnis agitatio exulcerat.

Curatio. [2] *Plin. 12. 8.* [3] *Idem 20. 4.* [4] *Ibid. 5.* [5] *Ibid. 7.* [6] *Ibid. 9.*

[2] Corticis macis melle decocti usus in medicina ad dysentericos utilis habetur: [3] Naporum *item* semen tostum, tritumq; in aqua calida, è cyathis quatuor; [4] staphylini radix ex aqua mulsa; [5] lactucæ, [6] bulbi in vino ex aqua cœlesti temperato, &c.

Hippocrates brassicam dari jubet dysentericis bis coctam cum sale.

Hæmorrhoides.

*Hæmorrhoidũ symptomata sunt, immoderata sanguinis profusio, & ejus minimè consueta suppressio.*

*Vbi hæc urget, applicanda*

[7] *Horat. de arte.*

[7] *Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.*
*Exugit enim doloris caussam,*

Caussa. Curatio. [8] *Theocrit. Idyll. 2.*

[8] Μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα.
*Nigrum ex corpore sanguinem.*

[9] *Plin. 20. 5.* [10] *Iuvenal. Sat. 2.*

[9] Cæpæ homorrhoidas pellunt subditæ pro balanis, &c. *Quinetiam*

[10] *— Podice lævi*
*Scinduntur tumidæ medico ridente mariscæ.*

Lumbrici.

*Intestinorum dolor sæpe à flatibus, colicus & iliacus: quandoque & à lumbricis, qui ex omnibus corporis partibus maxime intestina occupare solent.*

[11] *Plin. 27. 7.* Eorum remedium.

[11] Absinthium ventris animalia pellit: *quod quia ingratum gustui, in pueris, qui lumbricis frequenter laborant, grato sapore adulterandum.*

[12] *Lucret. 4.*

*Hinc igitur* [12] pueris absinthia tetra medentes
*Cum dare conantur, prius oras pocula circum*
*Contingunt mellis dulci flavoque liquore,*

Vt

*Vt puerorum ætas improvida ludificetur*
*Labrorum tenus: interea perpotet amarum*
*Absinthii laticem, deceptaque non capiatur.*

[1] Quædam ignorantibus curanda sunt. [1] *Seneca de brev. vit.* 18.

[2] Hoc si via recta consequi non potero, decipere eos coner, veluti salutarem pueris daturus potionem absinthiati poculi. [2] *Senec. Suas. pro Cicer.*

## CAP. XII.

### *Renum & Vesicæ symptomata, caussæ & curationes.*

Renum constitutio.

HOminum [3] renes bubulis similes sunt, quippe qui velut compositi ex multis renibus cōstent. [4] Neque æquabiles sunt, quomodo renes ovium, cæterarumque quadrupedum habentur. Quo fit, ut morbus eorum difficile curari hominibus possit, etiamsi nuper ægrotare inceperint. Accidit enim, ut quasi multis renibus laborent, difficilius remedium adhibeatur, quam si uno infestarentur.

[3] *Arist.* 3. *de part. an.* 3. *Plin.* 11.37.
[4] *Arist. cit.*

Renum & Vesicæ calculi.

*Nephritis dici quidem potest omnis affectus, quo οἱ νεφροὶ laborant: peculiariter tamen pro renum calculo sumi solet. Nam* [5] aliquando inveniuntur in eis lapilli. Sed *&* in vesica quibusdam diro cruciatu nascentes calculi. [5] *Plin.* 11.37.

[6] Judicavere avi experimento, ex omnibus doloribus asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio vesicæ. [6] *Idem* 25.3.

Curatio.

[7] Heliotropii decoctum pellit renum arenas: si cuminum adjiciatur, calculos frangit. [7] *Idem* 22.21.

[8] Græci Senecionis radicem cum vino renibus extrahere arenam dixere. [8] *Idem* 25.13.

[9] Simus lapides renum asphodeli radice in vino decocta atque pota eximit. [9] *Idem* 22.22.

[10] Sativi raphani decocti manè poti ad ternos cyathos, comminuunt & ejiciunt calculos. [10] *Ibid.* 20. 4.

[1] *Ibid.* 10. [1] Asparagorum radix plurimorum prædicatione trita, & ex vino albo pota, calculos quoque exturbat, lumborum & renum dolores sedat. [2] Idem præstat hipposelini radix in vino decocta; *& innumera alia apud Plinium.*

[2] *Ibid.* 11.

[3] *Marineus* 1. *de reb. Hisp.*

[3] Magnæ virtutis est fons egregius in Bætica provincia juxta oppidum Antiqueram. Nam si lotis fons Bœotius sanguinis profluvium sistit, potis Antiquarius calculum dissolvit: ideoque à petra, quam extrahit per urinam, cognominatus est.

*Sed his omnibus præferendus calculi excernendi modus, celer, tutus, & jucundus, qui sequitur:*

[4] *Cicer.* 2. *de Divin.*

[4] Dicitur quidam cum in somnis complexu Venereo jungeretur, calculos ejecisse: video sympathiam: visum est enim tale objectũ dormienti, ut id quod evenit, naturæ vis, nõ opinio erroris effecerit.

Stranguriæ essentia. etymon.

*Calculos ferè comitari solet* Stranguria, *id est, urinæ stillicidium,* [5] quum urina stillatim, guttatimque redditur, ut ipsum nomen indicat. *Est enim compositum ex* στράγξ, *id est, gutta, stilla, &* οὖρον, *id est, urina. Cato* urinæ substillium *vocat.*

[5] *Gal.* 5. *Aph.* 48.

Caussa.

*Infert Stranguriam inter alia Nasturtii esus.*

[6] *Aristoph. Thesmoph.*

[6] Πολύν γε χρόνον οὐρεῖς σύ. Μν. Νὴ Δί' ὦ μέλε.
Στραγγουριῶ γάρ. ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα.
*Diu quidem tu mingis.* MN. *Ita res est, miser,*
*Nasturtii esus mî attulit stranguriam.*

[7] *Plin.* 26. 8.

[7] Strangurias discuti dictamno certum est: *& pluribus, quæ apud Plinium videre est.*

## CAP. XIII.

### *Scroti morbi, caussæ, curationes.*

*SCrotum, & qui in eo sunt testes, tum inflammatione labefactantur, tum tumore duro scirrhosoque, omnibus herniæ speciebus.*

Herniæ essentia. etymon.

*Hernia quibusdam dicta videtur à duritie pellis, quæ*

*ua fit descendentibus in scrotum intestinis.* [1] Herici dicti à saxis, quæ Marsi herna vocant. *Sed potius edam* [2] Herniæ nomen παρὰ τὸ ἔρνος formatum, t & Ramicis. Utrumque enim, quod cum intestium incipit in scrotum decidere, videtur ramum acere. *Ramices quidam pulmonis venas interpreantur, hoc loco:* — [1] *Festus.* — [2] *Scaliger. in Catalect.* — Ramex quid.

[3] *— placidè volo acquiescere.*
*Tui caussa rupi ramices, jam dudũ sputo sanguinẽ.*

[3] *Plautus Mercat.*

Scio, *inquit Mercurialis,* quid alii hic dicant. Ego verò, & omnes docti negant, sputum sanguinis crotum sequi diruptum. Proinde ramices hoc loco explico venas pectoris latas; quas fortasse sic nominat, quod populari & rustico vocabulo, quæque venæ amplæ, ut varices nuncupatæ, etiam ramices vocarentur. *Verum spuendo sanguinem, & vehementius tussiendo facile potuit rumpi ramex, inprimis post incitatum cursum. Ita Græcis* κήλη *dicta videtur à* κλάω, *quasi rupturam dicas, ut Italis* rottura, *nobis* breuck, scheurſel. [5] Ex omnibus Herniæ generibus, quam Græci κιρσοκήλην vocant, qua venæ intumescunt, & ramulos referunt, eam Latini ramicem appellarunt, teste Cornelio Celso lib. VII. Plinius non aliter hanc vocem usurpavit. Juvenalis etiam manifesto herniam intellexit hoc versu:

[4] *Var. Lect.* 20.

[5] *Salmasius Epist. ad Beverovicium.*

*Iacet exiguus cum ramice nervus.*

Lucillius apud Nonium his versibus de hernia planè exponendus;

*Quod deformis senex arthriticus ac podagrosus,*
*Et quod mancus miserque exilis, ramice magno.*

Varronis apud eum verba in eum significatum rapienda omninò sunt: Rapta à nescio quo mulione raptoris ramices rumpit. Notum enim herniosos non valde juvari, si in Venerea palæstra vehementius desudent. Facile illo opere rumpuntur ramices. Loquitur de rapta quadam formosula, quæ ra- — Herniæ causæ.

ptoris

ptoris sui ramices rumpebat. Nihil etiam magis nocet ramicibus, id est, herniis, quam spiritum ex alto collectum, cum vi & contentione emittere, ut faciunt tubicines tibicinesque. Hinc rarò hodie videre est tubicines, qui non sint herniosi. Idem fatum fuit & tibicinum olim. Quare & illa verba Varronis apud Nonium de herniis capienda: Priusquam in Orchestra pythaules inflet tibias, domi suæ ramices rumpit. Domi nempe meditatur tibicen, & idipsum domi canit, quod in Orchestra tibiis est incenturus. Ideò & domi suæ ramices rumpit, priusquam rumpat in theatro. Cum tot probati auctores, & antiqui non aliam ramicis notionem agnoverint, an credibile est Plautum aliter ea voce usum esse? Non fit mihi verisimile. Veterum auctor Glossarum semper ita exponit: ramex, ἐντεροκήλη. Nunquam in pulmonis significatione apud eum legitur. Alio loco: ἐντεροκήλη, ramis, ramix, & ἐντεροκηλήτης ramicosus. Arnobius etiam ita usurpavit. Aliæ Glossæ: ramex, κήλη. Sed Plauti locus contrarium innuere videtur. Immo idem, si rectè capiatur. Duo sunt, non unum, & rupit ramices, & sanguinem hic sputat. Quod utrumque ex acri, contenta & longa cursura evenire certum est. At quod sequitur,

*Resinam ex melle Ægyptiam vorato, salvũ feceris,* remedium est ad sanguinis rejectionem, non ad ruptos ramices aut herniam. Nam ad herniam nullum occurrebat præsens remedium, quod ipsi indicaret, ideo ad solam sanguinis sputationem monuit, ut eo remedio uteretur, quod facile erat atque in promptu. Vidi doctum hominem, qui inter ramicem ac ramices distingueret, & ramicem vellet esse herniam, ramices venas pectoris sive pulmonis. Frustra. Ramices venæ illæ sunt, quæ intumescunt in κιρσοκήλη. Nec aliter sumendum & altero Plauti loco, quem citavit Nonius è Pœnulo:

*Neque*

*Neque nos quenquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat.* *(ces.*
*Tua caussa, est nemo nostrum suos rupturus rami-*
Contentione enim vocis etiam hernia fit. Quod adeo verum est, ut sciam Chartusianos, qui stantes in Ecclesia diu & iteratis vicibus multis de die noteq; canunt, isti morbo esse plurimum obnoxios. Quod ex nonnullis aliquando audivi.

*Quamvis autem* κήλη *apud Græcos significet tumorem cujuslibet partis, unde in gutture* βρογχοκήλη, *malum Alpes inhabitantibus etiam hodie, ut vidi, familiare,*

[1] *Quis tumidum guttur miratur in alpibus?* [1] *Iuvenal.*

*tamen recentiores Medici illud vocabulum scroti modo tumoribus accommodarunt. Hæc virorum tantum est, & propriè à scroto* ὀσχεοκήλη *vocatur. His verò & mulieribus communis,* [2] quæ in inguine prominet, βουβωνοκήλη, *& in umblico,* ὀμφαλοκήλη. *Ab eo vero quod incidit, ut est intestinum,* ἐντεροκήλη, *vel omentum,* ἐπιπλοκήλη. *Hinc ex ambobus plus æquo compositum nomen* ἐντεροεπιπλοκήλη, *recentioribus Medicis inventum. Quibus adde* πνευματοκήλην *à flatu,* [3] ὑδροκήλην, ab humore, qui vel inter tunicas increscit, vel in membranis, quæ ibi circa venas & arterias sunt. Raro, sed aliquando caro quoque inter tunicas increscit; σαρκοκήλην Græci vocant. Præter hæc æquè integris tunicis ramex innascitur; κιρσοκήλην Græci appellant, cum venæ intumescunt: *quod* κιρσὸς, *sive varix dicitur.*

Herniæ species.
[2] *Pollux* 4. 24.
[3] *Cels.* 7.18.

Curatio.

[4] Sylvestri ruta cum axungia veteri illitos ramices sanari produnt. [4] *Plin.* 20.13.

[5] Paleam quoque tritici vel hordei calidam imponi ramicum incommodis experti jubent, quaque decoctæ sunt aqua foveri. [5] *Id.* 22.25.

[6] Cupressi folia trita, imponuntur ramici: qua de caussa & bibuntur. Testium quoq; tumori cum cera illinuntur. [6] *Id.* 24.5.

[1] Xiphii

[1] Id.26.8. [1] Xiphii radix superior enterocelicis datur ex aqua.

[2] Id.31.15. [2] Ramicosis cochlearum cinis cum thure ex ovi albi succo illitus per dies triginta, medetur. *Quidam ramici infantium lacerta mederi jubent.*

## CAP. XIV.

### *Partium procreationi dicatarum morbi & symptomata: eorum caussæ, & curationes.*

Seminis natura. [3] *Arist.* 1. *de gen. animal.* 18. Hystericæ suffocationis caussa. Curatio. [4] *Duret. enarrat. in Holler.* 59.

SEmen [3] excrementum est alimenti utilis atque ultimi, cui multum quoque & inutile alimentum permiscetur, ut vel morbi nonnullis contrahantur, cum non bene purgatio cessit. *Mulieribus nominatim hinc gravis ab utero strangulatus.* [4] Itaque virginibus suadendum est, ut nubant in Christo. Ego nuper vocatus sum nocte media ad curationem mulieris, quæ ab hysterica suffocatione laborabat, & conciderat quasi mortua: Eam inveni frigidiorem marmore, pulsus erat parvus, maritus de uxoris salute valde sollicitus. Bene est, dixi; jussi ut rem cum uxore sua haberet. rem habuit, indeque statim convaluit.

[5] *Martial.* 11. *Epigr.* 72.

[5] *Hystericam vetulo se dixerat esse marito,*
*Et queritur futui Leda necesse sibi.*
*Sed flens, atque gemens tanti negat esse salutem,*
*Seque refert potius proposuisse mori.*
*Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos,*
*Et fieri, quod jam non facit ipse, sinat.*
*Protinus accedunt Medici, medicæque recedunt,*
*Tolluntur que pedes. ô Medicina gravis!*

Nomina.

*Affectus hic Græcis* ὑστέρας καὶ ὑστερικὴ πνὶξ, *quibusdam* ἄπνοια ὑστερικὴ *dicitur; Latinis* uteri strangulatus, *Plinio* ab utero strangulatus, & vulvæ conversio, *aliis* uteri suffocatio, præfocatio, & spirationis

Symptomat. ob uterum privatio *nuncupatur. Namque altius in fauces*

*fauces invadens, eas quasi vinculo constringere, aut manu præcludere videtur, prorsusque spiritus intercipere magno suffocationis metu.*

Gonorrhœæ essentia.

[1] Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, ut interposito spatio tabe hominem consumat.

[1] *Cels.* 4.21.

Curatio.

In hoc affectu salutares sunt vehementes frictiones, perfusiones, natationesque quam frigidissimæ, neque cibi, nec potio, nisi frigida assumpta.

Pollutio nocturna.

*In attenta rei Veneree attentione, quod Horatius de se ipso narrat, vel per insomnia libidinis semen affatim procidit, non ut in vera gonorrhœa, crudum id & aquosum ac sine sensu, sed magna utique voluptate exit, in mulieribus cum partium obscœnarum odaxismo quodam, pruritu atque titillatione.*

*Byblis in exemplo est; placida resoluta quiete*
*Sæpe videt, quod amat. visa est quoque jungere* amanti
*Corpus; & erubuit, quamvis sopita jaceret.*
*Somnus abit: silet illa diu; repetitque quietis*
*Ipsa suæ speciem; dubiaque ita mente profatur:*
*Me miseram, tacitæ quid vult sibi mentis imago?*
*&c.*
*Dummodo tale nihil vigilans committere tentem;*
*Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus.*
*Testis abest somno: nec abest imitata voluptas.*
*Pro Venus, & tenera volucer cum matre Cupido,*
*Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido*
*Contigit! ut jacui totis resoluta medullis!*

Sterilitatis caussæ.

*Quibus semen tenue, & aquosum languidumque, veluti impuberes & senio confecti, infœcundi & steriles sunt: ut & quibus nimis crassum.*

[2] *Nam steriles nimium crasso sunt semine partim:*
*Et liquido præter justum, tenuique vicissim.*
*Tenue, locis quia non potis est adfigere, adhæsum,*

[2] *Lucret.* 4.

*Liqui-*

*Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu:*
*Crassius hoc porro, quoniam concretius æquo*
*Mittitur; aut non tam prolixo mittitur ictu;*
*Aut penetrare locos æque nequit; aut penetratum*
*Ægrè admiscetur muliebri semine semen.*

*Infœcundos & ætas facit ingravescens.*

[1] *Virgil. 3. Georg.*

[1] *Frigidus in Venerem senior; frustraque laborem*
*Ingratũ trahit, & si quando ad prœlia ventũ est,*
*Incassum furit.* ——

*Nec juvat, sed nocet medicamento eos incitare.*

[2] *Marineus de reb. Hisp. 21.*

[2] Ferdinandus Hispaniæ rex, Caroli V. avus in adversam valetudinem incidit, cum Germanam Fuxiam ante duxisset, adeò ut de ejus salute medici ferè omnes desperarent. Quam valetudinem viri quidam prudentes ex medicamentis quibusdam ei datis ad procreandum provenisse putavere.

Impotentes.

[3] *Terent. Eun.*

*Infœcundi quoque necessariò, quicunque impotentes. ut Eunuchi,* ([3] qui quidem amatores mulierum maximi, sed nihil possunt.) *& maleficiati.*

Maleficiati.

[4] *Marian. 6. rer. Hisp. 2.*

[4] Theodorico Burgundiæ regi, VVitterici Hispaniæ regis filia pacta in Galliamque principali apparatu missa, brevi ad patrem integra rediit. caussæ in incerto fuerunt. fama tenuit, Theodoricum, pellicum, quibus ad insaniam usque devinctus erat, arte & carminibus impeditum, ne regiæ virginis florem delibare posset.

Conceptum impedientia.

[5] *Plin. 7. 13.*

[5] Est *etiam* quædam privatim dissociatio corporum: & inter se steriles, ubi cum aliis junxêre, gignunt: sicut Augustus & Livia.

[6] *Lucret. 4.*

[6] *Nam multũ harmoniæ Veneris differre videntur:*
*Atque alias alii complent magis, ex aliisque*
*Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt.*
*Et multæ steriles hymenæis ante fuerunt*
*Pluribus; & nactæ post sunt tamen, unde puellos*
*Suscipere, & partu possent ditescere dulci.*
*Et, quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent*

*Vxores*

*Vxores parere, inventa est illis quoque compar*
*Natura, ut possent natis munire senectam.*
*Vsque adeò magni id refert; ut semina possint*
*Seminibus commisceri genialiter apta,*
*Crassaque conveniant liquidis & liquida crassis.*

*Quinetiam diætæ pravitas conceptum impedire, & corrumpendo seminis materiam, id infœcundum reddere potest.*

[1] *Atque adeò refert, quo victu vita colatur;* [1] *Lucr. cit.*
*Namque aliis rebus concrescunt semina membris,*
*Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.* Conceptum juvantia.

*Sunt & inter veteres & recentiores Medicos, qui cēsent,*[2] μίξιν τὴν ἐξόπισθεν πρὸς τὴν κύησιν συμφέρειν. [2] *Paul. 3. 74.*

[3] *— nam more ferarum,* [3] *Lucr. cit.*
*Quadrupedumque magis ritu plerumq; putantur*
*Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt*
*Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.*
*Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum.* Conceptum impedentia.
*Nam mulier prohibet se concipere, atq; repugnat,*
*Clunibus ipsa viri venerem si læta retractet;*
*Atque exossato ciet omni pectore fluctus.*
*Eicit enim sulci recta regione, viaque*
*Vomerem atque locis avertit seminis ictum.*
*Idque sua caussa consuerunt scorta moveri,*
*Ne complerentur crebrò, gravidæque jacerent.*

[4] Cur mulier sæpius concumbens, non concipiat, Diocles caussam esse putat, quod vel omnino nullum, vel justo minus semen emittat, aut proli gignendæ non aptum ob calorem, aut frigus, aut humiditatem, aut siccitatem deficientem, aut ob resolutionem uteri. Stoici, obliquitatem veretri, quod non possit recta ejaculari semen: aut quia membra coëuntium non sint inter se legitima proportione condita ad matricis distantiam. Erasistratus, ubi vulva callos contraxerit: aut carnosior, rariorve, aut minor fuerit, quam natura exigat. [4] *Plutarch. 5. de placit. Philos. 9.*

[1] Plin. 11.37. [1] Steriliora cuncta pinguia, & in maribus, & in fœminis. *In his caussa, quia* [2] omentum os uteri comprimit.

[2] Hippocr. 5. Aph.46.

[3] Arist.2. de part.an.6.

[3] Quinetiam obesa omnia ea de caussa steriliora sunt, quod quantum ex sanguine proficisci ad genituram & semen genitale debeat, hoc in adipem aut sevum sumptitatur.

Sterilitatis curatio.

[4] Plin. 28.8.

[4] Sterilitatem mulierum ajunt emendari, oculo cum glycyrrhiza & anetho sumpto in cibo, promisso intra triduum conceptu.

Abortus etymon.

[5] Festus.

[5] Abortum gravidæ mulieris dicitur, quod non sit tempestive ortum.

Caussæ.

[6] Plin.2.7.

[6] Miseret atque etiam pudet æstimantem, quam sit frivola animalium superbissimi origo, cum plerumque abortus caussa fiat odor à lucernarum extinctu.

[7] Idem 15.18.

[7] Sunt & in vino prodigia. Dicitur in Arcadia fieri, quod fœcunditatem fœminis importet, viris rabiem. At in Achaia maximè circa Caryniam abigi partum vino, atque etiam si uvam edant gravidæ, cum differentia in gustatu non sit.

[8] Idem 20.2.
[9] Ibid.21.
[10] Id.21.18.
[11] Id. 24.16.
[12] Id.25.9.
[13] Id.24.5.

*Præterea* [8] gravidis abortum facit elaterium, [9] radix altheæ cum adipe anseris, [10] cypiros, [11] dracunculi semen olfactum, [12] cyclaminon, si prægnans radicem transgrediatur.

[13] Portentum est quod tradunt, abortivum fieri in Venere, ante perfusa virilitate cedri succo.

[14] Id.27.12.

[14] Prægnans si edat onosmam, aut supergrediatur, abortum facere dicitur.

[15] Idem 28.7.
[16] Id.30.14.

[15] Abortum facit menstruus illitus, aut si omnino prægnans supergrediatur: *vel* [16] si transcenderit viperam: item amphisbænam, mortuam duntaxat.

[17] Id.32.1.

[17] Mira sunt, quæ de lepore marino traduntur. Venenum est aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam visus. Siquidem gravidæ si omnino aspexerint, fœminam ex eo genere duntaxat, statim nau-

sea &

ſea & redundatione ſtomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio eſt mas, ob id induratus ſale, ut in brachialibus habeant.

[1] Si caſtoreum fibrumve ſupergrediatur gravida, abortum facere dicitur, & periclitari partus, ſi ſuperferatur. [1] *Ibidem* 10.

[2] Inter evidentes cauſſas maximè idoneus eſt terror omnis ad partum ante diem promovendum. [2] *Philoſtr.* 1. *de vita Apollon.*

4. Curatio profluvii.

[3] Porrum ſectivum ex abortu profluvia ſiſtit; poto ſucco cum lacte mulierum. [3] *Plin.* 20.6.

[4] Baccharis radices tres quatuorve decoquuntur ad tertias partes. Hæc potio mulieres ex abortu purgat. [4] *Idem* 22. 19.

*Sunt alia, quæ fœtum enecando abortum faciunt; ut quæ vel ſuffitu, vel odore, vel ſubſtantia venenata ſunt.*

[5] Mentaſtrum potum fœminas purgat à partu, ſed partus necat. [5] *Plin.* 20.14.

[6] Thlaſpes ſemen menſes ciet, & partus necat. [6] *Idem* 27.13.

Partus naturalis in caput.

*Neque verò ad naturalem partum modò requiritur, ut legitimo tempore, ſed etiam ut ea figura in lucem prodeat, quæ ſecundum naturam eſt, nempe, ut Hippocrates primus ſcripſit,* [7] ſi in caput feratur. *Rationem affert*, quia puelli graviores partes ſunt ſuperiores, ex umbilico appenſæ tanquam in ſtatera quadam. *Et ex eo, ut ſolet, Philoſophus:* [8] Partus pronis in caput converſis fit per naturam animalibus omnibus, propterea quod partem ab umbilico majorem habeant, quam inferiorem. Majora autem plus ponderis continent. Itaque veluti in ſtatera dependentes eò vergunt, quo trahuntur.

[7] *de nat. puer. de octim. part.*

[8] *Ariſt.* 4. *de gen. animal.* 9.

Partus non naturalis in pedes.

[9] Quorum in naſcendo non caput, ſed pedes primi extiterant (qui partus difficillimus, ægerrimusque habetur) Agrippæ appellati: vocabulo, ab ægritudine, & pedibus. Confixos eſſe autem pueros in utero, Varro dicit, capite infimo nixos, ſurſum pedibus

[9] *Agell.* 16. 16. *Vide Cæl. Rhod.* 15. *Ant. L.* 22.

Agrippæ unde dicti.

dibus elatis: non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris. Nam pedes, cruraque, arboris appellat ramos: caput ſtirpem, atque caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam forte converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent, ægriusque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia, aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum altera Poſtverta nominata eſt, Proſa altera: à recti, perverſique partus & poteſtate & nomine.

[1] *Plin. 7. 8.*

[1] In pedes *igitur* procedere naſcentem, contra naturam eſt: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægrè partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quanquam is quoque adverſa pedum valetudine, *(convenit etymo Gelliano)* miſera juventa, exercito ævo inter arma morteſq;, ad noxia ſucceſſu, infelici terris ſtirpe omni, ſed per utrasque Agrippinas maxime, quæ Caium & Domitium Neronem principes genuere, totidem faces generis humani: præterea brevitate ævi, quinquageſimo uno raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, ſocerique prægravi ſervitio, luiſſe augurium præpoſteri natalis exiſtimatur. Neronem quoque principem, & toto principatu ſuo hoſtem generis humani, pedibus genitum parens ejus ſcribit Agrippina: [2] quæ commentariis vitam ſuam caſusque ſuorum poſteris memoravit. Ritu naturæ capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri. *Eò reſpexit poëta:*

[2] *Tacitus 4. Annal.*

[3] *Perſius Satyr. 3.*

[3] *— tandemque beatulus alto*
*Compoſitus lecto, craſſisque lutatus amomis,*
*In portam rigidos calces extendit.*

Partus difficilis cauſſa.
[4] *Ariſt. 4. de gen. anim. 6.*

[4] In ferendo etiam utero homines cum cæteris animalibus diſſident. Cum enim cætera plurimum temporis valeant corpore, cum uterum ferunt, mulieres

lieres magna ex parte ægræ degunt. Cujus rei caussa aliqua vel ad vitam referri potest. Cum enim mulieres vitam otiosam, & sellulariam quandam degant, plus contrahunt sibi excrementi. Nam quibus gentibus solitum est, ut mulieres labores suscipiant, iis nec uterus tam difficulter gestatur, & partus facilis est. Denique quibusvis locis mulieres, quæ laborare cõsueverunt, facilius pariunt. Labor enim excrementa consumit, quæ in mulieribus otiosis augentur. Cumque parturigo laboriosa sit, labor & exercitatio actæ vitæ facit, ut spiritum possint retinere: in qua re partus facilitas conciliatur.

Partum facilitantia.

[1] Dalion herbarius parturientibus ex semine anisi cataplasma imposuit cum apio: deditque bibendum cum anetho parturientibus. [1] *Plin.* 20.17.

[2] Constat parturientes foliis altheæ substratis celerius solvi, protinus à partu revocandum, ne vulva sequatur. [2] *Ibid.* 21.

[3] Sunt qui celeritati partus multum conferre putent lauri radicem, acetabuli mensura in aqua potam, efficacius recentem, quam aridam. [3] *Idem* 23.8.

Partus quoque celeres facit laurus Alexandrina sive Idæa, radice pota trium denariorum pondere, in vini dulcis cyathis tribus, &c.

[4] Mulier quæ septies [*inepte interpres, hîc,* abortivum fœtum, *de suo addit*] cum difficultate pepererat, rogante marito, hoc modo sanata est. Jusserunt sapientes mulieris ejus virum, cum pariendi tempus adesset, vivum leporem in sinu occultatum, eò deferre ubi paritura mulier esset: inde cum sæpius circa mulierem deambulasset, repente leporem è sinu demittere: fore enim dicebant, ut simul fœtum vulva dimitteret, nisi lepus repente extra fores aufugisset. [4] *Philostr.* 3. *de vita Apollon.* 12.

Molæ essentia.

[5] De eo quod Mola vocatur, videndum est. *Nam sæpe veram graviditatem ementitur.* Accidit hoc [5] *Aristot.* 4. *de gen. animal.* 7.

vitium mulieribus nonnullis gravidis, quanquam raro; pariunt enim, quod molam vocant. Jam accidit enim mulieri cuidam, ut cum concubuisset, & se concepisse putasset; primum ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent. Sed cum tempus pariendi jam esset, nec pareret, neque moles minueretur, sed annos tres aut quatuor ita perseveraret, quoad dysenteriæ implicata, demum peperit carnem, quam molam vocant. Quin & tota vita edurat hoc vitium, ut & consenescat, & commoriatur. Quæ autem prodierit, adeò obdurescit, ut vix ferro transfigi possit.

[1] *Plin. 7. 15.* *Quia* [1] solum animal menstruale mulier est: inde unius utero, quas appellarunt molas. Ea est caro informis, inanima, ferri ictum & aciem respuens. Movetur, sistitque menses.

Etymon. Nomina. [2] *Scaliger comm. in Arist. 10. hist. anim. 43.* [3] *Festus.*

[2] Molæ autem nomen ab informi carnis specie. Itaq; Latini etiam molem ab eâdem origine: quam Græci μύλην. [3] Afranius poëta, quoniam Græci quoq; μολυκρὸν appellant, molucri meminit, in fabula, quam Virginem inscripsit: Fermè virgini, *inquit*, tanquam gravidæ mulieri, crescit uterus; molucrum vocant. transit sine doloribus.

*Hinc Iulius Scaliger in virginibus absque coitu molas generari existimat, & Fernelius*, [4] sicut ova subventanea gallinas, sic mulieres quandoque nullo viri concubitu molas concipere.

[4] *7. Pathol. 1. & 6.*

[5] Equidem, *inquit Plutarchus*, nunquam auditum est mulierem absque viri consuetudine prolem edidisse: at verò informes fœtus ac carnis moles, quæ ex corruptis humoribus in uteris coëunt, molas vocant.

[5] *in præcept. conjug.*

*Præter hos, ejusdem sententiæ sunt, nempe*, [6] Molas gigni, ubi mulier non ex mare, verum ex semetipsa tantum conceperit: ideò nec animari, quia non sit ex duobus: altricemque habere per se vitam illam,

[6] *Plinius 10. 64.*

illam, quæ satis arboribusque contingat, *medici, Aëtius, Avicenna, Gordonius, Valescus, Albertus Magnus, Nic. Rochæus, Paschalius, Sylvius, Marc. Donatus, Lemnius, alii. Verum hanc opinionem, tanquam sui oblitus, damnat alio loco Fernelius, ubi dicit,* [1] Molæ caussam efficientem non esse solum sanguinem menstruum, neq; hanc (ut ova, quæ appellantur subventanea) efficere posse solum muliebre semen, quum nusquam visa sit mulier molam sine mare concepisse. *Damnat idem Galenus* [2] *(cui itaque imponit Varandæus,* [3] *istam opinionem ipsi adscribens) sequutus veritatem, & authoritatem* [4] *Medicinæ &* [5] *Philosophiæ principum.*

*Quare molæ caussa statuatur viri semen, idque aut corruptum aut quovis modo invalidum, quod alimentum quidem trahere, nihil verò conformare potest. Quam caussam, ut veriorem agnoscunt & confirmant* [6] *multi & doctissimi medici.*

[7] Molas uteri rumpere putant ovorum perdicis putaminum cinerem.

## CAP. XV.

### *Arthritidis species, caussæ, & curationes.*

QVæ *Græcis* Ἀρθρῖτις *dicitur, & Herodiano* ἀρθρίτιδος νόσος, Articulorum dolor *appellatur Ciceroni*, Articulorum morbus *Scribonio*, Articularis *seu* Articularius morbus *Plinio. Et qui eo laborant* Ἀρθριτικοὶ *Græcis, & eodem vocabulo à Cicerone* Arthritici *vocantur, & à Plauto* Articularii. *Barbaris hic affectus* Gutta *nuncupatur, quod sit defluxio guttatim facta, voce in hac significatione parum Latina.*

*Arthritis articulorum est dolor ex intervallis fere invadens. Sed quemadmodum omnes oculorum affectus* ὀφθαλμίας *nomine non continentur, neque renum* νεφρίτιδος, *nec omnis lateris dolor* πλευρῖτις

[1] 6. Pathol. 15.
[2] 4. de usu part. 3.
[3] 2. de morb. mul. 3.
[4] Hipp. 1. de morb. & de steril.
[5] Arist. 4. de gen. anim. 7.
[6] Holler. 1. de morb. 61. Duretus in annot. Massar. 4. Prax. 8. Gorraus def. Med. Mercat. 3. de. morb. mul. 8. Pereda 1. de morb. 58. Akakia 2. de morb. mul. 4. Hucherus 3. de Steril. Laurēt. 8. Anat. q. 13. Saxon. 4. Panth. 30. Plater. 3. Prax. 1. 3. Castro 3. de morb. mul. 7. Varand. 2. de m. mul. 3. Riolan. 2. de morb. 2. 9. Corbeus 2. de mul. aff. 3. Ruffius 5 de muliebr. 1.
[7] Plin. 31. 14.

 *dicitur,*

*dicitur, nec omne delirium* φρενῖτις, *cum tamen hæ voces generalem ſignificationem obtinere videantur à parte læſa: ita nec omnis dolor articulorum Arthritis, ſed is ſolum, qui ſymptomatum vehementia, perenni affluxu materiæ, cruditate humoris, & ſynathrœſmo eſt acerbiſſimus: idque* κατ' ἐξοχὴν, *ſive per* ἀντονομασίαν *partis affectæ. quæ eſt* τὸ ἄρθρον, *ſive articulus.*

Arthritidis nomina. Eſſentia. Etymon. Differentiæ.

*Statuuntur autem Arthritidis differentiæ ex articulorum numero: ſed tribus duntaxat uſus nomina indidit. hæ ſunt chiragra, iſchias, & podagra. Primæ & ultimæ meminit Martialis:*

[1] 1. Epigr. 99.

[1] *Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,*
*Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.*

Symptomata.

[2] Sueton. in vita.

*Vtraque vexavit imp.* Galbam, *qui* [2] fuit manibus pedibusque diſtortiſſimis: ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret.

Auguſtus coxendice, femore, & crure ſiniſtro non perinde valebat, ut ſæpe etiam inde claudicaret; *ab arthritide ſcilicet.*

[3] Philoſtr. 1. de vitu Sophiſt.

[3] De hac ægritudine cum ſcriberet Herodes, hanc miſit epiſtolam: Cum eſſe oportet, manus non habeo. Oportet progredi, non ſunt mihi pedes. Oportet dolere, tum & pedes mihi ſunt & manus.

[4] Lucian. Tragopod.

[4] Γόνυ. κοτύλην. ἀστραγάλους. ἰσχία. μηρούς.
Χεῖρας. ὠμοπλάτας. βραχίονας. κόρωνα. καρπούς.
Ἐσθίει. νέμεται. φλέγει. κρατεῖ. πυροῖ. μαλάσσει.
*Pedem, genu, cavosque nodos oſſium,*
*Talosque, coxas, crura, ſcapulas, & manus*
*Brachiaque, carposque, artuum & cavernulas,*
*Depaſcitur, vorat, urit, inflammat, tenet.*

Iſchiadis locus aff.

Iſchias, *quæ Barbaris* Schiatica, *omnium vehementiſſima, ſedem habet non in eo articulo,*

[5] Hom. Iliad. 5.

[5] —ἔνθα τε μηρὸς
Ἰσχίῳ ἐνστρέφεται. κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσι.

—*ubi*

*— ubi femur*
*In coxa vertitur. acetabulum autem vocant;*
*ed altius ad summam natem, qua nervi à lumbis*
*& ab osse sacro emergentes feruntur in crura.*

*Arthritidis proxima & interna caussa serosus humor articulis incidens & insidens: externa, quæcunque eum generare aut movere potest.* Arthritidis caussæ.

[1] Epulæ cruditates afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque; libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes. [1] *Senec. Epist.* 24.

[2] Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης,
Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς Ποδάγρα. [2] *Incertus* 1. *Anthol.*

[3] *E Baccho marcente, atque è marcente Dione,*
*Nascitur & marcens progenies podagra.* [3] *Roverius vertit.*

[4] Pythermus memoriæ tradidit, ævo suo moros annis viginti fructum non edidisse, & popularem morbum podagram ita fuisse grassatam, ut non solum viros, sed etiam pueros, eunuchos, virgines, mulieres is morbus corripuerit, quin & eam ægritudinem tam vehementer sæviisse in greges, ut ovium partes duas ille morbus afflixerit. [4] *Athenæus* 2. *Deipn.* 12.

Mororum facult.

[5] An id evenerit, quia mororum fructus podagram arcere queant, in controversiam venire potest. Ego sanè apud Hipp. ac Gal. legi, mora, quæ satis maturuerint, ventrem subducere, stomachumque squalidum ac æstuosum consolari, præsertim si frigida, nec cum cæteris cibis, sed paulò ante sumantur, moxque per pavimentum deambuletur. Ea verò privata ulla facultate podagricis auxiliari, quo minus infestentur illi, apud neminem adhuc observavi. Fieri tamen potuisse crederem, ut mora frequenter Pythermi ætate ab omnibus ferè esitata, stomachis recreatis alvisque liquatis eorum humorum proventum interciperent, qui in articulos decumbentes podagram gignere consueverunt: eo magis, quod Gal. scribit, alvos astrictas habentes [5] *Mercurial.* 1. *Var. Lect.* 24.

podagris esse obnoxios. Sed consideranti mihi capras, quæ mororum fructus non attingunt, ab ea lue non fuisse immunes; potius aëris inclementiam, quæ moris inimica extitit, etiam pedum morbos produxisse existimo; quando variis aëris constitutionibus varias ægritudines pervagasse non rarò à majoribus nostris observatum fuit. Cum enim morus, ut docet Theophrastus, idcirco sit prudentissima vocata, quod novissima omnium germinet: ea si quando pruina lædatur, quemadmodum lædi proditum est Psal. LXX. & apud Plin. lib. XVI. cap. XXVI. jam cœli intemperiem maximã esse constat, quam etiam ad pedes deducere defluxiones, non est à ratione alienum.

[1] 6. Aph. 28. & 29. [2] Gal. in com.

[1] Eunuchos, & mulieres podagra, non laborare *scripsit Hippocrates.* [2] cujus tempore verum id erat, nunc verò propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam non ita habetur verum.

[3] Senec. Ep. 95.

[3] Mulieres cum virorum licentiam æquarint, corporum quoq; virilium vitia æquarunt. neque enim minus pervigilant, non minus potant, & oleo ac mero viros provocant: atque invitis ingesta visceribus per os reddunt; vinumque omni vomitu rejiciunt: atque nivem rodunt, solatium stomachi æstuantis. Libidine vero neque maribus quidem cedunt: pati natæ. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum ac naturæ peritissimum in mendacio prehendi; cum tot fœminæ podagricæ sint? Beneficium sexus suis vitiis perdiderunt: & quia fœminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus.

Arthritis morbus divitum.

*Quoniam igitur hic affectus ex otio, luxu, atque libidine generatur, raro pauperum tabernas frequentare solet.*

[4] 1. Anthol.

[4] Μισόπλουτε θεά, μούνη πλούτου δαμάτειρα,
Ἡ τὸ καλῶς ζῆσαι πάντοτ' ἐπισταμένη.
Εἰ δὲ καὶ ἀλλοτρίοις ἐπιϊζομένη ποσὶ χαίρεις,

Ὁπλο-

Ὁπλοφορεῖν οἶδας, καὶ μύρα σοι μέλεται·
Τέρπει καὶ στέφανός σε, καὶ αὐσονίου πόμα βάκχου·
Ταῦτα παρὰ πτωχοῖς γίγνεται οὐδέποτε.
Τοὔνεκα καὶ φεύγεις πενίης τὸν χάλκεον οὐδόν·
Τέρπῃ δ' εἰς πλούτου πρὸς πόδας ἐρχομένη.

[1] *Diva beatorum domitrix, inopesque perosa,* [1] *Alciatus vertit.*
*Quæ laute vitam ducere ubique soles:*
*Et gaudes residens alienis invida plantis,*
*Stant unguenta tuis sertaque texta comis.*
*Et larga Ausonii te oblectant pocula Bacchi,*
*Quorum pauperibus copia nulla domi est.*
*Ergo inopum merito scrupos, loca & aspera vitas:*
*Divitis in pedibus sed bene culta sedes.*

Curatio.

[2] Legimus quosdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos, convaluisse. Caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam. [2] *Hieronym. adv. Iovin.*

[3] Ex senatu Romano Plotinum philosophũ Platonicum sedulò audiebat Rogatianus. Qui usque adeò ab hac vita animum segregavit, ut & bonorum suorum curam neglexerit, & servos omnes expulerit, respueritque dignitates. Jam verò Prætor proditurus lictoribus jam astantibus, neque lares proprios habitabat, sed quosdam amicorum familiariumque conveniens, apud eosdem cœnabat & dormiebat, cibumque indies unicum assumebat. Qua quidem negligentia vitæ, extremaque incuria factum est, ut quum acriter podagris antea vexaretur, neque progredi posset, nisi vectus sella, robur tandem inde resumserit; idem cum manus ante extendere non valeret, tamen adeò convaluerit, ut his expeditius uteretur, quam qui artificia manibus quotidie tractant. [3] *Porphyr. in vita Plotini.*

[4] Podagra, & chiragra, & omnis vertebrarum dolor, [4] *Seneca Ep. 78.*

lor, nervorumque interquiescit, cum illa, quæ torquebat, hebetavit: omnium istorum prima verminatio vexat, impetus mora extinguitur, & finis dolendi est, obtorpuisse.

[1] Πολλαὶ μορφαὶ τῶν ἀτυχούντων.
Μελέται δὲ πόνων, καὶ τὸ σύνηθες
Τοὺς ποδαγρῶντας παραμυθέσθω.
*Multæ sunt formæ miserorum:*
*Sed podagricos morbi soletur*
*Exercitium, & consuetudo.*

[1] *Lucian. Tragopodagr.*

*Licet enim quamplurima afferantur hujus morbi remedia; tamen plerumque*

[2] *Solvere nodosam nescit medicina podagram.*

[2] *Ovid. 1. de Ponto 4.*

*Hinc ipsa cũ suis sibi remediis inducitur à Luciano:*

Τίς τὴν ἀνίκητόν με δεσπότιν πόνων,
Οὐκ οἶδε ποδάγραν τῶν ἐπὶ χθονὸς βροτῶν;
Ἣν οὔτε λιβάνων ἀτμὶς ἐξιλάσκεται,
Οὔτε χυθὲν αἷμα βωμίοις παρ᾽ ἐμπύροις,
Οὐ ναὸς ὄλβου περικρεμὴς ἀγάλμασιν.
Ἣν οὔτε Παιὰν φαρμάκοις νικᾶν σθένει,
Πάντων ἰατρὸς τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν.
Οὐ παῖς ὁ Φοίβου πολυμαθὴς Ἀσκληπιός.
Ἐξ οὗ γὰρ ἐφύη πρῶτον ἀνθρώποις γένος,
Τολμῶσι πάντες τοὐμὸν ἐκβαλεῖν σθένος,
Κυκῶντες ἀεὶ φαρμάκων τεχνήματα.
Ἄλλος γὰρ ἄλλην ἐπ᾽ ἐμὲ πειράζει τέχνην.
Τρίβουσιν ἀρνόγλωσσα, καὶ σέλινά μοι.
Καὶ φύλλα θριδάκων, καὶ νομαίαν ἀνδράχνην.
Ἄλλοι, πράσιον. οἱ δὲ ποταμογείτονα.
Ἄλλοι, κνίδας τρίβουσιν. ἄλλοι, σύμφυτον.
Ἄλλοι, φακοὺς φέρουσι τοὺς ἐκ τελμάτων,
Σταφυλῖνον ἑφθόν. οἱ δὲ, φύλλα περσικῶν.
Ὑοσκύαμον. μήκωνα. βολβούς. σίδια.
Ψύλλιον. λίβανον. ῥίζαν ἐλλεβόρου. νίτρον.
Τῆλιν μετ᾽ οἴνου. γυρίνην. κολλάμφακον.
Κυπαρισσίνην κικῖδα. γύριν κριθίνην.

Κράμβης

Κράμβης ἀπέφθου φύλλα. γύψον ἐκ γάρου.
Σπυράθους ὀρείας αἰγός. ἀνθρώπου κόπρον.
Ἄλευρα κυάμων. ἄνθος ἀσίου λίθου.
Ἕψουσι φρύνους. μυγάλας. σαύρας. γαλᾶς.
Βατράχους. ὑαίνας. τραγελάφους. ἀλώπεκας.
Ποῖον μέταλλον οὐ πεπείραται βροτοῖς;
Τίς οὐχὶ χυμός; ποῖον οὐ δένδρου δάκρυ;
Ζώων ἁπάντων ὀστᾶ. νεῦρα. δέρματα.
Στέαρ. αἷμα. μυελός. οὖρον. ἀπόπατος. γάλα.
Πίνουσιν οἱ μὲν, τὸ διὰ τεσσάρων ἄκος.
Οἱ δὲ, τὸ δι' ὀκτώ. τὸ δὲ δι' ἑπτὰ, πλείονες.
Ἄλλος δὲ πίνων τὴν ἱερὰν, καθαίρεται.
Ἄλλος ἐπ' ἀοιδαῖς ἐπιθελῶν, ἐμπαίζεται.
Ἰουδαῖος ἕτερον μῶρον ἐξάδει λαβών.
Ὁ δὲ, θεραπείαν ἔλαβε παρὰ τῆς κρήνης.
Ἐγὼ δὲ, τούτοις πᾶσιν οἰμώζειν λέγω.
Καὶ τοῖς ποιοῦσι ταῦτα, καὶ πειρῶσί με,
Εἴωθ' ἀπαντᾶν μᾶλλον ὀργιλωτέρα.
Τοῖς δὲ φρονοῦσι μηδὲν ἀντίξουν ἐμοὶ
Ἤπιον ἔχω νοῦν, εὐμενής τε γίγνομαι.
Ὁ γὰρ μεταλαβὼν τῶν ἐμῶν μυστηρίων,
Πρῶτον μὲν εὐθὺς εὐστομεῖν διδάσκεται,
Τέρπων ἅπαντας, εὐτραπέλους λέγων λόγους.
Πᾶσιν δ' ὁρᾶται μετὰ γέλωτος, καὶ κρότου,
Ὅτε ἐπὶ λουτρὰ φερόμενος βαστάζεται.
Ἄτην γὰρ, ἣν εἶπεν Ὅμηρος, ἥδ' εἰμ' ἐγὼ,
Βαίνουσ' ἐπ' ἀνδρῶν κρᾶτα, καὶ βάσεις ποδῶν
Ἁπαλὰς ἔχουσα. παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς βροτῶν
Ποδάγρα καλοῦμαι, γιγνομένη ποδῶν ἄγρα.
*Quis est hominum, cui non ego insuperabilis*
*Regina morborum Podagra nota sim?*
*Quam nulla placant thura fumigantia,*
*Affusus aris nec cruor ardentibus,*
*Suspensa templis divitum aut donaria.*
*Nec ipse Pæon omnium cœlestium*
*Medicus deorum vincere pharmacis potest,*

*Phœbive*

*Phœbive doctus filius Æsculapius.*
*Mortalium siquidem ex quo fuit genus,*
*Omnes meas vires retundere gestiunt,*
*Omnemque turbant pharmacorum industriam.*
*Plantaginem terunt, apiique semina,*
*Foliaque lactucarum, & agreste peplion,*
*Et marrubium amnicolamque potamogeitona:*
*Alii cnidas terunt, alii symphyton,*
*Lentes palustres, pastinacamque illinunt*
*Coctam, foliaque Persica, atque hyoscyamum,*
*Bulbos, papaver, malicorium, psyllium,*
*Thus, atque radicem ellebori, nitrum, merum*
*Cum fœnogræco, gyrinen, collamphacon,*
*Gallam cupressi, pollinem hordeaceum,*
*Crudæque crambes folia, gypsumque ex garo,*
*Capræque fimum monticolæ, stercus viri,*
*Fabasque molitas, asii florem lapidis.*
*Alii rubetas, quosque araneos vocant.*
*Mures, lacertas, atque mustelas coquunt;*
*Ranas, hyænas, tragelaphos, vulpeculas.*
*Cujus metalli haud facta sunt pericula?*
*Quis non probatus succus, & lacryma arboris?*
*Animalium omnium ossa, nervi, tergora,*
*Adeps, cruor, medulla, lotium, merda, lac.*
*Alii remedium quatuor ex rebus bibunt,*
*Alii quidem ex octo, exque septem plurimi:*
*Alius bibens sacram, repurgari studet,*
*Aut carminibus animum adhibens illuditur.*
*Iudæus excantat, fatuum adhibens alium.*
*Rursus alius à fonte remedium petit.*
*Omnes sed illos jubeo plorare: atque sic*
*Tentantibus me, occurrere iracundior*
*Soleo; sed in me excogitantibus nihil,*
*Mitem & benignam præsto me: nam qui meis*
*Communicat mysteriis, primum statim*
*Loqui docetur suaviter, dehinc jocis*

*Oble-*

*Oblectat omnes: cumque risu cernitur,*
*Plausuque cunctis, fertur is ut in balneum.*
*Quam dixit Aten ille Homerus, illa sum:*
*Caput virorum calco, plantas occupo*
*Pedum tenellas: cumque sim* ποδῶν ἄγρα,
*Vulgo Podagra dicor.*

*Quidam maluerunt pedum usum amittere, quam Podogræ doloribus cruciari.*

[1] Non est prætereundum in eo exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa supremis suis annis conflictatus gravi morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius Medicorum portentosa scientia, ignorante Divo Augusto, tanti putavit usu pedum sensuque carere, dummodo & dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus, in acerrimo impetu morbi. [2] traditque M. Varro, Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni æquè quam dolore in ea parte corporis.

[1] *Plin.* 23. 1.
[2] *Idem* 25. 3. *Sueton. de ill. Grammat.*

[3] Metus repentinus animum in alienam curam avertendo dolore podagricos aliquando liberavit, *ut de* Meleniano *supra diximus.*

[3] *Senec.* 6. *de Benef.* 8.

[4] Morbis auxiliari Musicam Theophrastus scripsit, & ἰσχιακοὺς eo cruciatu liberari, si quis, dum urget dolor, tybiis Phrygiam modorũ harmoniam canat.

[4] *Athenæus* 14. *Deipn.* 5.

[5] Asininum lac bibendo qui liberati sint podagra chiragrave, inter exempla sunt. Serum etiam asinini lactis efficacissimè heminis per intervalla singulis diebus quinis, articularibus morbis bibitur.

[5] *Plin.* 28. 9.

[6] Sextus Pompeius, prætorii viri pater, Hispaniæ citerioris princeps, cum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua: levatusque siccatis pedibus, mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est. Vis tanta est, ut cados plenos siccet.

[6] *Idem* 22. 25.

*Plura*

*Plura remedia apud Celsum & Plinium legere est.*

[1] Agenti Athenis Syllæ dolor cum gravedine torpidus decubuit in pedes, quem Strabo ait esse podagræ balbutiem. Quare aquis calidis usus est. *Vbi quidam* ποδάγρας ψελλισμὸν, *non podagræ balbutiem, sed quasi catenam & compedes exponunt, ut sit à* ψέλλιον, *quod nonnunquam pro annulo & catena ponitur.*

[1] *Plutarch. in vita.*

---

## LIB. V.

## DE PARTIVM MORBIS EXTERNIS.

### *Chirurgiæ antiquitas, nomen, opera.*

### PRÆFATIO.

IN [2] tres olim partes Medicina deducta est, ut una esset, quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci nominaverunt. *De prioribus actum, restat posterior, quam priscos inprimis exercuisse constat. Nam* Podalirium & Machaonem Homerus non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse proposuit. Ex quo apparet, has partes Medicinæ solas ab his esse tentatas, easque esse vetustissimas.

[2] *Cels. præf.*

*Chirurgiæ vox Græcis in genere omnem manuariam operam significat: sed κατ' ἐξοχὴν de ea Medicinæ parte dicitur, quæ artificiosa manuum opera externis corporum affectibus medetur. Quanquam verò Chirurgi medicamenta applicent: id tamen non ut Chirurgi, sed ut Medici, medicamentis instructi præstant. Et Medici nomen sæpissime pro Chirurgis usurpatur apud* [3] *Iurisconsultos.*

[3] *Paulus 3. Sentent. & 5. tit. 23. Vlpianus in l. 4. D. ad l. Cornel. de sicariis. & in l. qua actione 7. §. ult. D. ad leg. Aquil.*

CAP.

## CAP. I.

### *Tumores, Tubercula, Pustulæ. eorum nomina, essentiæ, caussæ, signa, curationes.*

M*Orbi, qui in externis partibus ex humoris vitio succrescunt*, vel in cute prominent, vel *eam excavant, vel commaculant. Prominent tumor, tuberculum, pustula.*

Bronchoceles essentia.

[1] Guttur homini tantum & suibus intumescit, aquarum quæ potantur, plerumque vitio. [2] Præsertim apud Aquicolas Italiæ, & Medullos Alpinos.

[1] *Plinius* 11. 37.
[2] *Vitruvius.*

[3] *Quis tumidum guttur miratur in alpibus?*

[3] *Iuvenal. Sat.* 13.

Caussa.

*Hunc affectum, qui Græcis* βρογχοκήλη, *Latinis* Hernia gutturis, *ex potu aquæ ex liquefactis nivibus, quæ Alpinis aliisque montanis in usu est, provenire negant* [4] *Fernelius &* [5] *Platerus. Et hic* quod popularis sit quibusdam regionibus, id potius dispositioni cuidam naturali istorum hominum *attribuendum putat.*

[4] 7. *Path.* 3.
[5] 3. *Prax.*

*Caussa verò materialis, crassa lentaque pituita, eò ex capite devoluta.*

Tumores med. methodus.

[6] Succus Helxines cum psimmythio sanat tumores, collectionesque, & guttura incipientia turgescere.

[6] *Plin.* 22. 17.

[7] Peritissimi Medici confertim ingruentibus vitiosorum humorum fluxionibus, non statim medicamentia purgantia applicant, sed tumorem inde ortum patiuntur foris illitis remediis ipsum ultro concoctione quadam emolliri.

[7] *Plutarch. Consol. ad Apollon.*

Strumæ nomina.

*Tumores qui Græcis* χοιράδες, *Latinis Strumæ. fortè à* στερεὸν *durum, vel quasi ruma. Certe nostrum* krop, *est ruma, rumea & struma. Arabibus sunt* scrophulæ, *vel propter similitudinem, quam habent cum scrophis; id est, porcis; vel quia scrophulæ, maximè patiuntur hoc malum ob gulositatem, qua de*

*caussâ & pueri iis infestantur: vel ita dicuntur, quia multiplicant sobolem, ut scrophæ.*

Curatio. [1] *Plin.* 20.14. [2] *Ibid.* 6. [3] *Ibid.* 9. [4] *Ibid.* 13. [5] *Ibid.* 15. [6] *Ibid.* 17.

[1] Strumis illinitur succus mentastri, [2] allium in oleo & pulte, [3] brassica sylvestris in aqua contrita, [4] nasturtium cum lomento, opertumque brassica. [5] Sic & strumas discutit capparis radix cocta in aqua, [6] heraclium cum oleo, & aceto & farina hordeacea.

[7] *Idem* 25.13.

[7] Nostri herbarii strumeam vocant, ranunculi genus, quoniam medetur strumis & panis, parte in fumo suspensa.

Carbunculi nomina.

Carbunculus, *vel* carbo, *Græcis* ἄνθραξ, *Avicennæ* pruna, *&* ignis Persicus *dicitur: vel quod urat, ut pruna, vel quod colorem ejus referat.*

[8] *Plin.* 25.1.

[8] L. Paulo, Q. Marcio Cēnsoribus, primum in Italiam carbunculum venisse, Annalibus conscriptum est, peculiare Narbonensis provinciæ malum: quo duo Consulares obiere eodem anno, Julius Rufus, & Q. Lecanius Bassus, ille medicorum inscitia sectus, hic verò pollice lævæ manus evulso acu ab semetipso, tam parvo vulnere, ut vix cerni posset. Nascitur in occultissimis corporis partibus, & plerumque sub lingua, duritia rubens varicis modo, sed nigricans capite, alias livida, corpus intendens atque intumescens, sine dolore, sine pruritu, sine alio quam somni indicio, quo gravatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaque pustulas parvas, rarius febrem, stomachum faucesque cum invasit, ocissimè exanimans.

Canceris nomen.

*Sed pleraque Cancro potius conveniunt, quam Carbunculo.*

[9] 2. *ad Glauc.* 10.

Cancer, καρκίνωμα, *&* καρκῖνος *dicitur Galeno,* [9] *ob similitudinem, quam habet hic tumor cum cancro aquatili. Sicut enim hoc animal habet corpus rotundum, & pedes hinc inde expansos, colore livente ac cinereo, & quæ chelis arripit, firmiter stringit: ita*

*Cancer est tumor rotundus figurâ, colore lividus, partemque cui insidet, ita stringit, ut ceu clavo quodam firmata esse videatur; tandem in circuitu habet venas turgidas, hinc inde protensas, quæ non male referunt cancri pedes.* Essentia.

[1] *—malum solet immedicabile cancer* [1] *Ovid.2.Met.*
*Serpere, & illæsas vitiatis addere partes.*

*Et tum exesa cute fit cancer exulceratus, qui asperis remediis irritatur.*

[2] *Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,* [2] *Idem 2.de Ponto 2.*
*Non contrectari, tutius esse puto.*

*Varix immodica est venæ dilatatio, tumorem referens. Glossæ:* κελόσσος, varex, varica. κελοσσώδης varicosus. *Caussa est multus crassusque sanguis, ob cujus gravitatem varix in cruribus, quam in cæteris partibus frequentior. Hinc diu stando, dum exta consulit, facile* Varicis nomina. Caussa.

[3] *—varicosus fiet haruspex.* [3] *Iuvenal. Sat. 6.*

*Præsenti certè animo fuit* [4] ille, qui dum varices exsecandos præberet, legere librum perseveravit. Curatio. [4] *Seneca Epist. 79.*

[5] C. Marius varices in utroque crure cum haberet, secandas eas medico præbuit: alteriusque sectionem absque ullo gemitu, & ne contractis quidem superciliis sustinuit. ad alterum transeuntem inhibuit, non esse inquiens remedium isto dignum dolore. [5] *Plutarch. Apophth.*

[6] Varicum dolores sedat tribuli semen adalligatum, [7] succus cotoneorum, [8] sideritis adalligata, [9] fimi vitulini cinis, cum lilii bulbis decoctus, addito melle modico. [6] *Plin. 22.10.* [7] *Idem 23.6.* [8] *Idem 26.10.* [9] *Idem 28.16.*

[10] Erysipelas dicitur παρὰ τὸ ἐρύειν ἐπὶ τὸ πέλας, καὶ ἐπιρρέειν τοῖς πλησίον ἐπινεμόμενον. *Latinis* Ignis sacer *dicitur.* Erysipelatis etymon. [10] *Etymologus.* Nomina.

[11] *Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere* [11] *Lucr.6.*
*Corpus; ut est per membra sacer cum diditur ignis.* Zoster.

[12] Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ me- [12] *Plin.26.11.*

dium hominem ambiens, qui zoster, (zona *Scribonio Largo, nobis* Om-loop) appellatur, & enecat, si cinxerit.

*Plurima ignis sacri remedia, quæ à Plinio & aliis recensentur, brevitatis caussa hic omittimus.*

Pustulæ.
[1] Celſ. 5. 28.

[1] Pustulæ maxime vernis temporibus oriuntur. Earum plura genera sunt. nam modo circa totum corpus partemve aspredo quædam fit, similis his pustulis, quæ ex urtica, vel ex sudore nascuntur. ἐξανθήματα Græci vocant. eaque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt. Nonnunquam plures similes varis oriuntur, nonnunquam majores pustulæ lividæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato, subestque his humor. Ubi hæ ruptæ sunt, infra quasi exulcerata caro apparet, ἑλκώδεις Græcè nominatur.

Scabiei essentia.
[2] Celſ. cit.

[2] Scabies est durities cutis rubicunda, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam sicciores. Exit in quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, serpitque in quibusdam citò. Atque in aliis quidem ex toto desinit, in aliis verò certo tempore anni revertitur.

Caussa.
[3] Persius Sat. 2.
[4] Curtius 8. Hist.

*Oritur ex salso & acri humore,*

[3] *— namque est scabiosus, & acri*
*Bile tumet.—*

[4] Adversum flumen subiit classis, & altero die appulsa est haud procul lacu salso, cujus ignota natura plerosque decepit ingressos aquam. quippe scabies corpora invasit, & contagium morbi etiam in alios vulgatum est. Oleum remedio fuit.

Contagium.
[5] Iuvenal. Sat. 2.
[6] Horatius de arte.
[7] Iuvenal. Sat. 8.
[8] Columel. 11. 2.
[9] Virgil. 3. Georg.

[5] *Solet contagio inficere.* Sic
[6] *Totus grex unius porci scabie cadit.*
*Nam & bestias* [7] mala scabies urget: *ita*
*Vetusta scabie lævis canis.*
[8] Boves *quoque* scabiosi fiunt, *&*
[9] *Turpis ovis tentat scabies, ubi frigidus imber*

*Altius*

*Altius ad vivum persedit, & horrida cano*
*Bruma gelu: vel cum tonsis illotus adhæsit*
*Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres.*
*Dulcibus iccirco fluviis pecus omne magistri* Curatio.
*Perfundunt, udisque aries in gurgite villis*
*Mersatur, missusque secundo defluit amni:*
*Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,*
*Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura,*
*Idæasque pices, & pingues unguine ceras,*
*Scillamq; elleborosq; graves, nigrumq; bitumen.*
*Non tamen ulla magis præsens fortuna laborũ est,*
*Quam si quis ferro potuit rescindere summum*
*Vlceris os.*

[1] Scabiem hominis, asininæ medullæ maximè abolent: urinæ ejusdem cum suo luto illitæ. Butyrum etiam, quod in jumentis proficit, cum resina calida, glutinum taurinum in aceto liquefactum, addita calce: fel caprinum, cum aluminis cinere: boas fimum bubulum: unde & nomen traxere. Canum scabies sanantur bubulo sanguine recenti: iterumque cum inarescat, illito, & postero die abluto cinere lixivo. [1] *Plin.* 28.18.

*A scabie distat impetigo; quod sicca sit & omnis humoris sanieique expers. Ex siccis enim pustulis fit, scabies verò ex humidis.* Impetiginis essentia.

*Impetigo cum impetu celeriter, & latè procedit, & petit, seu impetit cutis unam partem post aliam,*

[2] *— vitium est, quod ducit ab impete nomen.* [2] *Serenus.*

*Glossæ:* Impetigo, λειχήν. Nomina.

[3] Sensit & facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ, morbos. Gravissimum ex his Lichenas appellavere Græco nomine, Latinè, quoniam à mento fere oriebatur, joculari primum lascivia (ut est procax natura multorum in alienis miseriis) mox & usurpato vocabulo mentagram, [3] *Plin.* 26.1. Lichen.

occupantem in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, descendentem verò & in colla pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primum Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino Equite Romano Quæstorio scriba, cum Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media, sed proceres veloci transitu, osculi maxime, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice, quam morbo. Causticis namque curabantur, ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. Adveneruntque ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc solam operam afferentes, magna sua præda. Siquidem certum est, Manilium Cornutum H-SCC. elocasse in eo morbo curandum sese.

Curatio.

*De hoc affectu scripsisse videtur Martialis:*

[1] 1. Epigr. 39.

[1] *Indignas premeret pestis cum tabida fauces,*
*Inque ipsos vultus serperet atra lues.*

[2] Plin. 20. 1.

[2] Cucumeris sylvestris radix arida cum resina impetiginem & scabiem, psoram, & lichenas sanat. *Alia apud Plinium videre est.*

Species.

[3] Cels. 5. 28.

Lepræ essentia.

[3] Impetiginis verò species sunt quatuor. *E quibus deterrima, quæ Græcis Lepra nominatur. Ea cutem vehementer rodit, altè depascit, atque findit: ex qua non solum furfures, sed & squamulæ decidunt.*

[4] Herodot. 1. Hist. 138.

[4] Apud Persas si quis è civibus lepra aut vitiligine infectus sit, huic in civitatem venire non conceditur, neque cum aliis Persis consuetudinem habere. Dicunt enim hos morbos illis immissos, quod in solem peccaverunt. Externum verò, qui iisdem correptus fuerit, è regione sua exigunt: atque ob eandem caussam albas columbas in regionem illam afferunt.

[1] *Si* quis crebrò per roſcidas arbores tranſeat, membra materiam tangentia lepra corripiuntur. Aut, ut Laitus dicebat, quia roris humor ob tenuitatem de cute aliquid ſtringit. Aut ſicut rubigo humectatis ſeminibus incidit, ita à rore viridibus ac tenuibus, quæ in ſuperficie ſunt morſis & colliquatis, aſpergo quædam noxia defertur, & affuſa corporis partibus, quæ maximè ſunt exſangues, earum ſuperficiem mordet atque lancinat. Nam rori naturæ ineſſe quandam rodendi vim, ſatis ex eo liquet, quod potus graciliores facit: & pingues mulieres tenuibus veſtimentis aut lanis rorem excipientes, videntur eo nimias carnes conſumere.

Cauſſa.
[1] *Plutarch. quæſt. nat.*

*Naſcitur alias ex bile atra, cui etiam craſſæ lentæque pituitæ ſalſæ quiddam ſit admiſtum.*

*Ab hac plane diverſa eſt Lepra Arabum, ſive Elephantiaſis,* [2] quam *tamen* ſcabiei vehementiam eſſe cenſebat Diogenianus. *Sed de hac ſupra.*

[2] *Plutarch. 8. Probl. 9.*

[3] Allium lepras, lichenas, lentigines exulcerat, ſanatque cum origano, vel cinis ejus ex oleo & garo illitus.

[3] *Plin. 20. 7.*

[4] Lepras *præterea* ſanat braſſicæ ſuccus cum alumine rotundo ex aceto: *aliaque, quæ à Plinio referuntur.*

[4] *Ibid. 9.*

## CAP. II.

### *Maculæ earumque cauſſa, & curationes.*

*CUtis etiam vitia quædam nihil prominent, ſed æqualia manent nulla aſperitate: hujuſmodi ſunt maculæ, quæcunque alieno colore hanc fœdant: ut vitiliginis ſpecies, lenticulæ, ſugillata, ſtigmata, vibices.*

Vitiliginis etymon.

[5] Vitiligo in corpore hominis macula alba, quam Græci ἀλφὸν vocant, à quo nos album; ſive à vitio dicta, etiamſi non lædit; ſive à vitulo, propter ejus

[5] *Feſtus.*

membranæ candorem, qua naſcitur involutus. Lucilius;

*Hæc odioſa mihi vitiligo eſt, non dolet, inquit.*

Cauſſa. [1] *Celſ. 5. 28.*

[1] Quamvis *autem non dolet, &* per ſe nullum periculum adfert Vitiligo, tamen fœda eſt, & ex malo corporis habitu fit.

[2] *Plato Timæo.*

[2] Alba pituita propter ampullarum ſpiritum intus incluſa difficilis ad exteriorem cutem delapſa, corpus variis ſordibus aſpergit, albisque inficit maculis, leucis, alphisque, atque morbos alios ejuſmodi generat.

Species. [3] *Celſ. cit.*

[3] Vitiliginis tres ſpecies ſunt. Ἀλφὸς vocatur, ubi color albus eſt, ferè ſubaſper, & non continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius, & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger eſt, & umbræ ſimilis. Cætera eadem ſunt. Λεύκη habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt: altius deſcendit, in eaque pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius.

Prognoſticum. [4] *Celſ. cit.* Curatio.

[4] Utrum autem aliquid horum ſanabile ſit, an non ſit, experimento facili colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi. Si ſanguis exit, quod fere fit in duobus prioribus, remedio locus eſt: ſi humor albidus, ſanari non poteſt: itaque ab hoc quidem abſtinendum eſt. Super id verò, quod curationem recipit, imponenda lenticula miſta cum ſulphure & thure, ſic ut ea contrita ex aceto ſit.

[5] *Plin. 20. 13.*

[5] Radix rutæ toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat.

[6] *Ibid. 15.*

[6] Vitiligines albas tollit radix capparis ſi trita in ſole fricentur. *Reliqua apud Celſum, & Plinium videre eſt.*

Lentigo. Varus.

Lentigo & varus *in facie potiſſimum & in manibus, nonnunquam in pectore emergit lentis magnitu-*

*gnitudine, unde* φακὸς *&* lenticula *quoque dicitur.*

[1] Pœne ineptiæ sunt curare varos & lenticulas: sed eripi tamen fœminis cura cultus sui non potest. [1] *Cels. 6. 5.* Curatio.

Vari commodissimè tolluntur imposita resina, cui non minus, quam ipsa est, aluminis scissilis, & paulum mellis adjectum est.

Lenticulam tollunt galbanum & nitrum, cum pares portiones habent, contritaque ex aceto sunt, donec ad mellis crassitudinem venerint.

## CAP. III.

### *Vulnerum essentia, & curatio.*

*CVm unitas alicujus partis solvitur, Hippocrati* ἕλκος*, Latinis aut ulcus est, aut vulnus. Quæcunque interiorem, & ex corporis vitio originem habet, aut quæ pus, putredinemque contraxit, Vlcus appellatur.* Vlcus. *Quæ verò extrinsecus orta, Vulnus.* Vulnus.

*Magna, quod ad partes, in curandis vulneribus differentia.* Curatio.

[2] Vesica membrana constat, quæ vulnerata, cicatrice non solidescit: neque qua cerebrum, aut cor involvitur. *ipsumque* [2] *Plin. 11. 37. Hippocr. 6. Aph. 18.* Vesicæ, Meningum, Pericardii, Cordis vulnera.

[3] *— parvo cor vulnère læsum*
*Corpore cum toto post tela educta refrixit.*

*Quare frustra in vulnerato corde de remediis laboramus.* [3] *Ovidius 12. Met.*

[4] *Afferat ipse licet sacras* Epidaurius *herbas,*
*Sanabit nullâ vulnera cordis ope.* [4] *Idem 1. de Ponto 4.*

*Sic & vulnus illatum hepati, qua diaphragmati adjacet, & ubi truncus est vena insignis, quam vocat Hippocrates* ἡπαλῖτιν*, profusione sanguinis implacabili, est maximè præceps ad mortem.* Hepatis vulnera. *Quæ ratio sapientem eò movebat Vlyssem, ut ea parte Cyclopi necando telum acutum conderet,*

[5] — ὅθι φρένες ἧπαρ ἔχουσι. [5] *Homer. Odyss. 9.*

*Vbi diaphragma hepar complectitur.*

*Atque hæc citæ mortis ratio, primum Iudæis cognita, & scripta in sacris libris, cognitionem eam comparavit Homero. (Qualia innumeris locis in suo Homero annotavit harum literarum dictator Dan. Heinsius, equestris & eruditi ordinis immortale decus.) Sic enim legimus* [1] Abnerum Azaëli, & Joabum Abnero vitam continuò ademisse, ferro ad viscus vitale immisso & abdito: *quod sapientes viri de jecore scriptum existimant.*

[1] *2. Regum 2. & 3.*

Supercilii, Cartilaginis, Ossium vulnera.

[2] *Plin. cit.*

[2] Supercilium vulnere aliquo diductum non coalescit, ut in paucis corporis humani membris. Cartilago rupta non solidescit. Nec præcisa ossa recrescunt. Neque nervi solidantur incisi: mirumque, vulneratis summus dolor, persectis nullus.

[3] *Plato Timæo.*

Carnis vulnera.

*Et quemadmodum partes spermaticæ non regenerantur, ita* [3] caro facile restauratur. Quando igitur caro quælibet circumciditur, ejusque radix permanet, dimidia quædã est calamitatis potentia. Quando verò quod carnes ossibus alligat, ægrotat, & sanguis ex illis ac nervis defluens haud amplius nutrit ossa, carnemque revincit, sed ex pingui & glutinoso asper, salsus, siccus, & squalidus iniquitate victus est factus, tunc certè quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne nervisque riget. Caro etiam à radicibus decidens nudos relinquit nervos, & salso obductos humore, & in fluenta sanguinis permanans, morbos multos efficit.

Prognosticũ.

[4] *Seneca 1. ad Marciam.*

[4] Vulnerum sanitas facilis est, dum à sanguine recentia sunt: tunc & uruntur, & in altum revocantur, & digitos scrutantium recipiunt. ubi corrupta in malum ulcus verterunt, difficilius curantur.

[5] *Ovid. 1. de rem. amor.*

[5] *Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,*
*Dilatum longæ damna tulisse moræ.*
*Si tamen auxilii perierunt tempora primi,*
*Et vetus in capto pectore sedit amor,*

*Majus*

*Majus opus superest: sed non, quia serior ægro*
*Advocor, ille mihi destituendus erit.*
*Qua læsus fuerat, partem Pœantius heros*
*Debuerat celeri præsecuisse manu.*
*Post tamen hic multos sanatus creditur annos,*
*Supremam bellus imposuisse manum.*

*Tandem enim*

[1] *Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon:* [1] *Propert. 2. Eleg. 1.*

*Sed potius* Curatio.

[2] *Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi.* [2] *Ovid. cit.*

[3] *— decet tunc ire recentes* [3] *Claudian. in Eutr. 1.*
*Detersum maculas. veteri post obruta morbo*
*Corpora, Pœonias nequidquã admoveris herbas.*

[4] Leviore medicina est oriens adhuc restinguenda mali vis: vehementius contra inveterata pugnandum est. [4] *Senec. cit.*

[5] *Vlcera possessis altè suffusa medullis,* [5] *Claudian. cit.*
*Non leviore malo, ferro sanantur & igni,*
*Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix:*
*Ad vivum penetrant flãmæ, quo funditus humor*
*Defluat, & vacuis corrupto sanguine venis.*

*Ne igitur*

[6] *Vt corpus redimas, ferrum patiaris, & ignes:* [6] *Ovid. cit.*
*manus statim admovenda, &* [7] ut erit vulnus, ita vel curandum protinus: vel si curatio differri potest, deligandum. *Ita Autolyci filii,* [7] *Quintil. 3. Orat. 2.*

[8] Ὠτειλὴν Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο [8] *Homer. Odyss. 19.*
Δῆσαν ἐπισταμένως.
*Vulnus Vlyssis irreprehensibilis divini*
*Ligaverunt scienter.*

*Si autem pars teli, vel aliud quid inhæreat, protinus extrahendum; ut fecit in vulnerato Sarpedone Pelagon.*

[9] Ἐκ δ' ἄρα οἱ μηροῦ δόρυ μείλινον ὦσε θύραζε [9] *Idem Iliad. 5.*
Ἴφθιμος Πελάγων.

*Ex ipsius femore lāceam fraxineam extraxit foras*
*Fortis Pelagon.*

*Et Machaon ad vulneratum Menelaum vocatus*

Idem Iliad. 4. [1] Αὐτίκα δ᾽ ἐκ ζωστῆρος ἀρηρότος εἷλκεν ὀϊστόν.
*Statim ex baltheo bene aptato traxit sagittam.*

Plin. 20.20. [2] Tradunt portulaca plagis imposita sagittas extrahi.

Idem 25.8. [3] Dictamnum ostendere cervæ vulneratæ, pastu statim decidentibus telis.

Cicero 2. de nat. Deor. [4] Auditum *quoque* est capras in Creta feras, cum essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere, quæ Dictamnus vocaretur: quam cum gustavissent, sagittas excidere dicunt è corpore.

*Hinc Ænea vulnerato*

Virgil. 12. Æn. [5] *Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,*
*Puberibus caulem foliis, & flore comantem*
*Purpureo; non illa feris incognita capris*
*Gramina, cum ferro volucres hæsere sagittæ.*

*Non semper autem extrahi possunt, sed quandoq; exscindendæ. Ita Patroclus Eurypylo sagittam è femore excidit cultro, quod per totum femur ictus penetrasset.*

Hom. Iliad. 11. [6] — θεράπων ὑπέχευε βοείας·
Ἔνθα μιν ἐκτανύσας, ἐκ μηροῦ τάμνε μαχαίρῃ
Ὀξὺ βέλος.

*— famulus substravit pelles bovinas.*
*Ibi ipso extenso, è femore excidit cultro*
*Acutum telum.*

Eustath. in Comm. [7] Curat autem hoc Eurypyli vulnus Patroclus extendens ipsum in pellibus bubulis substratis. Ajunt enim veteres, ut teli extractio commodius peragatur, saucium in eadem corporis figura positum esse oportere, in qua erat, dum vulnus acciperet. Itaque fertur de medico quodam, quod renitente extractioni sagitta saucium interrogarit, in qua corporis figura vulnus accepisset, & intellecto inter equitandum

lum id accidiſſe, collocato illi ad equitantis figu-
ram, telum eduxiſſe.

[1] Ἕλκος δ᾽ ἰητὴρ ἐπιμάσσεται. [1] *Hom.Iliad. 4.*

Vulnus quoque Medicus [2] ſpongia deterget, vel contrectando curabit, vel exuget, ἐκμυζήσει. [2] *Euſtath. in Comm.*

*Sic Machaon viſo Menelai vulnere*

[3] Αἷμ᾽ ἐκμυζήσας, ἐπ᾽ ἄρ᾽ ἤπια φάρμακα εἰδὼς [3] *Hom.ibid.*
Πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε Χείρων.
*Sanguinē exſugens*(vel *exprimēs*) *lenia pharmaca*
*Inſperſit, quæ patri ejus aliquando benevolus donaverat Chiron.*

[4] Exprimebant autem ſanguinem, ne in vulnere putreſcens in pus abiret, & ne in cicatricem coiret, impedimento eſſet. Noſtro etiam tempore multi, præſertim ex barbaris, ſi cui vulnus inflictum fuerit, ore exugunt inde ſanguinem, tanquam & hoc ad ejus curationem conferat. [4] *Euſtath. in Comm.*

*Plerumq; verò ſagittæ exciſionem ſequi ſolet ſanguinis fluxus, indeque oriri deliquium animi. Exemplum habemus in Alexandro Magno:*

[5] Rege in tabernaculum relato Medici lignum haſtæ corpori infixum, ita, ne ſpiculum moveretur, abſcindunt. Corpore deinde nudato, animadvertunt hamos ineſſe telo, nec aliter id ſine pernicie corporis extrahi poſſe, quam ut ſecando vulnus augerent. Cæterum, ne ſecantes profluvium ſanguinis occuparet, verebantur: quippe ingens telum adactum erat, & penetraſſe in viſcera videbatur. Igitur patefacto latius vulnere, & ſpiculo evulſo, ingens vis ſanguinis manare cœpit, linquique animo rex, & caligine oculis offuſa, veluti moribundus extendi. Cumque profluvium medicamentis inhiberent, tandem conſtitit ſanguis, paullatimque animum recepit. [5] *Curtius 9. Hiſt.*

*Protinus igitur ſanguis ſiſtendus. Ita idem* [6] Alexander ſagitta ictus ſupprimi ſanguinem, & vulnus obli- [6] *Idem 4. Hiſt.*

obligari juſſit, &c. Tum ſuppreſſus paullo ante ſanguis medicamento, quo retentus erat, manare latius cœpit, & vulnus, quod recens adhuc dolorem non moverat, frigente ſanguine intumuit. *Auſpicatò. Nam,* [1] Si magnis & pravis exiſtentibus vulneribus tumor non conſpiciatur, ingens malum.

[1] *Hipp.* 5. *Aph.* 66.

*Incantatione, ut ad alia, ita etiam ad profluvium ſanguinis inhibendum, olim uſi. Sic vulnus Vlyſſis*

[2] Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον.
*Involvunt pannis, mox ater carmine ſanguis*
*Comprimitur.*

[2] *Homer. Odyſſ.* 19.

*Ad extrahendas item ſagittas.*

[3] — *ungere vulnus*
*Herbarum hic ſuccis, ferrumque è corpore cantu*
*Exigere.*

[3] *Silius* 5.

*Patroclus porrò educta è vulnere ſagitta,*

[4] — ἀπ' αὐτοῦ δ' αἷμα κελαινὸν
Νίψ' ὕδατι λιαρῷ,
— *ab ipſo ſanguinem atrum*
*Abluit aqua tepida.*

[4] *Hom. Iliad.* 11.

*Optimè. Nam licet* [5] calida dolores mitigat, [6] ſanguinem tamen prolicit: [7] frigida *quamvis* ſanguinem ſiſtit, [8] horrorem excitat, & ulceribus mordax eſt.

[5] *Hipp.* 5. *Aph.* 22.
[6] *Ibid.* 19.
[7] *Athen.* 2. 4.
[8] *Hipp* 5. *Aph.* 10.

*Deinde*

— ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρὴν,
Χερσὶ διατρίψας, ὀδυνήφατον, ἥ οἱ ἁπάσας
Ἔσχ' ὀδύνας. τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα.
*Contritam manibus radicem injecit amaram.*
*Omnes hæc pepulit de corpore quippe dolores,*
*Subſtitit & ſicco contentus vulnere ſanguis.*

[9] Amaror *ſiquidem* vim exſiccandi humoremque conſumendi habet. Etenim guſtatu omnium ſaporum jucundiſſimus eſt amarus, qui venulas linguæ (ut Plato ait) molliores ac rariores contra naturam con-

[9] *Plutarch.* 1. *Symp.* 6.

constringit. Sic & vulnera ut coëant, efficitur inje-
ctis amaris, quæ siccitate sua humorem consumant.

*Et superfluo humore consumpto*, [1] caro facilè re- [1] *Plato Timæo.*
staurator.

*Quare siccandi vim habent, quæ vulnera conglu-
tinant. Hinc Apollo vulneratum*

[2] *— modo refovet, modo tristia vulnera siccat.* [2] *Ovidius 10. Met.*

*Et ita*

[3] *Sæva Machaonio coierunt vulnera succo.* [3] *Statius 1. Sylv.*

[4] Nulla *autem* remedia, quæ vulneribus adhi- [4] *Cicer. 3. ad Q. fratr.*
bentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt sa-
lutaria.

*Et hæc* [5] remedia non prosunt, nisi immorentur. [5] *Seneca Epist. 40.*

[6] Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra [6] *Idem Ep. 2.*
medicamenta tentantur.

[7] Gramen Parnassi succo, vel decocto ad vulnera [7] *Plin. 24. 19.*
cõglutinanda utile, quod & ipsa herba tusa præstat.

*Plura ejusmodi apud Plinium reperire est.*

*Novum non est, vulnera curare incantatione.*

[8] *— abruptis etiamnum flebile venis*
*Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.* [7] *Statius 2. Sylv.*
*Cũ jã egomet cantus, & verba medentia Confero.*

*Verum*

[9] — οὐ πρὸς ἰατροῦ σόφου [9] *Sophocles Aiace.*
Θροεῖν ἐπωδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.
*— medicus haud recte sapit,*
*Ad vulnerum vim sola qui adhibet carmina.*

*Vana enim plerumque,*

[10] *— neque eum juvere in vulnera Cantus.* [10] *Virgil. 7. Æneid.*

*Quoniam verò solent quidam*

[11] *Vngere tela manu, ferrumque armare veneno,* [11] *Idem 9. Æn.*
*hinc lethalia reddunt vulnera.*

[12] Barbari veneno tinxerant gladios. Itaque sau- [12] *Curtius 9. Hist.*
cii subinde expirabant. Nec caussa tam strenuæ
mortis excogitari poterat à medicis, cum etiam le-
ves plagæ insanabiles essent.

[1] Non

[1] Virgil. 12. Æn.

[1] *Non secus ac vento per nubem impulsa sagitta,*
*Armatam sævi Parthus quam felle veneni*
*Parthus sive Lydon telum immedicabile torsit.*

*Aliis præterea nationibus hæc sagittas inficiendi consuetudo.*

[2] lib. 9. cap. 15.

*Theophrastus scribit* [2] apud Æthiopes radicem letiferam esse, qua sagittas ungunt. *Idem facere* [3] Gerrheos, [4] Barbaros, [5] Scythas, [6] Dacos, & Dalmatas, *atque alios complures alii testantur.*

[3] Nicander Alexiph.
[4] Diosc. 6.20.
[5] Plin. 12.53.
[6] Paul. 6.88.
[7] Thuanus Hist. 48.

[7] Moris erat Hispanis, cum ante scloppetorum usum, tanquam potioribus armis ballistis uterentur, sagittas inficere præparato ad id veneno. Orospeda & Dubeda Castellæ montes id toxicum subministrant, in quibus helleborus niger frequens, qui coctus ac dissolutus, dein ad solem densatur, colore obscuro ac subrubido, odore acri & tamen suavi. Reperitur & in nivoso monte juxta Granatam, Reialgar Mauri vocant, herba ballistaria proprie dicta, quæ quod lupos enecare creditur, lycoctonos Græcis dicitur, & aconitum esse putatur. color ei niger, & odor suavior; utrique idem effectus; rigor & torpor, caligo oculorum, ventriculi subversio, labra spumantia, & virium prostratio, ita ut ea peste affecti omnino concidant. hoc venenum sanguineam massam præcipue corrumpit, & licet extracta sagitta, per venas cor pervadit; suctu plagam, si citò id fiat, curari, sicut Psyllos olim in Ægypto in serpentum morsibus adhibitos, vulgo persuasum est. nunc adversus pestiferum malum utuntur succo cotonei mali & genistæ, cujus foliis masticatis tanta vis inest, ut venenum intus conceptum per plagam foras educant.

*His finitima, quæ venenatarum bestiarum morsu infliguntur,*

[8] Ovid. 5. Trist. 2.

[8] *Pœne decem totis aluit Pœantius annis*
*Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.*

[1] Cum

[1] Cum vulnus ſanatum, etiam cicatrix manet. *Vnde ſequitur.* [2] Quoniam cicatrix eſt, fuit vulnus. *Sed*

[1] *Senec. 1. de ira 16.*
[2] *Cicer. de invent.*

[3] *Vulnus in antiquum rediit malè firma cicatrix.*

[3] *Ovid. 2. de remed.*

*Quod ad diætã; Vinum vulneratis vix bibendum.*

[4] Fingit Homerus, Neſtorem ſapientiſſimum Machaoni medico, accepto vulnere in humero dextro, cubanti vinum porrigere, inflammationibus adverſiſſimum, & id quidem Pramnium, quod eſſe craſſum, non ignoramus, ac multum alere, non leniendæ ſitis gratia, ſed ut corpus nutriret.

[4] *Athenæus 1. Deipn. 8.*

*Ita ipſi* [5] Æſculapii filii poculum Patrocli juſſu à muliere oblatum ſaucio Eurypylo non improbarunt, cum tamen in eo mixta eſſet Pramnio vino farina, & inſuper attritus caſeus, quæ pituitam augent. Profecto abſurdum id poculum, minimeque ita affecto conveniens, &c. Ac Menelao Pandari manibus vulnerato cruorem vulneris abſterſerunt, & unguentis mitigantibus perunxêre: legem verò certam circa cibos ac potus nihilo magis, quam Eurypylo præſcripſerunt, quaſi pharmaca ad curandos ſufficerent homines, qui ante accepta vulnera & firmi corporis habitu & victu moderati fuiſſent, quamvis eo ipſo temporis momento bibiſſent.

[5] *Plato 3. de rep.*

*Quies vulneratis neceſſaria.*

[6] *—tunc ægra reponit*
*Membra toro, nec ferre rudis medicamina (quippe*
*Callebat bellis) nunc purgat vulnera lympha,*
*Nunc mulcet ſuccis, ligat inde. ac vellere molli*
*Circumdat tactu, & torpentes mitigat artus.*

[6] *Silius 6.*

## CAP. IV.

### *Phthiriasis caussa, & curatio.*

Phthiriasis.

[1] *Plin. 27.13.*

IN *fœdis impurisque ulceribus, quandoque pediculi generantur. Φθειρίασιν vocant id vitium:* [1] nascunturque in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus.

[2] *Arist. 5. de hist. an. 31.*

[2] Illorum autem generatio talis est. Pediculi gignuntur ex carne: quibus futuris, emergunt ceu pustulæ quædam sine pure exiguæ: quas si pungas, pediculi exeunt. Accidit morbus hic nonnullis hominibus præ nimio corporis humore. Et quidem aliquos ea fœditate obiisse proditum est, ut Alcmanem poëtam, Pherecydem Syrium, [3] Acastum Peliæ, & Olynthium Callisthenem, dum in vinculis fuit, Mutium præterea jurisconsultum, & [4] Platonem Philosophum. Quod si istos quoque, qui nulla quidem virtute, nobilitati sunt tamen, commemorare oportet: fama est eum, qui bellum servile movit in Sicilia, fugitivum, Eunum nomine, postquam attractus Romam captivus est, morbo pediculari absumptum.

[3] *Plutarch. in Sylla.*
[4] *Laërt. 3.*

[5] *Arist. cit.*

[5] Quibusdam item morborum generibus nascitur copia pediculorum.

[6] *Plut. cit.*

[6] Scyllæ putrefactum corpus, & in pediculos totum versum, ut quum multi interdiu & noctu tollerent eos, nulla parte potuerit tamen, quod rejiciebatur, æquare illud, quod succedebat, verum omnes vestes, balneum, pollubrum, cibus, illo repleretur fluxu & tabe: adeò suppullulabat. Ideo sæpius die ingrediebatur balneum, abluens & abstergens corpus. Cæterum nihil proficiebatur. Vincebat enim celeritate conversio, superabatque copia omnem purgationem.

Curatio.
[7] *Plin. 20. 1.*

[7] Contra phthiriasin bibitur cucumis sylvestris, semine

ſemine & elaterio. Modus portione virium ab dimidio obolo ad ſolidum.

[1] Phthiriaſes & porrigines allium potum, tuſum item cum aceto & nitro compeſcit. [1] *Ibid. 6.*

[2] Rhaphaninũ phthiriaſes longa valetudine contractas tollit, ſcabritiasque cutis in facie emendat. [2] *Idem 23.4.*

Phthiriaſi proſunt [3] ſinapi, [4] tamaricis decoctum, [5] ſuccus baccarum lauri, [6] cedri, [7] liguſtri acini, [8] elleborus, [9] hyſſopum in oleo tritum.

[3] *Id.20.22.* [4] *Id.24.9.* [5] *Id.23.8.* [6] *Id.24.5.* [7] *Ibid.10.* [8] *Id.25.5.* [9] *Ibid.11.* [10] *Id.27.13.*

[10] Phthiriaſi *quoque* reſiſtitur uvæ taminiæ ſucco, aut veratri, cum oleo perunctis corporibus. Taminia quidem in aceto decocta, etiam veſtes eo tædio liberat.

## CAP. V.

### *Gangrænæ, & ſphaceli eſſentia, cauſſæ, & curatio.*

*HIs, quos enarravimus affectibus, non rarò ſuccedere ſolet Gangræna, incipiens partis corruptio: quæ quum jam eò proceſſit, ut pars corruptione extincta & emortua ſit, Sphacelus & Sideratio nuncupatur. Oritur autem, quum pars affecta vitali calore ac ſpiritu deſtituitur: quod fit tum aliis de cauſſis, tum ſæpenumero cum eam*

Gangræna, Sphacelus, & Sideratio.

[11] *—penetrabile frigus adurit.* [11] *Virgil. 1. Æn.*

[12] Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Annotatusque miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita prærigiuiſſe manus, ut oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent. [12] *Tacitus 13. Annal.*

Curatio.

[13] Remedii cauſſa, quibuſdam raduntur oſſa, læduntur & extrahuntur venæ, & quædam amputantur membra, quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant. [13] *Senec. de provid. 3.*

*Sed* [14] ad urendum & ſecandum rarò invitiq; veniamus, [14] *Cicer. 1. de Divin.*

niamus, nec unquam niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina.

[1] Celſ. 7. 33.
[1] Nam ſæpe in ipſo opere, vel profuſione ſanguinis, vel animæ defectione moriuntur.

[2] Iuſtin. 11. Hiſt.
*Ita ſæpè* [2] curatio vulneris, gravior ipſo vulnere fuit.

[3] Dion. Halic. 6. Rom. Ant.
*Vnde manifeſtum eſt*, [3] neque ſemper partem, quæ in humano corpore laborat, reſecandam eſſe. Ita enim reliquum corpus aſpectu turpe eſſet, nec ipſa natura diutius duraret.

[4] Plin. 20. 22.
[5] Id. 22. 25.
[6] Idem 23. 1.
[7] Ibid. 7.
[8] Ibid. 8.
[9] Id. 26. 14.
[10] Id. 27. 9.
[11] Id. 28. 18.
[12] Id. 34. 13.
[4] Ad gangrænas efficaciſſima ſunt arida marrubii farina, [5] ærina farina, lens cum punici tegmine, ciceris & cicerculæ farina cum melle, [6] uvæ paſſæ in oleo coctæ cum cortice raphani & melle, [7] cinis ficus è foliis, [8] nuces perveteres, tamarices folia adjecto melle, [9] tithymalus characias ſucco, [10] galeopſis cum ſale, [11] urſinum fel penna illitum, [12] ſpodos leni vino lota.

Prognoſticũ.
[13] Senec. Ep. 89.
[13] Tunc *autem* incipit medicina proficere, ubi in corpore abalienato dolorem tactus expreſſit.

*Itaque*

[14] Ovid. 1. Met.
[15] Claudian. 2. in Eutr.

[14] *Cuncta prius tẽtanda; ſed immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.*
[15] *Vlcera poſſeſſis altè ſuffuſa medullis*
*Non leviore malo, ferro ſanantur & igni,*
*Ne noceat fruſtra mox eruptura cicatrix.*
*Ad vivum penetrant flãmæ, quo funditus humor*
*Defluat, & vacuis corrupto ſanguine venis*
*Areſcat fons ille mali: truncantur & artus,*
*Vt liceat reliquis ſecurum vivere membris.*

[16] Cicer. 3. de divin.
*Et tum demum* [16] membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis.

[17] Varro περὶ ἐξαγωγῆς.
[18] Amm. Marcell. 17. Hiſt.
*Quare* [17] ſciamus digitum præcidi oportere, ſi ob eam rem gangræna non ſit ad brachium ventura: & [18] prudenter medelarum artifices urere nonnunquam,

nunquam, & secare, & partes corporum amputare, ut reliquis uti liceat integris.

[1] Igitur inter sanam vitiatamque partem incidenda scalpello caro. *namque* [2] non est medicina, cum sanæ parti corporis scalpellum adhibetur atque integræ: carnificina est ista atque crudelitas. [1] *Cels. 7. 33.* [2] *Cicero pro Sestio.*

*Ipsa etiam partis affectæ natura consideranda.*

[3] *Cautius ingentes morbos, & proxima cordi*
*Vulnera Pæoniæ tractat sollertia curæ,*
*Parcendoque secat, ferro ne longius acto*
*Irrevocandus eat sectis vitalibus error.*

[3] *Claudian. de bello Getico.*

## CAP. VI.

### *Oßium fractura, luxatio, aliaque vitia.*

Superest [4] ea pars, quæ ad ossa pertinet. [5] Omne autem os, ubi injuria accessit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco movetur. [4] *Cels. 8. 1.* [5] *Ibid. 2.*

[6] Artus etiam leviter loco moti, perdunt, quo viguerunt, usum. [6] *Quintil. 7. Orat. præf.*

[7] Medici ajunt ictus sinistrorum in dextris partibus sentiri. [7] *Plutarch. præc. conjug.*

*Ita* [8] in capite os sub vulnere frangitur loco alio, quam qua vulnus est, osque nudatum fuit. Quod infortunium ubi accidit, nullus ei remediis succurras. [8] *Hipp. de vuln. cap.*

*Nec minus periculosum, quando vertebræ in spina dorsi franguntur, aut loco moventur.*

[9] *— Telesinus ad ossa*
*Illiso saxo, qua spina interstruit undis,*
*Occumbit. —*

[9] *Silius 10.*

[10] Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum? non vehiculum, navemque conscendit, sed advocat medicum, ut fracta pars inungatur, ut luxata in locum reponatur. [10] *Senec. Ep. 104.*

[11] Ossibus fractis medentur pistolochia. [11] *Plin. 20. 4.*

[1] *Idem* 27.8. [1] Peculiaris est Alpinis maximè fluminibus conserva, appellata à conferruminando, spongia aquarum dulcium verius, quam muscus aut herba, villosæ densitatis atque fistulosæ. Curatum ea scio, omnibus ferè ossibus confractis, prolapsum ex arbore alta putatorem circumdata universo corpori, aquam suam inspergentibus, quoties inaresceret, raroque nec nisi deficientem herbam mutationis caussa resolventibus, convaluisse vix credibili celeritate.

[2] *Idem* 7.18. [2] Concretis quosdam ossibus, ac sine medullis vivere accipimus. Signum eorum esse, nec sitim sentire, nec sudorem emittere.

INDEX

# INDEX AVTHORVM.



Paulus

*Recentiorum.*

A.

B.



C.

Lycan-

R.



S.



T.



V.



Va-

---

DE ERRATIS.

Errata, si quæ per absentiam autoris commissa sunt, facile, ut speramus, ipse Lector emendabit.

F I N I S.

(2)

BRVNONIS SEIDELII

# LIBER,

Morborum incurabilium causas, mira brevitate, summa lectionis jucunditate exhibens,

*Medicis atque Theologis apprime necessarius atque utilis.*

Ad V. D.

GUIDONEM PATINUM,

Doctorem Medicum Parisiensem, & Professorem Regium.

*Cum Præfatione ad*

J. POSTHIUM & J. OBSOPOEUM,

Medicinæ Doctores Eximios.

ACCESSIT

FABRITII DE PADUANIS

TRACTATUS

## DE MORBIS,

*In quibus præsentaneis uti convenit remediis.*



*LVGDVNI BATAVORVM,*

Apud PETRVM HACKIVM, Anno 1662.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

*Clarissimo Doctissimoque Viro,*

# D. D.

# GUIDONI PATIN,

## BELLOVACO, DOCTORI MEDICO PARISIENSI, MEDICÆ FACULTATIS DECANO, ET REI ANATOMICÆ, BOTANICÆ ATQUE PHARMACEUTICÆ PROFESSORI REGIO.

QUod hic Liber novis typis in lucem exeat, non tam mihi quàm tuæ debetur virtuti, vir Eruditissime. Quum enim antehac multi Medicinæ Studiosi penè quotidianis precibus à me contenderent, ut optimi hujusce libri, nempe BRUNONIS SEIDELII, Medici Germani doctissimi, *de morborum incurabilium causis*, in publicis tuis Prælectionibus, in Aula Cameracensi Regia habitis, maxima ex omni gente atque tribu Auditorum frequentia, toties à Te commendati novam Editionem promoverem: nec verò ab eo labore, ad quem me acriter cohortabantur,

 mul-

multum abhorrerem: Tu unus occurristi, qui, pro eo quo es in litteras & litteratos animo, Author mihi fuisti, ut quando id ceperam consilii, citò perficerem, ac ut publicæ utilitati redderetur, propter summam Exemplarium raritatem, meam operam atque industriam omnem conferrem. Acquievi tuo judicio, eo certè libentius, quod neque ullum mihi possit esse antiquius, neque aliunde quàm ab intimo tuo sensu, ipsaque adeo veritate profectum intelligam; sed & judicium quum dico tuum, non sic velim accipi quasi privati unius hominis, sed potius doctissimorum Orbis Medicorum, inter quos emines, suasu atque authoritate impulsum me sentiam. Quo fit, ut non modò non sit metuendum à morsibus malevolorum hominum, sua duntaxat probantium, aliena semper perfricta fronte carpentium: sed etiam huic Libro tanta accedere debeat commendatio, quanta potest maxima. Quis enim in eo criminari aut reprehendere quidquam ausit, quem & Parentum nostrorum semper laudavit ætas,

tas, & Tu non ſolum dignum cenſuiſti, verum etiam vehementer optaviſti, ut omnium manibus tereretur: eorum maximè qui purioris Medicinæ ſacris initiati, *abſtruſas & reconditas incurabiliũ morborum cauſas, deque eorum eventu præſagiendi rationem*, intenta mentis acie atque cogitatione nituntur aſſequi. Qua in re qui Te communem tum Medicorum, præſertim juniorum, tum reliquorum hominum utilitatem ſpectare non videt, nihil profectò videt: & verò quis auſit de Te aliter ſentire, quem norunt omnes haud alio animo quidpiam aggredi poſſe. Scilicet ea indole, eoque es animo natus, ut cum in omni re, commune bonum privatorum commodis ſemper anteferendum duxeris, tum maximè in iis quæ pertinent ad rem literariam exornandam, artemque medendi, quam ſanctiſſimè hactenus profeſſus es, illuſtrandam, induſtriæ ingeniique tui nervos omnes intenderis. Ut propterea minus mirandum ſit, quod ſaluberrima Pariſienſum Medicorum facultas Decanum Te ſuum olim renuntiaverit, Tibi-

queтot dotibus ac virtutibus prædito, ſe ſuáſq; res per biennium regendas commiſerit: poſtea verò Rex noſter Chriſtianiſſimus, LUDOVICUS XIV. A DEODATUS, in Gymnaſio ſuo Cameracenſi Regio, maximi hujus ævi Anatomicorum Primicerii JOANNIS RIOLANI, τȣ̃ μακαρίτȣ, loco, *Profeſſorem ſuum Regium in re Anatomica, Botanica & Pharmaceutica* eſſe voluerit. Perge itaque mortales omnes docendo, ſcribendo medendoque juvare. Perge vel bonis ipſis tua virtute prælucere, huicque cumulum ſi quem potes, adjicito. Fruere ſecunda fama, & ampliſſimis illis, qui ſolidam virtutem, numquam non ſequuntur honoribus. Interim verò patere, ut ex tui nominis inſcriptione tantum quæram huic Libro pręſidii, quantum probi omnes in tua ſingulari fide, doctrina, & dignitate, authoritatis reſidere ſciunt, & prædicant. Vale.

*Datum Pariſiis, 27. Martii 1661.*

Tuus ex animo

HADRIANUS FOPPENS, φιλίατρος.

*Cla-*

*Clarissimis Virtute, Doctrina, Experientiæ viris, peritißimis artis Machaoniæ Doctoribus,*

DN. JOANNI POSTHIO, P.L. Illustrissimi Palatinatus Electoris constituto Medico.

DN. JOANNI OPSOPOEO, Med. in inclyta Heidelbergensi Academia Professori Celeberrimo,

D. Patronis suis, perpetua observantia Colendis.

S. P.

*INter infinita & innumerabilia*, clarissimi ac omni scientiarum genere cumulatissimi Viri, Amici ac fautores optimi, *humano generi à divino Numine concessa beneficia, non est ullum, quod præstantis atque excellentis doctrinæ suæ & amplitudine & dignitate Medicam artem, quâ sanitas corporis amissa restituitur, vires debilitatæ, ac enervatæ restaurantur, recolliguntur, & reficiuntur, adæquet. Quid enim cum in aliquem dubium, ancipitem, difficilem, pertinacem, acutum, periculosum ac deploratæ spei morbum, qui acriter urgeat, instet & celerrimè ad statum properet, non ullas moras, non ullas inducias, non ulla deliberandi, nec ulla medicamentorum, tum eligendorum, tum*

præparandorum, ſpatia admittat, incideris, magis in votis habeas aut exoptes, quàm ut facilem & expeditam, ſine ulla mora, teterrimis ac naturæ humanæ infenſiſſimis morbi nebulis diſcuſſis & profligatis, conſequaris curationem, & priſtino ſanitatis flori reſtituaris. Quem florem nemo citius, nemo celerius, nemo expeditius, nemo felicius præbere poterit, quam qui morbos ſingulos, eorumque ſymptomata habuerit explorata, ac præſentaneorum remediorum, expugnando morbo ſufficientium, copia inſtructus, in acie cum hoſte morbifero congreſſus, ſi non ſemper, tamen maximam partem palmam reportarit.

Eum autem in tanta tamque ſterili, & infœcunda Medicos ſe profitentium multitudine, invenire tam difficile fuerit, quam medium circuli exactiſſima cura deſcriptum, imperitæ multitudini exhibere, aut mediocritatem in omnibus actionibus tenere.

Quis quæſo, hominum eſt, qui vitreas verborum bullas jactando Medicæ artis aliquam ſcientiam & cognitionem, non dico exiguam ſed perfectam, non vendicet, non arroget, non aſſignet ſibi? quis eſt, qui ægro de dolore ex morbo contracto multum conquerenti medelam

*lam adhibere non geſtiat? quis eſt, quem (fallacibus) ſuis experimentis ſordidam gloriolam, inanem laudem, auram popularem captandi anxius ardor, deteſtabilis libido, exſecranda cupiditas non rapiat? non teneat? non inflammet? Adeo enim omnes homines, viri æque ac fæminæ, ſenex æque ac juvenis, anus æque ac virgo, peritus æque ac imperitus,* Medici *videri pruriunt, ut ſi omnes, qui* Medicæ *artis cognitionem atque ſcientiam falſò nomine ſibi adſcribunt, eamque nullis nec practicæ, nec theoricæ* Medicinæ *adminiculis inſtructi, non ſine exigua decumbentium clade, impudenter exercent, numero comprehendere velis, prius quot fluctibus mare à condito ævo agitatum ſit, ſermone atque oratione expedias, adeo in infinitum* Medicorum *ſe numerus porrigit, ut major ſit, quam ut ab hominibus conſiderari poſsit.*

*Unde* PONTANO, *& magni nominis & ſummæ authoritatis viro, fidem meam non facile detraxerim, qui concinnæ admodum rei geſtæ narratione, hoc, quod dixi, teſtatum facit. Cum etenim, aliquando; (*Lemnii *verba ſunt) inter proceres aulicos certamine ac contentione orta, hæc quæſtio multis ven-*

*tilationibus agitata fuisset, quorumnam artificium, & eorum, qui opificio aliquo se exercent, major esset vel copia; aliis aliud proferentibus, ut sunt in Republ. ac confusa multitudine pistores, lanii, coci, textores, carpentarii, aurigæ, fullones, trapezitæ ac mensarii, usurarii, fartores, nautæ, lenones, quibus quæstus inter omnes uberrimus: tum unus nulla, inquit, artificum major copia, quàm eorum, qui se Medicos profitentur, aut ejus artis nomine se venditant: cujus se primo quoque tempore specimen exhibiturum pollicetur. Itaque postridie quendam in publicum producit ad peragendam fabulam hanc mire dextrum, qui, fascia obvolutis cervicibus, vultuque ad morbum composito, dentium dolorem simulat, ac subinde ingemiscens, ab obviis stipem oblanditur, atque aliquid remedii mitigando dolori implorat: ibi nemo non ex numerosissima multitudine fomenta præscribit, ac quid dolorem discutiat, confidenter profitetur. Itaque omnium suffragiis evicit, qui contenderat nullam Medicorum turba in civitate numerosiorem.*

*Et certè, quis non cujus vel oculi, ut noctuæ ad candelam, cæcutiant, rem ita sese habe-*

*habere liquido perspiciat. Neglecta decrepitarum anicularum incomprehensibili, infinita, numerosissima turba, quæ tamen nunquam medicamentis à Natura concessis, sed incantationibus, plerumque, ex pacto cum Stygio Plutone inito, morbi radicem tollunt, quot quæso prodeunt errones, circumforanei, agyrtæ, circulatores, impostores, defraudatores, Monachi, Iudæi, & infiniti ejusdem farinæ homines, asini ad lyram, quod dicitur,* ἀπαίδευτοι, *& veræ artis prorsus ignari, homines ex omni scelerum colluvione nati? tot certe, ut si formicarum, quarum in* Myrmidonas *transmutatarum, mentionem facit* Ovidius, *numerum his Medicis jactabundis ( nomen licet titulumque medici in æternos non promereantur dies ) conferas, nullus, nullus inquam appareat.*

*Digni certe ejusmodi farinæ homines, ut iis aqua & igni interdicatur Si quidem præter id, quod ægrum lædunt, dum promissam ei sanitatem perfectè, atque omni ex parte restituere nequeunt, maximam arti faciunt injuriam, insignem inurunt maculam: atque summam inferunt cladem, ut periti pariter ac ignari Artis exiguam, apud vulgus non*

modo

*modo imperitum, verum etiam ſanioris judicii homines, obtineant auctoritatem. Quæ res certe, ubi arti ſuus non habetur honos, efficit, ut multi à Medicæ Artis ſtudio deterreantur, propellantur & abigantur: multis ad arcana Naturæ myſteria indaganda aditus occludatur, & Medicorum, qui tales non nomine, ſed omine ſint, numerus ad paucos admodum redigatur.*

*Qua tamen in parte* Cardanus, *vir alioqui in omni doctrinarum politiorum genere valde acutus & ſubtilis, mihi nequaquam probatur. Hic enim milleſimo quoque anno unum tantùm excellentem & perfectum Medicum fuiſſe, ſeque è millenario ſeptimo ſeptimum eſſe aſſerere non veretur, quod ſanè, ſi ita eſſet, ut non eſt, quid quæſo Medicorum ſtudiis magis noxium, magis adverſum, magis contrarium, quàm ſi perfectionis gradus, ad quem omnes Medici collimant, in dubio eſſet poſitus? quem inter omnes, quos vidit antiquitas, è perfectis primum ſtatues? num* Machaona? *num* Podalirium? *num* Hippocratem? *num* Galenum? *num* Dioſcoridem? *num* Avicennam? *num* Alexandrum Trallianum, *num* Paulum Æginetam,

tam? *num alium quendam ex veteribus, ut certè multi ſunt? quem ultimum ex iis, quos noſtra vidit ætas? num* Paracelſum? *num* Cardanum? *num* Quercetanum? *num* Modeſtinos *fumivendulos*, Paracelſi *in ciniflonia ſectatores?*

*Lubens prætereo abſonam* Cardani *mentem, & ſummam ſacris illatam literis injuriam, dum mundum ad ſeptem mille duraſſe annos non obſcurè indicat.*

*Sicut igitur* Cardani *ſententia à veritatis limine omnino abhorret, nec in conſpectum limatioris ac terſioris ingenii virorum prodire audet: ita majorum noſtrorum tempore non pauci, & quidem præſtantiſſimi Medici, in illuſtranda Medicina totos ſoles gnaviter laborarunt, & experientia ſola, artium magiſtra armati atque inſtructi, nulli auxiliatrices manus petenti ſe ſubduxerunt. Inter quos non infimum tenuit locum clariſsimus ac doctiſsimus vir* P.M. Dn. Bruno Seidelius, *Med. Doctor*, Hippocratis & Galeni, *ſi quis alius, ſectator ſtudioſiſsimus, & de re literaria optimè meritus.*

*Hic præter cæteros infinitos, quos à ſe conſcriptos publici juris fecit libros, tracta-*

tum

*tum quendam* de causis incurabilium morbornm, *summa elegantia, magna eruditione, mira brevitate, amœna grataque jucunditate refertum, conscripsit & adornavit. In quo contra eos, qui omnem non curati, sive morbi, sive ægri, culpam in Medici partes transferunt, multa consideratione digna disputantur, illorum querelæ retexuntur, & veræ non curati morbi causæ penicillo quasi adumbratæ delineantur: multum enim divinæ providentiæ, multum incantationibus seu veneficiis, multum fato physico: multum ægris ipsis aut refractariis, aut delicatulis omnino: multum Medici ministris & pharmacopolis: multum exsoletis, & temporis diuturnitate corruptis, aut injuria loci insigniter læsis medicamentis: multum acutiei, multum pertinaciæ, multum magnitudini morbi, multum denique adstantibus cæteris exterioribus, & casui tribuendum, nec omnium errata in Medicum conferenda.*

*Harum morbi non curati causarum cognitionem aliquam habere, quantum prosit, in discursu lectionis patebit. Prodest quidem & Medico & ægroto: huic quidem, ut noxia vitando, & salutaria appetendo, eo expeditius*

*tius convalescat: illi verò, ut honorem, quo digna sunt præstantia ingenia, à cordatis consequatur viris.*

*Paucis ut meam sententiam complectar, libellus iste, qui ad harum causarum cognitionem viam nobis patefacit, omnino dignus, ut cineribus non modò obruatur, sed etiam, ut ab omnibus legatur, æternæque memoriæ tradatur.*

*Quare de ejus libelli, ad me per hæredes* Dn. Doctoris Seidelii P. M. *delati, editione cum aliquoties mecum cogitarem, multis rerum medicarum cupidissimis viris me gratificaturum certo statuebam.*

*Sub vestro autem, viri Clarissimi, Patroni venerandi, Patrocinio, hunc libellum in lucem emittere volui, multis magnisque de causis.*

*Primum etenim Vos, qui non umbratili studio dediti, amplam Medicinæ scientiam æternumque nomen vobis comparastis, par est de Medicis libellis judicium ferre, (artifici siquidem cuilibet in sua arte credendum) eosque si consentanea veritati tractent aut doceant, à mortalitate, interitu & invidia hominum vindicare.*

*Dein-*

*Deinde, cum uterque me maximis devinxeritis beneficiis, ingratus certe essem, & non solum ingratus, verum etiam impudens, & supra quam dici potest impius, si nullam referendæ gratiæ rationem ineundam mihi censerem; Despicienti autem & consideranti mihi de gratitudinis exhibendæ via ac ratione, continuo vestrorum erga me meritorum magnitudo occurrit, & deliberationem meam perquam difficilem efficit. Vereor enim ut vestrorum beneficiorum magnitudini ex æqualitate muneris respondeam.*

*Hæc cogitatio cum me diu suspensum teneret, tandem in mentem venit, ea id re maxime fieri posse, qua non præsentes solum, verum etiam posteri de grati animi mei significatione edocerentur. Statui igitur sub vestro nomine, libellum hunc, doctorum virorum judicio & lectioni exponere: qui si beneficiis vestris impar est, ut certè est, promptam tamen, ac paratam animi gratitudinem mihi non defuisse, liquido innuet. Accipite ergo Viri Clarissimi, placidissimo, quicquid hujus est libelli, vultu, meque, quod facitis, vestro favore, vestra promotione, vestroque consilio adjuvare non dedignemini. Quod vos facturos,*

*ros, quæ vestra est erga bonos benevolentia & humanitas, omnino dubius non sum. Hisce, Viri Clarissimi, Mecenates observandi, vos vestramque familiam divinæ protectioni commendo. Datæ Calendis Ianuarii, Anni M. D. XCIII. quem nobis omnibus felicem & faustum precor.*

V. Excell.

*Observantissimus*

JOANNIS WECHELI
Typographi nomine,

M. ZACHARIAS PALTHENIVS,
*Fridbergensis, V. L.* ἐργάτης.



# AUTHORES

## *Qui huic Libello partem contulerunt.*

ANtonius Fracanzanus.
Arabs Avenzoar.
Ariſtoteles.
Auguſtinus.
Avicenna.
Auctor Introductorii.
Benivenius.
Bombaſtus.
Cicero.
Cornelius Celſus.
Ennius.
Fallopius.
Fernelius.
Galenus.
Heſiodus.
Hippocrates.
Hollerius.
Horatius.
Juvenalis.
Lucretius.
Martialis.
Matthæus Curtius.
Matthias Cornax.
Nicolaus Maſſa.
Oribaſius.
Ovidius.
Paulus Ægineta.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Rhazes.
Realdus Columbus.
Sacræ Litteræ.
Stephanus Interpres Galeni.
Tacitus.
Terentius.
Veſalius.

BRU-



# BRUNONIS SEIDELII DE MORBIS INCURABILIBUS LIBER.

CUm Medicina ars esse definiatur, ad quam pertineat, amissam sanitatem corporibus humanis restituere, & tamen quotidiana testetur experientia, non omnes morbos sanari; dignum consideratione videtur, quibus de causis hoc ipsum fiat: Utrum imperfectione quadam artis, vel culpa & inscitia medicorum, quorum nemo consummatum artis habitum adeptus sit, vel nimis dispari morborum, cum quibus pugnandum est, proportione ad opposita auxilia & remedia, vel simpliciter impossibilitate rei ipsius, vel aliarum rerum aut defectu, aut impedimento. Quæ enim est usitatior querela, quam epilepsiam, apoplexiam, paralysin, elephantiasin, cancrum, phthisin, hydropem, podagram, febrem hecticam, pestem, insuperabilia esse mala? Et duos præterea homines eodem, sive acuto, sive tardo etiam

chronicoque, laborare morbo contingit, alterumque ſanitati reſtitui, alterum nulla ratione ſanari poſſe. In quibus, quod eodem modo non curentur certas cauſas exquirere oportet, non enim ſimpliciter ac ſemper culpa morbi aut medici ſolius eſſe poteſt, alioqui alter nunquam convaleſceret. Diſſentientes quidem hominum reperiuntur de hac re ſententiæ. Nam aliqui experientiam quotidianosque eventus intuentes, fatentur eſſe quoſdam natura ſua inſanabiles morbos, quoſdam etiam alias ob cauſas deſperatos fieri. Nonnulli contrariam opinionem amplectuntur, atque omnes per ſe curabiles eſſe volunt, & remedia cum condita in natura, tum reperta etiam vel reperiri poſſe contendunt, quibus vinci atque abigi omnes queant. Imo eo uſque procedere non verentur, ut unicum quoque affirment præparari poſſe medicamentum, quod univerſis percurandis morbis ſufficiat, quod tamen verum eſſe, uſu ipſo nondum potuit comprobare quiſquam, cum rationibus demonſtrari multo minus poſſit. Neque hi qui ita diſputant ſibi ipſis ſatis conſtare videntur, contra quorum ſententiam fortaſſis in fine quædam dicemus. Hanc ſane controverſiam his temporibus novatores quidam merifice urgere atque exaggerare viſi ſunt, convitiis tamen magis quam rationibus diſputando. Nobis vero non affectu, non odio, ſtudiove ullo partium, ſed rei ipſius veritate & certitudine argumentorum diſſerere quædam de
illa

illa propositum est. Neque inutilis futura videtur ejusmodi tractatio, inde enim apparebit quam injustæ calumniæ in medicos sæpe immeritos effundantur, dum in ipsos ægris morientibus omnis culpa confertur. Nam & qui solis medicis, & qui solis morbis causam omnem non convalescentium ægrotorum adscribunt, non parvo in errore versari videntur. Intelligetur hinc etiam, quam non recte faciant imperiti homines, qui semper subitas curationes quærunt ac deposcunt, cum interdum ne possibilis quidem sit illa, tantum abest, ut cita etiam esse queat: Cujus exempla multa ac diversa, & eventus cum causis consentientes, in sequente hoc discursu recitabuntur.

Etsi autem non quibus vis stultis vulgi atque rudium hominum opinionibus obviam eundum est, cum suapte absurditate illæ concidere soleant, tamen inter prudentiores etiam non semper recte judicatur de hac re: quam ut totam rectius mente comprehendant, erudiri illos proderit. Videturque è dignitate Medicinæ esse, si facultates ipsius ac metæ legitimæ quam plurimis notæ fiant & perspectæ.

Posito ergo primum eo, quod evidens est, & omnium temporum fide atque experientia probatum, tanquam certo ac indubitato, esse scilicet & non raro conspici morbos, in quibus curatio frustra instituatur; illud deinde investigandum occurrit, quot modis sint atque dicantur

inſanabiles. Hac enim quæſtione explicata, magnum aditum ad inveniendas cauſas non ſanati morbi patefactum nobis eſſe experiemur. Hinc itaque exordiamur.

Salubre, ſanabile, ὑγιεινὸν ſive ἰατὸν tametſi potiſſimum quidem ac proprie de corpore ſubjecto dicuntur, quod ſcilicet talem facultatem & potentiam habet, ut ſanitatis habitum admittere ac recuperare poſſit: & ſecundum hanc rationem ſic loquendum foret: corpora quæ in morbo ſint, non eſſe ſemper ſanabilia: nos tamen, communiter hic loquendo, ſanabile pro curabili vel removibili affectu corporis præter naturam generaliter accipiemus, ut etiam morbo competat, tali ſcilicet quem poſſibile ſit amovere, & qui actu ſæpe amoveatur, non tamen ſemper & neceſſario. Nam ſic & *Celſus* latiniſſimus autor loquitur, & *Galenus* quoque 7. *aphor.* 37. σωτήριον πάθημα, τουτέστι θεραπευθῆναι δυνάμενον. Sicut 2. etiam *aphor.* 42. ἀνίατον πάθος dixit. *Ovidius* quoque ſcripſit: *nullis amor eſt ſanabilis herbis.* Apud Græcos ὑγιεινὸν etiam de iis, quæ vim efficiendi ſanitatem habent, dicitur, quemadmodum *Galenus* περὶ ὑγιεινῶν ſcripſit, id eſt, de iis, quæ ad tuendam & conſervandam bonam valetudinem faciunt. Sic *Ariſtoteles* teſtatur *in Topicis*: ὑγιεινὸν μὲν ῥητέον τὸ ποιητικὸν ὑγιείας, ὥς οἱ πολλοὶ λέγουσι. *Galenus* indicantia ſigna etiam ὑγιεινὰ appellavit, & in arte medicinali omnia

hæc

hæc significata complexus est, ita scribens: *Etenim corpus sanitatem suscipere aptum est, & causam, quæ eandem efficere vel conservare, & signum quod judicare potest: hæc omnia ὑγιεινὰ Græci appellare consueverunt.* Sed nos ea, quam dixi, significatione hoc loco contenti sumus.

Incurabilem igitur morbum, vel insanabilem eum intelligi volo, qui neque curatur neque tollitur, sed hominem eo affectum aut brevi tempore interficit, aut alioqui perdurans ad mortem usque comitatur, etiamsi sua natura non sit θανατηφόρος.

Insanabilis autem morbus vel per se talis est, id est, non capax curationis, vel *per accidens*, id est, causa alterius rei curationem non admittit. Hoc deinceps & particulatim & in universum quoque ostendere conabor.

PER SE *insanabilem statuo, cujus natura & species simpliciter talis est, ut nulla arte vel ope humana sanari ipsum contingat, in quocunque sit ægro & subjecto corpore, & cujus curati nullum unquam nec fando, nec auditu, compertum sit exemplum*: quanquam, ut medico, mihi etiam hos annumerare huc liceret, qui ut plurimum non curantur, sed tamen in hoc gradu tantum eos collocabo, qui τῷ εἴδει sunt ejusmodi, quales descripsi. Dixi autem ope humana: quia de medicis actionibus tantum, quæ naturales sunt ac naturalibus mediis perficiuntur, & homini, qua homo est, possibilibus, loquor: quæ scilicet per Chirurgiam,

per pharmaca, per diætam administrantur, cum alia instrumentorum summa genera ars medendi non habeat. Nam quas Christus Salvator, Propheta & Apostoli curationes perfecerunt, eæ altioris facultatis & divinæ virtutis fuerunt, neque medicinæ physicæ subjiciuntur, sicut intueri æneum serpentem fuit olim remedium supernaturale contra morsum serpentis. Non igitur cæcitas in cæco nato ideo sanabilis arte potest dici, quia à Christo fuit sanata, quod breviter & semel monuisse hic satis sit. Excipio hinc etiam liberationes magicas & incantatorias omnesque superstitiones vetitas, quibus varie ludit Diabolus: illæ enim nulla ex parte in arte medica admittendæ sunt, neque ad eam pertinent. Neque vero difficultatem aliquam hoc injiciat nobis utrum simpliciter sua natura tales aliqui morbi existant, ut curationi suscipiendæ nunquam apti sint, & de iis ars aut methodus aut medicina nulla plane existat, sed sic facti ac constituti fuerint, ut contrarium in natura nullum habeant: an vero quorundam remedia contraria & alexipharmaca in natura extent quidem, quibus depelli ac superari queant, nondum tamen sint inventa & cognita, ac proinde alio modo dicantur incurabiles quam superiores. Nihil opus est nimis subtiliter ejusmodi differentias persequi, cum id nulla utilitate hic fiat. Sane quemadmodum *ignoti nulla cupido*, ita ignoti nulla ars etiam esse potest. Utrumque igitur modum nos admittimus, siqui-
dem

dem nulla ſanantur vulnera cordis ope, capiteque præciſo immedicabile omnino malum eſt allatum corpori, neque habet natura quo hunc defectum in integrum reſtituat. Quis vero etiam naturæ vires adeo perveſtigatos eſſe aſſerere auſit, ut remedia incognita prorſus nulla ſupereſſe atque latere adhuc affirmet, quæ maximis morbis nonnullis opponi queant? Sic certe ſua natura non erat ſimpliciter incurabilis lues Gallica initio, etſi diu ignorabantur remedia, quæ poſtea tamen inventa ſunt. Curatio quidem morborum omnis per contraria efficitur, & morbus non ſolum morbo, verum etiam ſanitati & remediis contrarius habetur. Etſi igitur contrarietatem quandam ſingulis morbis oppoſitam eſſe veriſimile eſt; tamen de hoc quæſtio eſt, an contrarietatem illam ſive contrariam διάθεσιν medicus ubique poſſit arte comparare & corpori ægroto ſemper conciliare vel reddere: hanc enim artis perfectionem partim ignotam adhuc, partim impoſſibilem eſſe judicamus. Non ſatis namque eſt ſcire, diſtorta eſſe ad rectitudinem revocanda, & vulnera cordis conſolidanda, ſi rectitudo reſtitui & conſolidatio fieri nullo modo poteſt. Curationes quidem univerſali methodo traduntur, in ſingularibus vero perficiuntur & in uſum adhibentur: Atque in his impotentiam curandi conſtituimus certis caſibus & cauſis, de quibus hoc libro agere inſtituimus.

Ejuſmodi igitur per ſe quidem incurabiles

morbos merito appellandos esse censeo, quorum εἶδος omnibus visum fuit temporibus incurabile.

*Per accidens vero incurabiles eos dico, quorum remedia certa & contraria secundum methodum universalem & particularem non ignorantur, sed arte omnino sanabiles existunt, quoad naura & species morborum istorum considerantur, quique sæpius etiam in plurimis ægris curantur:* sed tamen in hoc vel illo individuo quædam interdum ad eos accedunt, quæ curam impediunt, vel impossibilem quoque interdum efficiunt. Sicut notum est, omnes naturales effectus esse contingentes, & à fortioribus repugnantibus causis impedri posse. Medicus igitur quoque non semper ex necessitate sanat sed contingenter, ut artifex scilicet imitator & minister naturæ.

Hi igitur non sunt, sed fiunt incurabiles, ita ut illa νοσήματα prioris generis ἀνίατα ὄντα, hæc vero γινόμενα quodammodo dici possint.

Ejusmodi ergo capita plura sunt, ad quæ videntur talia accidentia sive accidentariæ istæ causæ referendæ esse, videlicet *Deus*, *incantatio vel maleficium*, *fatum*, *medicus*, & *minister hujus pharmacopæus*, *morbus*, *æger*, *adstantes*, *exteriora & casus*. Ac si quæ fortassis sunt alia, ad jam dicta reduci satis commode poterunt, tanquam ad communia quædam genera, quæ utcunque varietatem & infinitatem accidentium complectantur. *Hippocrates* I. *libr. de morbis* tertium genus

nus addit, ἐνδιαστὰς, de quibus circa finem plura dicam.

Prædictas itaque rationes & conditiones morborum ordine deinceps explicandæ erunt, & exemplis declarandæ. Ac primum de iis verba faciamus, quos per se incurabiles esse diximus. Cumque tria sint summa morborum genera, in intemperie, in conformatione, in soluta unitate, in omnibus istis quædam immedicabilia reperiuntur. Ubi statim se offerunt plurimi morbi hæreditarii & congeniti omnis generis, quos ex utero materno infantes nati secum adferunt, in quibus scilicet natura ipsa circa primordia vitæ aberravit, vel in infelici & maligna temperatura, vel in vitiosa compositione aut divulsione partium, illarum præsertim, quarum est aliquis magnus usus, à quibus morbis nunquam tota vita sic in lucem editi penitus se explicent. Talis est cæcitas nativa. Nunquam enim auditum est homini cæco nato apertos fuisse oculos: *Ioan.* 9. hoc est, cui habitus facultatis visivæ defuit à primo exordio. Nam interdum nascuntur infantes non apertis neque divisis palpebris, sed clausis & concretis, quibus non ipsa facultas aut principale organum visionis, sed tantum conformatio instrumenti justa deest. Hæc si incisione & arte restituatur, tum actionis visivæ per accidens læsæ impedimento remoto visionis ἐνέργεια libere & recte exerceri potest. Idem de sermonis privatione in iis, qui muti nascuntur, sentiendum est,

quæ ſi non in ligamento aut vinculo linguæ: ſed vel in facultate, vel in principali organo (quod ipſum etiam ad facultatis rationem pertinet) conſiſtat, nunquam arte tolli poterit. Facultates enim à principio deficientes, ſive poſtea amiſſæ ac perditæ, nunquam reſtituere per artem medicam fas eſt. Quis enim det vocem nedum ſermonem homini, ſi pulmonem non habeat, aut laryngem non juſte temperatam & conformatam? Eadem ratio eſt ſurditatis congenitæ, & monſtroſi defectûs partis alicujus. Unde in hac re cauſa phyſica quoque eſt, cur monſtra non diu ſoleant ſupervivere, poſtquam in lucem ſunt edita, ac tanto breviore tempore vivant, quanto magis morbos in numero vel deficiente vel abundante, aut in poſitu figurave circa principalia viſcera patiuntur. Ita qui gibboſi naſcuntur, incorrigibilem habent ſpirandi difficultatem & alia incommoda. Capitis certe figura tanti momenti eſt, ut actiones cerebri ſenſuumque interiorum multum inde incommodi ſentiant, niſi ſit naturalis atque uſitata. *Hippocrates* ſcribit quosdam Macrocephalos appellatos compreſſiſſe & vinculis adſtrinxiſſe infantium nuper natorum capita, ut exiliora & longiora fierent. Ea conſuetudo tantum effecit, utejuſmod figura capitum permaneret in adultis quoque. Temporis vero progreſſu natura etiam tales produxit, ut neceſſe non eſſet conſuetudine priore cogere. Ex quo apparet maximam vim in naturæ primordiis poſitam

ſitam eſſe, qui ſi plurimum à juſto modo ac medio recedant, nemo facile corrigat, licet parvus exceſſus in infantibus forte corrigi queat: ac dubitari interdum poteſt, fuerintne infantes ejuſmodi ſic formati, vel ex mala tractatione obſtetricum in difficili partu ad tale incommodum deducti. Sic qui inſigniter diſtortis manibus vel pedibus naſcuntur, nunquam iſtius morbi moleſtias in apprehendendo & ingreſſu evitant.

Sed nihil opus eſt ſingularum partium corporis vitia talia morboſa enumerare; ex uno enim aut altero exemplo, quo res propoſita declaretur, de ſimilibus aliis judicium fieri poterit. Non enim præciſe omnes morbos hæreditarios ſpecie ſua incurabiles aſſerimus, ſed quoſdam, quos videlicet experientia tales eſſe demonſtravit. Epilepticos infantes genitos ex epilepticis parentibus, etſi non auſim affirmare plane neceſſario tali morbo ſemper adfligi vel extingui, rariſſime tamen vitales eſſe, aut diu admodum ſuperſtites credo, & recte ad hanc claſſem reponi exiſtimo caducum iſtud malum à nativitate & ſemine parentum adhæreſcens. Nam & exempla quotidiana & teſtimonia graviſſimorum autorum teſtantur, comitialem morbum etiam non hæreditarium ſæpe nullis remediis mitigari, nedum tolli poſſe. Quid dicam de elephantiaſi ex utero matris elata? quid de calculoſa & podagrica diſpoſitione, quæ etſi aliquando ſumma cura & victus accuratiſſima obſervatione non-

nihil

nihil ſublevata eſſe videtur; nunquam tamen proclivitas ad iſta mala penitus eximitur, quin leviſſimo etiam errato commiſſo illa redeant: adeſt enim & inhæret congenita impotentia naturalis ad ſanitatem integram. Multo minus defectus originalis membrorum arte reſtitui poteſt. Finge enim natos eſſe aliquos unoculos, quales ait *Plinius* fuiſſe Arimaſpos, aut unico crure, quales Monoſcelos & Sciopodas olim dictos eſſe idem teſtatur, quod in majori æſtu humi jacentes umbra ſe pedum protegerent: aut nullo ore præditos, qualem circa fontem Gangis Aſtomorum gentem, halitu tantum & odore naribus attracto viventem, deſcribit: Quem quæſo artificem reperias, qui his alterum oculum, vel pedem, vel os adjungat?

Docendi cauſa tantum hæc exempla adduco, non quod fabuloſis iſtis fidem habendam eſſe cenſeam. Quid quod nec coloris nativi alteratio poſſibilis eſt? alioqui deformes puellæ fuco nullo indigerent. *Byzantinus quidam referente Plinio fuit*, qui adulterio Æthiopis nata matre nihil à cæteris colore differente, ipſe avum regeneravit æthiopem. Huic ergo colorem nigrum, qui in album mutare conaretur, nonne inſanus fuiſſet? Inde certe proverbium extitit, quo & æthiopem lavare dicuntur, irrito ac ſtulto conatu rem impoſſibilem ſuſcipientes.

Longe igitur minus congenita fatuitas & naturale ratiocinationis depravatæ vitium, quale in

Clau-

Claudio puero Imp. Auguſtus & mater Antonia eſſe crediderunt, emendari perfecte ac tolli poterit: ſive ex temperie præternaturali, ſive ex conformatione cerebri morboſa principium duxerit, ſive ex diuturna conſuetudine etiam introductum à primis annis fuerit, quemadmodum miſeri privigni ſæpe educantur miſerrime à novercis, & hebetioris ingenii ſtupidioreſque pueri in aulis ad abſolutam amentiam, etiam data opera, ſed ingenti peccato, traducuntur, quæ deinde conſuetudo in naturam abit atque habitum. *Fernelius* exemplum recenſet viri cujuſdam Senatorii ordinis, qui ex conjuge ſana liberos omnes ſuſciperet ſurdos atque mutos. Nec raro reperiuntur, quibus nativum in inteſtinis hoc vitium eſt, ut meatus alicubi anguſtior, quam par ſit, exiſtat, & tunicæ ferme invicem cohæſerint, vel alias etiam expellendi virtutem debiliſſimam habeant, adeo ut ſex vel decem diebus vix ſemel excrementa alvi dejicere poſſint. Hoc malum etſi notas aliquas & conjecturas de ſe præbet vivente adhuc homine, certius tamen poſt mortem ſectione cognoſcitur. Ex iſtis nonnulli, quamvis nihil non experti eſſent, nullo tamen adjumento naturam illam mutare potuerunt, quanquam fieri potuit, ut longiore conſuetudine pravi victus incommodum illud in quibuſdam exaſperatum & auctum fuerit, antequam ad auxilia confugerent.

Magna igitur vis eſt in ſemine & prima ho-

minis origine, hic tota facultas formatrix viget; hinc prima rudimenta hominis qualia inchoantur, talia perpetuo permanent; hinc natura datur & essentia, quam mutare non est opus humanum; hinc exorientes proprietates, tum substantiales, tum accidentariæ, hominem usque ad vitæ finem concomitantur.

Quare non audiendi sunt, qui omnia morborum genera auferri semper posse ex hominum corporibus salvo individuo existimarunt, etiamsi aliud argumentum haberemus nullum contra ipsos, quam ex manifesta experientia morborum quorundam hæreditariorum collectum. De intemperie recitat exempla *Plinius*, his verbis: *Quibusdam perpetua febris est, ut C. Mecænati. Antipater Sidonius Poëta, omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febri, & eo consumtus est satis longa senecta.* Non autem vero simile est, nihil hos tentasse quo liberarentur. *Benivenius prorsus similem casum descripsit. Quidam Ioannes architectus,* inquit, *singulis annis stato die,* hoc est, quo natus fuerat, *febre implicabatur, quæ ex putrescente bile genita suum circuitum servans quartum & decimum non transgrediebatur diem, donec senio confectus, & eadem ex more implicitus febre, natali suo die vi morbi prostratus naturæ concessit.* Verum morbos hos forte, non ut in specie, sed in individuo, incurabiles aliquis dixerit; tametsi profecto, quo modo in his conspecti sunt, quin eodem in aliis etiam oriri possint, nihil obstat. Sed perfectiora tamen exem-

exempla alia producemus. Marasmus igitur torridus non possibilem curationem habet, nisi Deus voluerit, quemadmodum testatur præter cæteros autores etiam ipse *Avicenna:* cujus causam cui medico erudito ignotam esse putemus? Idem sentiendum de ægritudine illa, quam hecticam senectutis vocant, quando est confirmata. Tum enim non curatur, nam si esset ei ingenium, id est, remedium aut via curandi, esset morti ingenium, *inquit idem Avicenna.* Quod si adhibentur quandoque remedia, non alio istud fit fine, nisi ut interitus aliquantisper differatur, & vitæ miseræ aliqua mora adjiciatur. Audi etiam *Gal.* 10. *Meth.* 10. ubi scribit: *Indicavimus prius in hujus operis septimo, tum in libro de Marasmo, tum in libris de tuenda sanitate, fieri non posse, ut solidarum partium siccitas consummate sanetur: & si fieri id posset, utique fieri posset, ut non senesceret, qui ea virtutis ratione uteretur.*

Neque ex hoc numero eximere possem febrem pestilentem validiorem. Tametsi enim præservationis modos nequaquam contemno aut rejicio; cum sæpe multum juvent, in vehemente tamen malignitate ejus credo neminem, nisi ope & voluntate Dei singulari, servari, utcumque falsis laudibus & ad ostentationem magis, quam veritatem, confictis præconiis antidota quædam vulgo extollantur. Idque præsertim fieri statuo, si pestilentes febres sint ejusmodi, quæ statim à principio hecticæ fiant ex maligna

aëris

aëris putredine. Quomodo enim aut quibus præsidiis homunculus tantillus resistere possit aëri universaliter ac pessime infecto, cujus insignem quantitatem continuo singulisque diebus haurit, per plura etiam loca, per palati & narium foramina ad cerebrum, per asperam arteriam ad pulmones atque cor ipsum, per oscula cutis in ambitu totius corporis ad arterias, quæ tandem etiam ad cor correptum venenum effundunt. Quam igitur excogites (*Galeno ipso quærente* 3. *præcog. ex pul.* 2.) medicinam ad putredinem, quæ cor occupavit?

Quare & veteres unanimi consensu idem fassi sunt, & *Lucretius* de horribili peste Attica vere dixit: *Mussabor tacito medicina dolore*. Quare si aliqui evadunt interdum, id non nisi in miti ac lenta peste accidit, ac rarius omnino ope pharmacorum. Fuga autem remedium est ἄτεχνον, non enim curatur, qui peste nondum correptus est, sed cavendi ac præservandi tantum causa fugit. Apoplexiam quoque, cum ad eum statum & quasi speciem deducta est, ut spirationem adimat homini, solvere impossibile esse *Hippocrates* affirmat 2. *Aphor.* 42. Huic etiam ego obediens (*inquit Theodorus Prisc.*) hos sic suadeo visitari, ut eos, quos sine sensu penitus inspexero jacentes, & nimium frigidos, anhelantes tantummodo, plena eos desperatione pronunciem. Huc referenda sunt morborum genera ex venenis manifestis ac violentissimis contracta, quibus nullo modo

modo reſiſti poteſt, cum ipſorum forma & vis toto genere pernicioſa ſit, & vitæ plane inimica atque contraria, implorabilique diſſidio illam intro admiſſa tamdiu oppugnent, donec mortem tandem inferant, alia citius, alia tardius. Puellula quædam cum ſitiens caſu arripuiſſet lagenulam, in qua aqua fortis, cujus uſus eſt in metallorum & auri ab argento ſeparatione, aſſervabatur, bibit illam, & diris miſerandiſque cruciatibus periit. Nihil, ut arbitror, in natura rerum indagatum eſt hactenus, neque revelatum, quod in tali caſu opem adferre potuiſſet, & vim iſtam aquæ corroſivam prohibere, vel eroſas partes ſanare. Exempla plura commemorare non libet propter multas cauſas, præcipue autem propter pericula abuſus. Peritis & exercitatis medicis non deerunt tot etiam, quot optandum erat nunquam conſpici neque audiri in genere humano.

Cæterum morbi etiam in numero perfecte deficiente, nunquam in integrum reſtitui poſſunt, veluti cum oculus effoſſus eſt, vel auris abſciſſa, & à communitate ſpiritus caloris vitæque penitus ſegregata; ita ut cum principiis vitæ nullum amplius commercium habeat, animæque organum eſſe deſierit. Fabulæ enim abſurdiſſimæ ſunt, quæ de oleis quibuſdam circumferuntur, quæ abſciſſas & reſectas partes mortuaſque corpori vivo agglutinent reſtituantque. Ad tempus aliquod cohærent fortaſſis, vivere autem

& animatæ fieri nequeunt, ſed corrumpuntur. Dei vero iſta potentia eſt ſolius, quemadmodum Chriſtus Malcho præciſam aurem reſtituit.

Iſtis jam ſuccedunt ſolutiones continui notabiles in principalibus viſceribus, quæ omnium tam veterum, quam recentiorum medicorum conſenſu lethales eſſe ſolent.

Etenim ſi totum corpus eſt σύμπνουν & σύῤῥουν, ſecundum Hippocratem, ut una aliqua inſigniter læſa nunquam fiat, quin conſenſus etiam alias attingat, neque in illa ſola præciſe contineatur & terminetur affectio adverſa, quid de principibus cogitandum, ad quas reliquæ reſpiciunt univerſæ, à quibus dependent, alimentum, vitam, ſenſum, motum habent? Nunquam igitur ſine certa pernicie cordis aut cerebri, vulnera præſertim magna & profunda, conſpecta fuere, & quarundam quoque aliarum partium, de quibus extat *Hippocratis ſententia talis*, 6. *Aph.* 18. Κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίαν ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες. quem locum *Cornelius Celſus lib.* 5. his verbis interpretatus eſt: *Servari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portæ, cui in ſpinæ medulla percuſſa eſt, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuive circa fauces grandes venæ vel arteriæ præciſæ ſunt.* Et paulo ante hanc commonefactionem præmittit idem autor ad medicos: *Eſt prudentis hominis*, inquit,

*primum*

*primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere. Deinde ubi gravis metus ſine certa tamen diſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili ſpem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel ſefelliſſe videatur.* Libro 1. etiam de morbis Hippocrates hæc habet: *Nervus præciſus ac diſſectus non coaleſcit, neque aliquod ex tenuibus inteſtinis, neque vena ſanguiflua.* Item ante hæc: *Neceſsitatem talia habent, ut fiant hæc cum ipſa fiunt, velut verbi cauſa, in vulneribus eos, qui craſſos nervos ſauciatos habent, neceſſe eſt claudos fieri, itemque ſi muſculorum capita ſaucia ſint, præſertim eorum, qui in femoribus ſunt. Moritur autem ſi quis cerebro ſauciatus fuerit, aut ſpinali medulla, aut hepate aut ſepto tranſverſo,* (inprimis parte ejus nervoſa, Gal. 5. Meth. 9.) *aut veſica, aut vena ſanguiflua, aut corde.* Cur autem & quomodo vulnera harum partium perniciem inevitabilem adferant, non eſt hujus loci copioſius explicare.

Etſi autem ſupra ita deſcripſi ejuſmodi morbos, de quibus hic agitur, quod eorum curationum exemplum fuerit viſum nullum, non obſtare huic videtur, quod interdum nonnulli ex jam commemoratis evaſerunt: rariſſimum enim id eſt, & Dei potius voluntati auxilioque immediate adſcribendum, quam artis medicæ beneficio. Quemadmodum *Galenus* ipſe 8. *uſ. part.* 10. admirabile atq; incredibile ſpectaculũ id vocat, quod Smyrnæ in Ionia accidiſſe refert, ubi adoleſcens, vulnere in altero anteriorum ventriculorum cerebri

rebri accepto, superstes tamen fuit & servatus est. Admiramur ea quidem, quorum causæ ignorantur. Nullam vero causam habuisset *Galenus*, cur admirabilem atque incredibilem rem appellaret, si curatio talis vulneris esset methodica, & in natura possibilis. Neque diserte affirmat arte curatum hominem fuisse, sed simpliciter inquit, superstitem modo vixisse, *cum hoc loco, tum etiam 6. Aph.* 18.

De corde etiam recentiorum aliquot observationes à veterum opinione dissentiunt nonnihil, in quo quidem, cum fons vitæ nostræ sit repositus, nonnulla de ejus affectibus morbosis docendi ignaros gratia addemus. Veteres stante vita nullum graviorem morbum cordi accidere posse existimarunt, quam intemperiem, repletionem, tremorem, palpitationem, syncopen, & id genus morbos alios, vel ex materialibus causis & sanguinis humorumque vitiis, vel ex qualitatibus primis manifestis, ac flatu halituve, vel ex malignis qualitatibus, seu viribus venenatarum causarum, si non sint illæ validissimæ. Unde *Plinius*, & ante ipsum *Aristoteles*, adfirmat, quod cor noxias aut graves affectiones nullas citra vitæ discrimen & animalis interitum sustineat, sic inquiens: *Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem ilico adfert.* Causa apud philosophum est, quoniam vitæ principio perdito nihil restet unde auxilium habeant, & conservationem reli-

qua

qua, quæ ex hoc principio dependent, cujus sententiæ signum adfert ad experientia sumtum, quod scilicet in nullo animali propter sacrificia interfecto, aut alias occiso dissectoque, unquam conspecti fuerunt affectus morbidi in cordis substantia, quales in aliis partibus sæpe reperti, utpote lapides & phymata in renibus, hepate, pulmone. Pulcherrime etiam explicat causam cum Aristotele consentientem *Galenus in 5. de loc aff.* In 6. vero *Aph.* 18. sic scribit: *Quod cordis vulnus mortem necessario adferat, unum est ex iis, quæ in confesso sunt apud omnes. Nam διακοπὴ in hoc ex septo transverso glutinari nequit ob perpetuum eorum motum.* Idem 1 loc. aff. ait: *Impossibile esse, ut abscessum cor sustineat.* Recentiores tamen medici quædam annotaverunt exempla passionum ejusmodi cordis non levium, quas sustinuerit aliquando diu vivente homine. *Benivenius* in muliere vidisse se scribit frustulum nigrioris carnis in sinistro ventriculo supra arteriam, quod mespili formam haberet. Idem furis cujusdam corpus in sinistro cordis ventre abscessum pituita redundantem habuisse narrat: Et alium hominem ictum in cordis tunica convaluisse ac supervixisse; quendam item alium post obitum dissectum in sinistro cordis ventriculo obduratum habuisse nucis magnitudine callum. *Cardanus* sic sentit: *Vulneratos corde ad viginti quatuor horas vivere, si non ad ventriculos vulnus penetraverit, tunc enim statim mori, ex scirrho autem diu supervivere posse.*

*Vesalius* tradit, repertam esse post mortem nobilis cujusdam viri inter secandum in sinistro ventriculo cordis ejus miram glandulosæ carnis molem, quam diu gestaverat vivus absque alio tristi sensu doloréve cordis. *Fernelius* in quodam, qui sensim contabescens de medio tandem sublatus est, tria ulcera in corde reperit, non parum cava & sordida, multo ante jam tempore contracta. Nonnulli vermes circa cor nasci posse, idque arrodere, audent asserere. *Nicolaus Maßa* adfirmat, testibus etiam magnis nominatis, qui simul conspexerint, in anatome animadvertisse se, in dextro cordis ventriculo notabile apostema ascendens usque ad unum ostiolorum, quod ipsum quoque apostemate affectum fuisset, præterea totam auriculam sinistram cordis ulceratam cum sanie manifesta, eundemque hominem dum viveret nunquam conquestum fuisse de aliquo dolore, qui tandem non ex hac causa, sed ex capitis vulnere decesserit. *Matthias Cornax* testatur quendam bibliopolam eo anno, quo mortuus sit multa ac crebra animi deliquia esse passum. Post mortem autem (qua subito extinctus fuerat) aperto pectore inventam fuisse mediam cordis partem saniosam putredineque absumtam, quæ putrefactio in exiguo tempore tam calidum membrum adeo exedere non potuit, ut fere necessarium sit credere longius ipsam perdurasse. *Realdus Columbus* juvenem secuisse se refert, cui totum pericardium defuerit.

qui quidem ſubinde in animi deliquium antea incidens mortuo ſimilis conſpectus eſt, ac tandem iſto calamitatis genere exanimatus. Tumores ſane iſtiuſmodi, atque ulcerationes ſenſim factæ, mitiores eſſe potuerunt, quam vulnera ſunt, ſed tamen conſideratio etiam horum exemplorum eſt res horrenda.

Ac tametſi de fide eorum, qui talia memoriæ prodiderunt, dubitare non decet, tamen contra noſtram ſententiam nihil iſta exempla faciunt, verum ſtabiliunt potius eam ipſam, qua de cauſa libentius etiam recitavi. Neque enim pronunciant curatas fuiſſe has affectiones, aut curari poſſe, (excepto uno vulnere, quo tamen cor ipſum læſum non fuit) ſed potius ob id ipſum inſanabiles eſſe oſtendunt, quod non niſi extinctis hominibus demum cognitæ fuerunt. Sicut non dubium eſt à multis aliis morbis homines infeſtari, quorum certa & pathognomonica ſigna nulla habeamus. Quis enim agnoſcere queat vivo homine lapides in hepatis aut pulmonis ſubſtantia genitos? quis in pectore, pulmone aut ventriculo vermes inuſitatæ & prodigioſæ figuræ, antequam ſcilicet ejiciantur, & in conſpectum veniant? quis tumorem inteſtinorum vermibus plenum, qualem *Fallopius* aliquando reperit? quis ſcorpium in capite? de quo *Hollerius* meminit, niſi fallor.

Ex qua re factum eſt, ut præceperint principes medici, diligentiſſime de periculis hominum

 cogitan-

cogitantes, in dubiis ejuſmodi caſibus utendum eſſe remediis communibus & tutis, quæ prodeſſe aliquantum, nocere autem nihil poſſint; agnoverunt enim propria & convenientiſſima tum ignota eſſe ſolere: quod ubi ſit, ignota quoque ut ſit curationis vera & legitima ratio neceſſe eſt. *Gal.* 6. *Aph.*19. docet, vulnera ventriculi graciliumque inteſtinorum ideo percurari non poſſe, quia medicamenta applicari non poſſint ad locum ipſum affectum. Eodem modo & renum ulcera, quia in procul remotis, à loco, quo medicamenta intro aſſumuntur, partibus hærent, vim remediorum integram non accipiunt, & proinde inſanabilia exiſtimantur.

Hujus generis eſt ruptura majoris venæ aut arteriæ circa abdita & interiora viſcera, cui manum admovere non licet. Situs enim & locus iſte in poteſtate noſtra non eſt, ſed quadam naturæ neceſſitate continetur. Nihil hoc caſu ad curam perfectam faciunt iſta, quæ exhibentur, ut ſanguis ne in grumum concreſcat, aut ut concretus jam diſſolvatur & expellatur, quæque ſanguinis fluxum ſiſtunt, & ſimilia alia, ſed glutinari devulſas partes oportet, quod perficere ars non poteſt. Mitigare malum quædam, & differre interitum aliquantiſper poſſunt, ſanitatem præſtare non poſſunt. Huc quoque fiſtulæ quædam annumerandæ erant, ut quæ penetrant ad cavitatem thoracis, ad nervos magnos, ad inteſtinum: omnem enim curam reſpuere videntur,

quia inteſtinum ſectum non conſolidatur. Si tamen ſectio tentetur, utcunque ea bene procedat, ſecabitur ſimul ſphincter & reſolvetur, egredienturque fæces præter voluntatem: quæ graviora ſunt quam fiſtula ipſa. Nec ſtaphyloma, vel clavalis procidentia, cum exit uvea oculi tunica, curabilis eſt affectio, perinde ut etiam album oculi, cum totum exit propter vulnus vel ulcus, non enim tum reſtituitur oculus, quin cæcitas ſubſequatur. Exemplum diverſum à *Gal.* 4. *cauſ. Sympt.* adductum multis ſuſpectum eſt, & ille ipſe incredibile id vocat, humorisque inſtauratio non arte, ſed à natura eſt facta, ſi facta eſt.

Sic neque γλαύκωμα curatur, utcunque Plinius contra id recenſeat ab aliiscommendata auxilia. Sectione quidem plura mala corporis tolli poſſent, ſed ſectio in omnibus partibus corporis absque læſione & periculo vitæ perfici non poteſt. Nam ſi calculus veſicæ ita eximitur, ut homo moriatur; illa profecto curatio non erit. Et ſi glaucomatis curatio per ſectionem ſic inſtituatur, ut vel oculus plane excæcetur & corrumpatur, vel alius morbus in prioris locum ſuccedat, neque iſta curatio expetenda fuerit.

Cancer confirmatus præſertim, & ulceratus (ſcirrhus item confirmatus) à quo percuratus ſit, neminem adhuc fuiſſe credo: quantumvis nonnulli magna impudentia vanitateque curati hujus gloriam ſibi arrogarint. Et audivi idem affirmantes excellentiſſimos medicos ac ſenes, quo-

rum nonnulli ultra quadraginta & quinquaginta annos artem exercuerant & quidem in Italia iis locis, ubi Medicinæ rectus usus ac dignitas plurimum excolebatur, magnoque æstimabatur. Excisi etiam cancri ejusmodi in exterioribus membris tamen recruduerunt, ac nonnunquam redierunt sæviores, quam initio fuerant. *Vide Galenum 6. Aph. 38.*

Ulterius à phthisi correptus proprie sic dicta, quæ cum pulmonis exulceratione conjungitur, sanitatem recuperare non potest, quoniam situs remotior & motus perpetuus impediunt, quo minus medicamenta idonea statim vel in tempore pulmoni applicentur, & ulcus consolidetur. Ac valde latens & abditum hoc vitium est, præsertim in principio (ubi aliquando opem adferre licet ulceribus pulmonum) quod ipsum rei periculum vehementer auget. Unde *Ovidius* ab experientia edoctus vere hoc scripsisse omnium approbatione judicatur:

*Cernis ut è molli sanguis pulmone remissus,*
*Ad Stygias certo limite ducat aquas.*

In eundem sensum loquitur Galenus 4. loc. aff. non procul à fine: *Externas putridas partes abscindere & urere possumus, pulmoni vero horum auxiliorum neutrum adhibere licet. Quapropter omnes sic affectos perire necesse est.* Idem fere dicit 7. Aphor. 37. in libr. 5. meth. 8. cap. scribit: *Ulcera pulmonis & vasorum ejus in principio glutinari posse, sed si ea semel phlegmone invaserit, exiguam spem eße illo-*

*rum*

*rum glutinandorum, in longius tamen extrahi posse tempus.* Et ibidem: *Non igitur propterea, quod in perpetuo propter respirationem motu hoc viscus est, desperata curatio est, sed propter saniei ac puris vacuationem, quæ scilicet fieri non potest per pulmonem.* Quanquam fatetur motum valde etiam impedire. Non enim agites si qua coire velis.

Σφάκελος vel sideratio (Germani frigidum ignem appellare solent) qua partes aliquæ corporis humani nonnunquam corruptione perfecta emoriuntur, sensu, motu, vitaque omni destitutæ, malum est immedicabile, quod *ense recidendum est, ne pars syncera trahatur*, quod ultimum est in hoc casu vitæ conservandæ præsidium. At vulgus quidem, tum putat laborantem sanationem consecutum esse, si vita non una extinguatur, & pars mutilata cicatrice obducatur. Sed quæ hæc est sanitas, cum morbus in numero deficiente perpetuus relinquatur, qui & actiones lædat, & insigniter lædat? Ita si quis res acutas deglutiat, ut acus (quod fœminæ cuidam Italicæ, dum sese vestit atque exornat, contigisse ex *Antonio Froranzano* medico magni nominis audivi) quis tales eximat? Si purgantia aut vomitoria aut diuretica des, metus erit, ne parte acutiore infixâ sensibilibus partibus majus periculum creent.

Non igitur curatio tum suscipienda est, quæ fieri arte nulla potest, neque spe probabili aut bona, nisi Deus, aut casus felicior aliquis ita eventum

eventum cum ſalute procuret, ut natura ipſa protrudat per regiones convenientes abſque noxa acus æreas vel ſimiles res alias: Ut quidem ſane interdum ejecit innoxie per abſceſſum foras apertum, aut per ſeceſſum, aut per urinas admiranda profecto circumductione, per ventriculum, inteſtina ſuperiora, venas meſaraicas, venam portæ, hepar, venam cavam, venas emulgentes, renes, ureteres, veſicam, idque exiguo temporis ſpacio, ut veriſimile non ſit acus viam aliam perforando ſibi quæſiviſſe. Sed artis tamen ibi nulla efficacia, quod probare hic volumus.

Convulſio ex ſiccitate nimia periculoſiſſima eſt, unde *Hippocrates* dixit: *Febrem convulſione ſupervenire melius eſſe, quam ſi contrarium eveniat.* Nam ſi febrem illa ſequatur, intemperiei ſiccæ præcedentis argumentum erit, quæ aut nunquam, aut rariſſime in ſtatum juſtum reſtituitur. Quamobrem propemodum immedicabile eſſe malum pronunciat *Galenus*.

Sed ſi quis hunc affectum, & quoſdam fortaſſis alios, in numerum ſimpliciter ac ſpecie incurabilium non recipere volet, non admodum repugnabo. Adhærent enim quibuſdam limitationes certæ, non omnino à ſpe ſalutis alienæ, quas minime repudiandas cenſeo, cum optandum utique ſit, quam pauciſſimos relinqui morbos incurabiles. Illud tamen conſtat, in multis ac pleriſque corporibus eſſe hos natura ſua inſanabiles

biles ; quod propoſito noſtro demonſtrando ſufficit.

Hæc igitvr dicta ſint nobis de incurabilibus per ſe morbis, quorum exempla ſatis multa absque dubitatione ad hanc claſſem pertinentia hactenus recenſuimus.

Nvnc ad eas tranſibimus cauſas, quibus fit interdum, ut morbo ſua natura ſalubri auxilium tamen adferri, & inſanitas ex corpore auferri non queat. Cujus probatio evidentiſſima ab experientia ſumitur, cum nihil ſit frequentius quam morbos multos non curari, *καὶ θεραπείας μὴ τυχεῖν, ut loquitur Galenus*; quos tamen in aliis quam plurimis ſanari contingat, cum homo aliquis extinguatur ægritudine, à qua infiniti alii fuerunt antea liberati. Hujuſmodi morbos *per accidens incurabiles* nominamus, quorum plures cauſæ ſunt, quas ad certa capita & genera reduci aliquo modo poſſe ſupra monuimus. Non enim ſimpliciter ſua natura incurabiles exiſtunt, ſed impedimenti & accidentis cujuſdam tantummodo gratia curationem aſpernantur, cum alioqui quod ad ſpem illorum attinet, ſoleant ſæpius & plerunque curari, quod quidem accidens non neceſſario, ſed raro adeſt, & utplurimum aut voluntate, negligentia, vitio, culpaque hominum, aut caſu quodam, ſanitati reducendæ impedimento eſt. Errata quoque in hoc genere commiſſa ejuſmodi ſunt, ut ſæpe vitari queant à peritis & diligentibus. Solam ætatem & Dei

judicium

judicium in poteſtate non habemus, & tamen in ipſa ætate etiam plurimum efficit ars medica pro abigendis morbis, qui per ſe inſanabiles non ſunt, neque omnem operam in curandis ſenibus ludit.

Caſus vero eſt cauſa ἀόριστος, quæ ſub artem non cadit. In reliquis quæ ad ægrum, medicum, pharmacopæum, & adſtantes pertinent, pleræque ſunt ἑκούσια infortunia, adeo ut morbi manifeſto protrahantur, exaſperentur, & in deterius eorundem culpa vertantur.

Itaque inter hæc genera, quæ ſupra enumeravimus, primo loco collocamus DEVM ſeu FATVM, ſeu ut nonnullis loqui libet, PRÆDESTINATIONEM DIVINAM, plerumque occultam & abditam nobis, ante eventum præſertim. Quæ cauſa cum præſto eſt, & mori hominem jubet, aut ex morbo convaleſcere vetat, quid huic quæſo opponendum eſt, cum ſit omnipotens? Hanc conſiderantes medicos nonnulli ſalſe deridere ſolent, ſed minime ego ridiculum eſſe cenſeo, idque, niſi me fallit opinio, demonſtrabo.

Docet nos vox cœleſtis tolli juſtos voluntate Dei, ne videant ventura mala, & puniri etiam impios ac ſceleratos brevi vita, quemadmodum *Pſalmus* 55. inquit: *Viri ſanguinum & doloſi dimidium non attingent dierum ſuorum.* Hoc modo Deus Antiochum, & Herodem, & filium regis Ieroboam inſanabilibus morbis afflixit: Uſiam item,

tem, quod contra legem ſacrificaret leprâ, Syllam phthiriaſi: Joram regem Judæ cruciatu inteſtinorum lethali. Multi in periculis ac doloribus conſtituti conſulunt magos, & Deus poſtea punit vel morbo inſanabili, vel morte, quod accidit Ahaſiæ regi Iſraelitico. Ita ergo fieri poteſt, ut certo conſilio Deus non velit ægrum convaleſcere aliquando, vel quod ablatione vitæ eum vult punire ut impium, vel liberare ut pium à peccatis & malis impendentibus. Ut enim præter ſpem hominum interdum ſervat & ſanat, ita præter ſpem etiam mori jubet, ac jubente ipſo quilibet exiguus morbus fit exitioſus & lethalis. Jobum à Satana afflictum miſerrime, eo uſque, ut à vertice capitis uſque ad plantam pedis non eſſet pars ſana in eo, ſanum fecit Deus. Chriſtus etiam multos cæcos, ſurdos, leproſos, claudos, mutos, paralyticos, lunaticos, mortuos curavit & reſuſcitavit.

E contra, quis à Valente Imper. tremorem manus, cum ſubſcribere non poſſet decreto, quo exulare jubebat *Baſilium* propter Arrianos, removeret? aut quis reſtitueret manum Jeroboam regis, extentam contra Prophetam, torridam & rigentem? Quam claris verbis inquit Moſes ex ore Dei: *Percutiam te plaga Ægypti, & ulcere atque ſcabie inſanabili!*

Huc addo etiam exempla, quibus mediate Deus punit ſcelera & peccata hominum. Immedicabilis fuit ope humana cæcitas, qua Ely-

mas

mas magus Paulo Apoſtolo mandante correptu
eſt. Quæ etiam vis humana Heliodorum per
cuſſum ab angelis conſervaret? Ut enim mira
culoſæ ſanationes per homines ſanctos Deoqu
plenos aliis ſunt inimitabiles, quo modo Heli
ſeus Naaman Syrum à lepra liberavit, & Petru
claudum ex nativitate ambulare fecit: ita mira
culoſæ afflictiones morbidæ (nam de his tantur
nunc agimus) per eoſdem à Deo immiſſæ, et
iam incurabiles ſunt aliis ope naturali.

Hanc autem cauſam non ſemper agnoſcimu
immediate & à priori, neque eſt ſane illa præ
texenda ignaviæ & inſcitiæ & avaritiæ, ut ſi ho
mines, vel metu ſumtuum faciendorum, vel per
verſitate morum remediis non uſi, vel imperiti
medicorum non recte curati, moriantur, ſem
per confugiendum huc putemus, quaſi perpetu
Dei voluntas talis fuerit, quæ hominem reſtitu
noluerit: Sed quando omnia, quæ fieri potuerun
ac debuerunt, rite facta adhibitaque fuerint, &
tamen perſtet aut interimat morbus, tum de
mum recte ac pie ſtatuendum eſt, ita Deo viſur
fuiſſe, ne æger ex illo evaderet, & patienter De
voluntati nos ſubjiciamus, cum ſciamus, capil
los univerſos capitis noſtri numeratos eſſe, ne
quenquam ex iis defluere abſque voluntate Patr
cœleſtis.

Hoc niſi ita fecerimus, in periculo verſabimu
peccati ejus, quo tentatur Deus. Vult ille no
laborare, in officio diligentes eſſe, uti re & art
medica

medica, vitam non negligere aut ſponte abjicere. Deinde vult nos etiam non confidere nimium præſidiis naturalibus, cum non ad hanc ærumnoſam ſolum, ſed aliam æternam quoque ſimus conditi vitam, ad quam aliquando oportet tranſire relicta hac, qua nunc fruimur. Agricola ſementem facit, & arat terram, cœli & aër fœcundant res naſcentes, niſi tamen adſit benedictio Domini fruſtra illa fiunt & adſunt, ſecundæ etenim cauſæ præſupponunt primam. Sic vivimus quidem ex pane, ſani ſumus εὐκρασίᾳ & συμμετρίᾳ corporis & ope remediorum, non tamen his ſolis nutrimur & valemus, ſed ex omni verbo quod egreditur ex ore Dei.

Magna igitur & deteſtanda temeritas eſt, certam ſemper polliceri reſtitutionem, ſanitatis vitæque prorogationem, cum Deus ſit vita noſtra & longitudo dierum noſtrorum. Abſurdiſſimum quoque & ſtultiſſimum eſt, in promiſſione ſalutis excipere cauſas naturales & adjuvantes alias, verbi gratia, obedientiam ægri & ſimilia, non vero excipere cauſam omnium ſupremam, à qua inferiora cuncta diriguntur & conſervantur. Manes horribiles pœnas dedit, quamquam impii ſui dogmatis præcipue; tamen etiam temere polliciti auxilii, filium enim Perſici regis, cum, ut promiſerat, non ſanaſſet, cutis ipſi toto corpore detracta fuit. Gabriel quoque Zerbus, cujus filii Aloyſii hoſpitio & convictu ego uſus ſum Patavii, cum ſatrapam quendam Turcicum

in Illyrico vel Myſia propinqua ſanare non potuiſſet, ſatellitum gladiis conciſus eſt. Sed pius medicus non infamiam ſolum & pœnam temporalem metuat, multo magis & curando & præſagiendo reſpiciat ad hanc cauſam, huncque honorem DEO tribuat, ut ab ipſo felicem ſucceſſum artis ſuæ petat, & ægro operam ſuam fidelem promittat, hac tamen exceptione, qua etiam Plato uſus eſt, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ: quamquam Arabici ſcriptores frequenter in ore habent: ſi Deus voluerit. Ipſius enim cura ſumus, ipſe pater eſt & quidem noſter, ipſe fecit nos & non ipſi nos, ipſe novit quid conducat nobis, & certe ſæpe præſtat mori quam vivere, ne poſteriora fiant nobiſcum deteriora prioribus, cujus beati exitus tempus optimum novit ipſe.

Idem intelligere poſſumus, ut arbitror apud *Hippocratem, cum jubet obſervare num divinum aliquid inſit in morbis.* Etſi enim alii divinum illud de aëre, alii aliter exponunt; nihil tamen vetat nos huc referre, & pro Dei voluntate ac decreto accipere, ſive Hippocrates aliquos, ſive nullos morbos ad Deum referendos cenſuerit.

Reperti ſunt noſtro tempore, qui publicis ſcriptis negarint peſtem immediate interdum à Deo immitti, aut immediate tolli morbos ullos, à quorum ſententia toto pectore abhorreo. Chriſtus ne unquam ſic ſanavit inquiunt? Reſpondeo, imo quam ſæpiſſime. Cum verbis excitat mortuos, cum leproſos mundat, cum ejicit dæmo-

dæmonia, quæ ſunt ibi actiones cauſarum ſecundarum vel mediatarum? niſi ideo forte mediatam opem vocare velis, quia ſubjecto certo ſalutem attulerit, quod ſane eſſet perridiculum. At creatio eſt dicunt, ſi ſic agat Deus? à qua ſexto die receſſit & quievit. Nego, quia creatio proprie ſubſtantiis debetur, morbus autem & ſanitas non ſubſtantiæ ſunt, quare non creata, ſed reſtituta dicitur ſanitas amiſſa: Ut taceam Deum ſexto die non ſic quieviſſe, ut creationis poteſtatem depoſuerit, ſed cum mundum ſpecierum numero jam pro ſua voluntate perfeciſſet, addere alios plures noluit, & hoc Scriptura nominat eo loco quietem Dei. An permutationem ſubitam ſubſtantiarum & ſpecierum, nulla præſente materiæ propinquæ & naturæ diſpoſitione, qualem aliquoties factam eſſe legimus, opus creationis vel creationi par eſſe non concedes? ut quando Lothi uxor in ſtatuam ſalis, baculus Moſis in ſerpentem, aqua Cananæa in vinum tranſmutata eſt. Produco aliud minutius, quadraginta annis totis calcei Iſraëlitarum non ſunt attriti in deſerto, dic tu cauſam ſecundam vel concauſam, aut nega liberrimam & omnipotentem providentiam Dei. Sed hanc rem pluribus perſequi nolo.

Quod autem nos hoc loco tribuimus Deo interdum, quod ſcilicet ſingulari ſua voluntate ex hac vita hominem decedere jubeat, id nonnulli volunt plane eſſe univerſale, atque de omnibus

morientibus hanc causam adferunt. Illud quidem haud dubie pro vero tenendum est, neminem mori, nisi Deus permittat, neminem etiam mortem effugere posse aut differre, quando Deus ipsam imperet, neque de ejus potestate est quæstio, sed de voluntate, an videlicet semper homine moriente ita voluerit fieri Deus, & non alio modo. Isti ab æterno & à prima hominis origine unicuique fatalem & inevitabilem terminum vitæ præscriptum esse contendunt, quod mihi nulla autoritate ratione ve facere videntur. Nam ratio plane contrarium demonstrat.

Quid enim alioqui piorum preces valeant, quibus constat, quam plurimis vitam fuisse longiorem impetratam, imo ex morte etiam revocatam? Prorogavit Deus vitam Ezechiæ regi, cui antea obitum denunciaverat, non generali solum illa hora, quam fatalem multi statuere conantur, sed speciali quoque prophetæ voce, quemadmodum & Ninivitarum universo populo. Deinde cur honorantibus parentes additur promissio vitæ longævæ? & impiis, inter reliquas comminationes, vitæ insuper brevis pœna proponitur? Sicut Eli Pontifici summo prædicit Dominus, fore, ut ex posteritate ipsius nullus sacerdos fiat senex. Ita punit ergo Deus sæpe, ut ante diem pereant non sicca morte tyranni ac scelerati. Quomodo autem hoc pœnæ rationem habebit, si alioqui idem finis futurus est, sive pie, sive impie homo vivet? & quomodo constabit sibi

sibi Deus, dum minatur se facturum, quod etiam absque hac comminatione futurum erat, nempe ex vi horæ fatalis? Cur item mali ipsi causa sunt vitæ abruptæ, præter Dei sententiam? Non enim certe sentiendum est, Deum fuisse causam necis Saulis & Iudæ, ut scilicet sibi adferrent manus, ne ultra inevitabilem immotamque metam viverent. Dum Iosias rex moto bello non necessario interficitur, dumque Iudæi contra voluntatem Dei conantes suo consilio irrumpere in terram promissam cæduntur, non erat fatalis iste exitus, neque necessario ipsis constitutus; si enim monitis salutaribus paruissent, non utique cecidissent. Moses propter diffidentiam suam mori jubetur, & ab ingressu terræ promissæ excluditur. Hoc modo nisi Deum offendisset, diutius victurus fuerat. Qui desertis conjuge ac liberis bella & pericula non necessaria quærit, sua culpa perit, & pœnas luit ante tempus temere relictæ vocationis, si forte trucidatus intereat.

Autoritate nituntur tamen Syracidæ cap. 17. qui contrariam sententiam amplectuntur, ubi sic scribitur: *Numerum dierum & tempus dedit illi*; quæ sententia planissime intelligi debet. Cur enim non dicatur Deus numerum & tempus dedisse homini, qui nunc certe post lapsum generis humani non est immortalis, sed finitos habet moriendi dies. Ante lapsum quidem quis numerus dierum, & quod tempus futurum fuisset in-

explicatum habemus. Iobi etiam 14. capite ſic loquentis citant verba. *Breves dies hominis ſunt.* concedimus: *Numerus menſium ejus apud te eſt.* concedimus; quid enim ignoret Deus? *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* concedimus; Nemo enim prorogare vitam ſibi poteſt præter voluntatem divinam, ut nemo poteſt longitudini ſuæ apponere ulnam, & cum jubet Deus mori (ut Moſi dicebat, morere) non eſt qui eripiat. Conſtituit item terminum vitæ humanæ poſt diluvium longe breviorem mortalibus. Moſes enim Pſal. 90. conqueritur: *Vitam hominis redactam eſſe ad* 70. *&* 80. *annos.* Itaque hic etiam valet illa regula, prævíſio non adfert neceſſitatem. Quanta vero patientia dat etiam inducias impiis, ut pœnitentiam agant, hoc eſt, concedit plures vitæ annos? Quamobrem pii ſic inſtructi & animati ſemper ſint, ut quacunque hora Dominus venerit, ipſi parati reperiantur ad emigrandum, atque hæc, quæ dixi, non credo adverſari veræ pietati, nec tamen contendo, ſed meam ſententiam tantum indico.

Aliis vero, qui contrarium tuentur, confugiendum erit ad Stoicam quandam neceſſitatem. Hoc igitur teneamus, fieri non raro, ut morbi exigui & benigniores tamen homini fiant vel incurabiles, vel cauſa mortis non ſperatæ, ita ſtatuente Deo, & tum mirandum non eſſe, ſi ars medica nihil queat adferre opis.

POST HÆC numeramus morbos, quicunque

que PRÆSTIGIIS DIABOLICIS excitati infestare homines solent, per magos & ἐπωδὰς, vetitis ac sceleratis artibus, incantationibus, veneficiisve immissi, aut à Satana ipso orti immediate, quorum causa cum sit Diabolus (de quo pii & sapientes non ambigunt) cui naturale nihil contrarium est, incurabiles haud dubie arti medicæ resistunt, neque ei ulla ratione subjiciuntur, ac naturæ limites plane transcendunt, sive veri illi sint, sive apparentes morbi.

Frustra obganniunt nobis magi, naturalia esse quibus utantur, & naturalium causarum viribus tum morbos ejusmodi, tum morborum fugas fieri, cum certum sit, & à multis piis eruditisque patribus & aliis abunde demonstratum, omnia talia non nisi causarum naturalium negatione accidere, de quo non opus est nos plura sic disputare. Et exempla, quorum nonnulla *Fernelius* & *Benivenius* commemorant, satis comprobarunt, omnibus physicis remediis adhibitis etiam efficacissimis, nihil tamen profectum fuisse, donec palam factum sit, vel obsessos fuisse spiritu immundo miserrimos ægros, vel ejusdem opera alioqui afflictos, quo recedente, aut præstigiis ejus, precibus sanctorum profligatis, sua sponte fœda & horrenda symptomata statim & per se cessavisse.

Etsi igitur magorum opera interdum morbi tolli videntur, naturalibus tamen mediis id nequaquam perficitur, sed quo autore facti erant,

eodem etiam evanescunt, quo auxilii genere Christianis minime uti licet. Si autem precibus & fide firma repugnent homines, ac Dei fiducia, nisi etiam abigant hujus generis morbos aut vincant, utentes interim medicamentis concessis, magis ea curatio fidei & Deo quam medicamentis adscribenda erit. Relinquitur ergo istiusmodi mala, quo ad artem esse ἐπέκεινα τῆς ἰατρικῆς & incurabilia.

Quamquam dolendum certe nimium est, tam multos hodie superstitiosos & Dei mandatorum tam negligentes reperiri, qui morbum quemlibet statim ad incantamenta referant & iisdem quoque tolli satagant, quos non mirum est, si Deus punit deinde gravius reprobo sensu atque aliis malis. In fide Christiana recte institutum decet omni vita timere Deum; voluntatem ejus discere ac scire; fugere pacta & commercia cum malis spiritibus vel eorum ministris quibuscunque: ab iis nullam petere opem; sed cum Iobo dicere: *Etiamsi occidat me, tamen sperabo in eum:* quotidie ardentibus precibus se suamque salutem animæ atque corporis commendare Deo, ut tuta sit ab insidiis Satanæ; & deinde in fide firma patienter ferre crucem, quæcunque ferenda imposita fuerit; concessa & naturalia auxilia non negligere; ea si quando non multum præstiterint commodi, non desperare, nec contra Deum fremere & confugere ad illicita media: Quæ præcepta non ex medicinæ, sed Ecclesiæ

fontibus

fontibus haurienda & ad usum transferenda sunt. Quæ autem media in naturalium numero habenda sint, & quæ repudianda, id non est instituti hujus explicare.

Ad magistratus primo officium pertinet magos & maleficos ex civitatibus provinciisque rejicere ac tollere, ne imperitum vulgus ab iis seducatur. Deinde est controversia hæc multorum scriptis dilucide illustrata (nam nec medici veteres quidem à vetitis superstitiosisque modis medendi semper se abstinuerunt) ut nemo facile ignorantiam in hac re prætexere queat.

TERTIO LOCO statuimus FATVM PHYSICVM, sive necessitatem naturæ quodam ordine consequentem, quæ nimirum talis est: ut cum

*Certa quidem finis vitæ mortalibus adstet,*
*Nec devitari lethum pote, quin obeamus.*

Iuxta Lucretium, illam corruptionem ultimam necesse sit præcedere multas corrumpentes alterationes, & quasi mortis nuncios, in aliis majores, in aliis minores, aut pauciores, quæ utique si omnes abigi ac præcaveri possent semper, hoc est, si morbi omnes in universum essent curabiles, contingeret etiam mortem aliquando non esse necessariam, quod fieri non posse cum sacris literis tum quotidiana experientia docemur. Mors enim pœna universalis est, ita dicente Apostolo Paulo: *Pervasit mors in omnes, quia omnes peccaverunt*; & Psalmographo: *Non est homo,*

*qui vivat, qui non etiam moriatur, qui eripiat vitam ſuam à violentia ſepulcri.* Hoc divino ſtatuto ſic accidiſſe novimus Chriſtiani, philoſophis aliter demonſtrare conantibus ex materiæ ratione. Decreſcit igitur ſubinde poſt vigorem & ætatis ſtatum vis naturæ roburque corporis noſtri, & facultatum efficacitates imminuuntur, temperamenta labefactantur. Hinc immenſa congeries debilitatarum actionum in animali, vitali & naturali facultatibus, &

*——— Circumſilit agmine denſo*
*Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,*
*Promtus expediam quot amaverit Hippia mœchos,*
*Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.*

Unde à veteribus prudenter dictum eſt, φόβου τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον; *Time ſenectam, ſola namque non venit.* Imo Terentius *non ſolum morbos adferre ſecum ſenectutem, ſed ipſum morbum eſſe* pronunciavit, non poëtice ſolum ſed vere etiam; eſt enim propinquiſſimo gradu juxta mortem conſtituta, ordine quodam, ut dixi naturæ ineluctabili. Tum, ut ſcribit *Plinius:* hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta, &c. Ergo pro miraculo & id ſolitarium reperitur exemplum, Xenophilum muſicum centum & quinque annis vixiſſe ſine ullo corporis incommodo. Finge igitur feliciſſimum vitæ curſum alicujus, expertem omnis morbi & calamitatis corporeæ, qualem Plinius ex fabuloſo figmento

gmento de Hyperboreis recensuit *lib. 4. cap. 12.* aut qualem fere in Asclepiade observatum esse idem memoriæ prodidit. At num idcirco contra mortem vel mortis causam remedium habuit? qui cum sponsionem fecisset cum fortuna, ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse, tandem tamen suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Et hujus felicitatem quidem anteactæ vitæ (si vere talis fuit) optare quis poterit, arte autem comparare nunquam poterit.

Cum igitur vitæ terminus instat, quo non ὑπὲρ μόρον, sed tempestive etiam annis saturati decrepiti senes mori dicuntur (senii autem latitudo quædam est, & alii aliis citius incommoda hujus persentiunt) tum verissima sunt illa, destillationes & gravedines in valde senibus non maturantur, diuturnis enim morbis correpti senes fere una moriuntur, 2. *Aphoris.* 39. *&* 20. Senes item spirandi difficultates, destillationes cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexia, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum & aurium humiditates, visus obtusior, glaucomata, auditus hebetior, cæterique id genus affectus ex frigidis humoribus ortum habentes (qui à quibusdam juvenibus etiam, nedum à senibus, difficulter percoquuntur) sicut coli & splenis affectus frigidi, spinæ item perversiones contortionesque, ad mortem usque comitari solent.

*Vide*

*Vide Gal. loco citato causas explicantem, & 3. Apho*
31. In juvenili quidem & forti corpore omni faciliora sunt, cæteris paribus, ubi naturam ad juvantem & valentem habet medicus, sed in se nili cuncta fere sunt adversa. Idque eo magis se nibus accidit, quo imbecilliores aliquas partes nativitate habuerint. Ea causa est, quod alii plu patiuntur circa pectoris partes, alii circa caput & sensuum organa, alii ventriculi, intestinorum renum, vesicæ affectionibus plus obnoxii sun Idem de aliis partibus sentiendum.

Deinde plurimum momenti in hac re hab (ut scilicet senibus accidant istiusmodi morbi di ficiliores) ratio cœli atque aëris, ratioque vict & diæta in rebus non naturalibus. Multum eni refert, si quis in aëre non salubri, nec convenie te cum temperamento corporis sui vixit, a ebrius & ingluviei deditus ætatem transegit, v immodicis laboribus diuturnisque curis exha stus est. qui vero non ita, eum verisimile est m nus etiam ægrotaturum.

Si igitur aliquis istorum morborum seni alic tali accidat (qui quidem non necessario insu senibus, sed si insunt cum periculo insunt, & i terdum nullo ingenio amoveri possunt) ille quærat omnimodam solutionem mali. Sed finem se præparet, interimque placide conte tus sit, si ita mitigari possit, ut tolerabile aliq fiat modo, neque subinde increscat & deteri fiat.

H

Hæc nota eſſe conveniebat hominibus, cum nihil alienum, ſed maxime propriam naturæ noſtræ conditionem ob oculos ponant. Quale enim eſſe dicemus, hominem eo uſq; ſanitatis appetentem eſſe, ut nunquam de morte etiam & ex hac vita diſceſſione cogitet, aut ad illam animum conformet? Vult certe hoc fieri Eccleſiaſtes cap. ult. ubi venuſtiſſimis figuris ex ipſa natura ſumtis ſenectam deſcribit his verbis: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, antequam obſcurentur Sol & Lumen & Stellæ & Luna, & revertantur nubes poſt pluviam. Quando contremiſcent cuſtodes domus, & nutabunt viri fortes, & ocioſæ erunt molentes in minuto numero, caligabunt videntes per foramina, & claudentur oſtia in platea, vox molentum obſcurior erit, & ſurgent ad vocem volucris, inclinabuntur omnes filiæ carminis. excelſa quoque formidabunt in via, florebit amygdalus, onerabuntur locuſtæ & peribit voluptas. Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circumibunt in platea plangentes: antequam rumpatur funiculus argenteus, & decurrat fons aureus, conteraturque hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam, & revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quapropter concludendum eſt hac etiam de cauſa ſæpenumero contingere, ut aliqui morbi ab homine tali ætate tolli non poſſint.

IN MEDICO duplex cauſa eſſe poteſt non curati

curati morbi, una quæ ipsum meritò reprehen-dendum non efficiat, altera culpæ expertem esse non sinat. Quam late autem patet medici tot[i] scientia atque officium; ita etiam hoc caput la[tis]tissime se extendit. Ingens enim pelagus est me-dicina, ac merito pro temerario habendus, qu[i] ipsam universam tenere se autumat. Sed nos i[n] pauca contrahemus.

Potest igitur medicus etiam eruditus & rect[e] ac præclare artem tenens (quantum fieri potes[t] præsupponimus enim nunc optimum) natura[li] quadam imbecillitate, nonnunquam à fine sp[e]-rato aberrare. Si enim geometer non omni[a] particularia exactissime semper demonstrat, ne[c] musicus semper & ubique optime canit, ne[c] quisquam artifex reperitur, qui nunquam ali[e]-num quid vel non optime congruens agat, qui[d] de medico dicendum erit, qui artifex est sequen[s] sensum, in quo causæ esse possunt errorum plu-rimæ, quod clarius perspicietur infra, ubi d[e] morbo agemus. Ut plurimum ergo cogitur con-jecturis uti, nequaquam vero semper demon-strationes adhibet, præsertim cum vita homin[is] ipsa brevis sit, ars longa & amplissimo ambit[u] circumscripta, occasio præceps, experientia pe-riculosa & judicium difficile, propter multas ra-tiones, quæ alibi explicandæ sunt.

Estque cum in universa naturæ contemplatio-ne (teste Cicerone) tum vero præcipue in me-dicis actionibus, cognitio omnis humana mult[is]

obstruct[a]

obstructa difficultatibus, eaque est, & in ipsis rebus obscuritas, & in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa & doctissimi & antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, nonnunquam diffisi sint. Tamen nec illi prorsus defecerunt, neque nos studium exquirendi defatigatos relinquere par est, quanquam in singularibus omnibus ad optatam metam pervenire nequeamus. Fateamur tamen errare nos posse. Neque solum de præsagiis, sed de omnibus aliis medici operibus verum est, quod Galenus scribit in fine Prognosticorum: *Nunquam errare supra hominem esse, rarißime autem solius artificis.* Idem 1. lib. de pulsuum dignotione pronunciat, *tantam in pulsibus solis addiscendis difficultatem esse & obscuritatem, ut tota vita hominis illi cognitioni atque exercitationi tribuenda videatur.* Idem etiam 8. meth. fatetur, modestia laudanda: *ego vero*, inquit, *nec in omnibus ægrotantibus fateor exacte me scire in primo die affectum, nec ullam diariam febrem me posse fugere.* Et 1. de diebus decret. *Non dico de tali speculatione* (prædictionum scilicet) *fretum nunquam falli posse, sed majore ex parte veritatem assequi non probabili sermone verum reipsa ostendi.* In tertio quoque comm. prognost. scribit: *Nos enim quamvis non perpetuo, sæpius tamen quam empirici, ut futura præsagiendo sic ægros curando, finem artis consequimur.* Et recte, siquidem artifex satisfacit officio, si nihil eorum, quæ ars requirit omittat, tametsi sanatio aut effectus non semper

conse-

consequatur, nam aliud est finis, aliud effect
artis.

Præter hæc cum ipse Hippocrat. in lib. de ve
teri medicina aperte dixerit: *Etiam eum medicu vehementer laudarim, qui parum delinquat, certit dinem autem exactam raro videre contingit:* Nem nem equidem facile crediderim tam esse aut a rogantem aut impudentem, qui gloriari aut omnes ægros se curasse, quibus operam sua pollicitus sit. quod etsi arti fortassis possibi quis exstimet (ut non est simpliciter) non ob tamen uni etiam homini artifici possibile fuer Requiritur sane in medico perfecto, aut ad pe fectionem saltem tendente, ut ne contemtis b nis moribus opinioni sapientiæ magis quam v ritati studeat, sed Galeni rationem sequatur, q non heri aut nudius tertius, sed statim ab adol scentia se ad philosophiæ studium contulisse a firmat, & quo tempore alii urbem salutando l strarent, cumque divitibus cœnarent, eosder que comitarentur, hoc toto diligenter se lab rasse, primum, quidem cuncta, quæ veterib pulcre essent inventa, ut disceret, mox eade opere cum indicaret, tum exerceret.

Itaque in libro de constit. art. med. permul recenset, quæ requirantur ad medicum, qui f turus sit præstans, & ad omne genus erudition excellens. *Primum* est ὀξεῖα φύσις, natura sole & ingenium docile atque acutum. *Dein* ἄσκησ exercitatio, præcipue mathematicarum artium

pra

præceptores etiam præſtantiſſimi; ἔτι φιλοπονώτατον, patientia laboris atque aſſiduitatis: veritatis ſtudium & amor, quo pertinet etiam probitas juxta Hippocratis ὅρκον: perceptio & cognitio methodi, qua vera à falſis diſcernantur, per quam intelligit dialecticam. Tandem exercitium methodi ejus & uſus multiplex demonſtrationum, ut uti ea poſſit & judicio acri in omnibus verſetur: *Quemadmodum enim artifices mechanici ut plurimum errant abſque perpendiculo & norma; ita medicus ſine methodo ſi ſanat aliquando, non arte ſed caſu & fortuna id facit.* Nobis autem ante omnia adjungenda eſt pietas & ardens invocatio auxilii divini. Quæ enim omnibus hominibus à Deo in genere præcepta ſunt, medicus in ſpecie etiam ad ſe pertinere exiſtimet, ut ſcilicet in tractatione artis timeat Deum, diligens ſit in vocatione ſua, amans proximi ſerio, careat potius præmiis quam incertum quid & periculoſum tentet aut ſuſcipiat, &c.

Hippocrates omnis boni in Medicina autor, νόμῳ, hos duces in medico requirit: *Naturam, doctrinam, locum ſtudiis aptum, inſtitutionem à puero, induſtriam, tempus.* Hæc quidem & antedicta omnibus pari felicitate adeſſe non poſſunt, ſed tamen ſtudio, aſſiduitate & pertinacia quadam diligentiæ id aſſequi ingenioſi poſſunt, ut artis methodum recte perdiſcant, & quod in exercitatione ejuſdem ſequantur præclare teneant. De his tamen ipſis adfirmamus, fieri poſſe, ut

interdum (quamquam rarius) hallucinentur, & à methodi rectissima via aliquantum declinent, præsertim in intricatis ac difficilioribus morbis, quales m lti sunt interni atque occulti, quorum per media fit cognitio, cum in sensus non incurrant, præsertim si causarum quoque accedat perplexitas. Sin vero culpa ægroti aut aliorum contingit error, id jam huc non pertinet.

Nemo igitur recte aget, neque in arte feliciter versabitur, qui quam profitetur plene non didicerit, ut videlicet theoremata propria & totam σύστασιν ejus noverit probe, & sciat (non credat aliis tantum, aut ex libro, more psittaci, recitet) ea esse vera, consentientia sibi, & utilia ad finem artis, utque methodo ac ratione inventa recto usu experientiæ & praxis comprobare possit, quæ duo instrumenta duobus medici cruribus comparavit Galenus. Hoc vero non utique est cujusvis, sed ejus qui simul sit (ut uno verbo dicam) philosophus, quemadmodum Galenus demonstravit optimum medicum, eundem quoque esse philosophum, & Aristoteles testatus est χαρίεντας *medicos principia à philosopho naturali sumere, atque ibi artem incoare suam, ubi ille desinat.* Ciceronis quoque non contemnendum est testimonium ex 5. de finib. *Ab his philosophis*, inquit, *Oratores, Imperatores ac rerumpublicarum principes extiterunt, mathematici, poëtæ, musici, medici denique ex hac tanquam ex omnium artium officina profecti sunt.* Quapropter ingenue & verissime dictum est

eſt ab Hippocrate, in lege: *Medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci.*

Neque ideo mediocribus etiam verum nomen medici detraxerim, ſi non dii ſint, & omnia ad ſummum gradum perfectionis abſoluta poſſideant. *Non omnia poſſumus omnes.* Multa Præcepta Hippocrates vera & utilia tradidit, quorum nec ipſe experientiam omnium habuit, nec ſemper effectum aut finem eorundem aſſecutus eſt. Unde non mediocriter Cardanum delirare judico, dum milleſimo quoque anno unum tantum perfectum medicum fuiſſe aſſerit, ſeque ſeptimum eſſe in ſeptimo millenario gloriatur, cum (ut alia prætercam) mundus tot annis non duraverit.

Ex his autem, quæ dixi, non difficile eſt judicare, ſi, qui omnium ad artis finem neceſſariorum præclaram noticiam ſibi comparaverunt, expertiſſimi & ſcientiſſimi medici tamen nonnumquam labi poſſunt ac ſolent humanitus, quid de imperitis, indoctis maliſque ſit ſperandum, quibus hæc omnia vel ignota ſunt, vel quaſi per ſomnium tantum viſa cogitataque, quæ à medici munere ſejuncta eſſe non poſſunt? & audaciſſime tamen quibuſcunque obviis abutuntur? verum de his poſtea agemus. Hinc ergo magnorum quoque virorum lapſus aliquando oriuntur. Nam ſi natura interdum ipſa in operibus ſuis aberrat, & præter uſitatas ſpecies monſtra parit, nec perpetuo motum aut affectum ad finem

completum perducit, quid mirum ſi homines etiam in ſententiis & factis ſuis aliquando aberrent, quæ præſertim in tanta caligine accidentium & opinionum confuſione vehementer laborant, ut taceam fortuitos etiam caſus, qui incidere & bene meditata conſilia interturbare poſſunt, ut *Hippoc.* 1. *lib. de morbis* recenſet quædam mala, quæ medici operentur præ infortunio. Scio maximi nominis medico in Italia contigiſſe, ut nobilem matronam gravidam eſſe non crederet, quæ tamen infeliciter medicamentis uſa præſcriptis, paulo poſt fætum in utero habuiſſe ſe abortu conprobavit. Et Matthæus Curtius, quod Clementi pontifici (ni fallor) diætam, cui diu conſueverat, immutaſſet, inconſideratius feciſſe ab omnibus doctis medicis judicatus eſt, & interitus ejuſdem non minima cauſa fuiſſe.

Sunt qui aliam etiam in medicis addunt cauſam, quod ſcilicet reperiantur nonnulli, quibus ſoleant ut plurimum minus proſpere ſuccedere curationes ſuſceptæ, quique minus ſint felices in reſtituendis ægris. Atque hoc ἄφατον illud eſſe exiſtimatur, quod in medico Galenus requirit: cum εὐφυΐαν & felicitatem nemo ſibi ipſi conciliare poſſit, ſed aliunde poſſideat. Vulgus indoctum & litteratores quidam id fortunæ tribuunt, quam ſciunt eruditi eſſe per accidens cauſam. Hujuſque rurſus cauſas ex cœlis Aſtrologi deducunt, ut videlicet ille ſit felicior medicus, cui

ſtella

ſtellarum poſitus fauſtus naſcenti illuxerit, qualem iſti etiam in ſpecie definiunt, ad quorum ſententiam alludit Iuvenalis Satyra 7.

*——Diſtat enim, quæ*
*Sidera te excipiant modo primos incipientem*
*Edere vagitus & adhuc à matre rubentem.*
*Ventidius quid enim? quid Tullius? an ne aliud quam*
*Sidus & occulti miranda potentia fati?*
*Si fortuna volet fies de Conſule Rhetor,*
*Si volet hæc eadem Medicus de Rhetore fies:*

Ut ſecundum propoſitum noſtrum loquar: Et idem Satyr. ult.

*Plus etenim fati valet hora benigni,*
*Quam ſi nos Veneris commendet epiſtola Phœbo.*

Verum talibus rationibus, quæ ſæpe prædicantur quidem, ſed ſine ſatis firma ratione, omiſſis, eas cauſas hujus rei inquiramus quæ evidentiores ſint, ac minus perplexitatis ſecum trahant. Teſtatur igitur experientia, non quidem ſæpe, ſed interdum tamen, à nonnullis magis proſpere curari aliquot ægros, quam ab aliis paribus, nec arte, nec ſcientia ſuperioribus, quod mihi neque ad fortunam, neque ad aſtra, ſed ad alias tres cauſas referendum videtur.

*Prima* eſt fiducia & perſuaſio hominum, qua vulgo plurimum tribuunt alicui, eumque in ore & oculis ferunt, hunc omnibus præferunt, huic totos ſe committunt. Cui igitur multi plus fidunt, ille plures etiam curat, *inquit Hippocrates*;

magni enim momenti res eſt multæque efficaciæ, quod in aliis etiam negociis manifeſtum eſt, magnam habere fidem autoritatemque apud homines; nam in omnibus libentius illi obtemperant, & fiducia talis animum confirmat, ſpiritus exhilarat, ſpem excitat, totam denique corporis animique naturam recreat. Opinionis enim & phantaſiæ vis in proprio corpore multum valet. Hinc accidit, quod qui Principibus aſſiſtunt & in regum aulis vivunt, à pleriſque plus ſcire putantur, quam alii in literarum ac ſtudiorum umbra obſcuritateque abditi.

Neque eſt quod hoc noſtro tempore fieri id miremur. Idem Galeni ſeculo factum ipſemet conqueritur, fueruntque Romæ alii longe majore in precio & majore admiratione, quam Galenus, qui tametſi eſſet doctiſſimus ac Imperatoribus etiam carus, & operibus artis non obſcurus, niſi tamen ſcribendo famam & gloriam conſervaſſet, certe vix nomine nunc notus eſſet poſteritati. At illa fiduciæ, de qua dixi, & ſcientiæ opinio ut plurimum non laudatis, nec imitandis artibus quæritur: uſitatum enim & fuit, & eſt, & erit, ut multi medici pecuniam potius, inanem laudem, deliciaſque voluptatum ſuſpiciant quam veritatis ſtudium, ut ſi quis ſapientiæ quodvis ſtudium ſerio ſectetur; pro inſano habeatur. Simile ſimili amicum. Mundus vult decipi & non recte judicat: æſtimat ac commendat medicos ex ocio, luxu & ſplendore veſtium, impu-

impudentia, jactantia, ſcurrilitate in converſatione, ludis & compotationibus, audacia, adulatione, & quo quiſque eſt indoctior, eò fere eſt gratioſior. Talibus ergo artibus comparantur vulgi ſtudia atque applauſus; (& hoc ſtulti praxin vocant) eoque fit, ut cum homines ægrotare cœperint, medicos advocent, non quidem optimos, utpote quos per ſanitatem noſcere nunquam ſtuduerunt, ſed eos, quos maxime familiares habent, quique ipſis adulantur & cupiditatibus quibusvis indulgent: Contra, quam veteres illi medici (*verba Galeni hæc ſunt*) ab Æſculapio oriundi, qui tanquam duces militibus & reges ſubditis imperare ægris voluerunt. itaque non qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius novit, apud iſtos magis in precio eſt, huic omnia plana perviaque ſunt, huic ædium fores patent, hic brevi efficitur dives plurimumque poteſt. Talibus dum fidunt vehementer homines, inque iis ſpem præclaram poſitam habent, non mirum eſt, ſi interdum in levioribus morbis aliquid efficiant, præſertim cum inſcitia etiam audaces res efficiat, ac tum ſane, audaces, quod dicitur, fortuna juvat, non quidem ſemper aut ſæpe, ſed interdum, nam fortuna incerta eſt & inſtabilis.

Huc accedit, quod iidem, qui tales medicos admirantur, poſt unam aut alteram ſucceſſus proſperi curam, ſine modo rem prædicando mirifice extollunt, & famam harum augent, qui

occaſioni ſimiliter deeſſe non ſolent, ſed inſuper calumniis, quibus poſſunt, doctiores alios onerant, & hominum animos ab his alienare ſatagunt.

Sed tamen male mederi nunquam utile ægris eſſe poteſt, quomodo igitur hos imperitos dicemus mederi morbis? Dixi jam levioribus poſſe mederi interdum, quos etiam ſæpius alioqui natura ipſa ſanat: ut, vulnera in ſanis habitibus levi auxilio adhibito, pro deterſione puris facile coaleſcunt, ita quidam periodici morbi, ſi vires valentes ſubſint, finem ipſi nanciſcuntur expletis circuitibus ſuis. In hos & ſimiles, ſi qui forte incidunt, putantur arte curaviſſe; incidunt autem crebrius propter opinionem de ipſis conceptam. Sed audi Hippocratis de hac re ſententiam ex libro de veteri medicina: *Plerique medici eadem, quæ mali gubernatores in ſe admittere videntur mihi. Etenim illi, cum in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manifeſti: cum vero deprehenderit ipſos ventus magnus & tempeſtas, palam jam conſpicui ſunt omnibus hominibus, quod ignorantia & culpa erroris ſui navem perdiderunt. Sic ſane etiam mali & plurimi medici, cum curant homines nihil grave patientes, in quos ſi quis etiam maxime delinquat, nihil grave faciat. Sunt autem multi tales morbi, & multo ſæpius quam graves hominibus accidunt. In talibus ſane delinquentes, non fiunt manifeſti idiotis hominibus. Ubi vero obtigerit magnus & fortis & periculoſus morbus, tunc ipſorum delicta & ars omnibus in conſpicuo*

*ſpicuo ſunt, neque enim longe abſunt ſingulorum pœnæ ac cruces, ſed brevi adſunt.*

*Secunda cauſa* eſt, quod nonnulli ingenio confiſi, parum videntur attenti ad artem eſſe, & exercitationi non ſatis diligentiæ tribuere, & ubi ad prima ſtatim conſilia res non ſuccedit, diligentiam remittunt, neque de aliis, quæ ars præſcribit, faciendis amplius cogitant, ſed negligentius omnia adminiſtrant, quam oporteat, idque alii aliis de cauſis: vel quod nolunt valde practicis negotiis ſe dedere; vel quod ingratitudine aut inobedientia hominum deterrentur; vel quod nimis diſtrahuntur cogitationes eorum multitudine ægrotorum, quibus adſunt, vel quod deſperatos caſus ab aliis prius in peſſimum ſtatum deductos attingere verentur, &c. Ubi contra alius minus etiam eruditus, bonus tamen, neque ex ſuperiorum familia, ſummo ſtudio cuncta inquirere, & ſolicite circumſpicere poteſt, ne quid ex rebus neceſſariis omittat, vel ex non neceſſariis adhibeat, quemadmodum lepore & cochlea de velocitate curſus contendentibus apud Æſopum, lepus conſulto tardans contentione atque induſtria aſſidua cochleæ vincitur.

Duobus enim tanquam cruribus nititur medicina, neque ſolis theoreticis rationibus contenta, inſuper etiam practicas experientias particularium requirit, & indefeſſam ad ſingulos caſus intentionem.

At iſti alii vulgares indocti & ἀπαίδευτοι nimium ſtulte hac ſententia pro ſe utuntur, quod ſine reprehenſione ferri non poteſt. Nam de omnibus eruditioribus proclamant, malos practicos eſſe, quia boni ſunt theorici, (ut cum ipſis balbutiam) ſibi vero laudem practicorum impudentiſſime arrogant, aſini ad lyram quod dicitur. Tenere hoc debebant, quicquid non ex arte fiat, & certis cauſis, id fortuito fieri.

Quamobrem, niſi quis cauſas & naturas corporum, morborum, ſignorum, remediorum, quam perſpectiſſimas habeat, is nunquam ſecundum artis methodum, ſed ſecundum fortunam & caſum, & ſecundum cauſas vel nullas, vel alieniſſimas curationis modum omnem inſtituat, neceſſe eſt. An vero hoc ſatisfaciat nomini & officio medici, judicent omnes qui poſſunt recte judicare. Docuit hoc Galenus optimum medicum eundem eſſe quoque philoſophum, ac ſi ille non docuiſſet, ratio tamen ipſa nobis demonſtraret. Sed longius quam conſtitueram digredior.

*Tertia cauſa* eſt, quod varia ſint dona Dei. alium fecit ad docendum & ſpeculandum aptiorem, alii δύναμιν φυσικὴν ad agendum præſtantiorem dedit, & ut in aliis hominibus, ita ut in medicis quoque interdum punit certa peccata, ne eos ſucceſſus laborum ſuorum experiantur, quales alioqui habituri fuiſſent. Unde fieri poteſt, ut doctiſſimus quiſque non ſemper etiam feli-

feliciſſime curet morbo affectos, præſertim ſi concurrant ſuperiores etiam ſimul cauſæ, pravum vulgi ſcilicet judicium, & negligentia quædam, atque non alacris ad practica medicinæ opera, induſtria, ſive voluntas medici. Nos igitur rigamus quidem & ſeminamus, Deus ſolus dat incrementum. Inter Prophetas & Apoſtolos ipſos quoque majora miracula faciendi poteſtatem, & dona ſanationum dedit his, aliis non dedit. Quid itaque medicus conſulat, agatque, ex arte mediocriter ſcire poteſt, & facere quod ſui eſt muneris: at eventum quoque præſtare, non in ſua, ſed Dei poteſtate ſitum eſt, ſicuti omnium aliorum conſiliorum τὸ τέλος, *ſecundum Pindarum*, ἐν τῷ θεῷ, conſiſtit.

Præterea nonnullis etiam hanc crucem ferendam imponit, ut experiantur inſignem & deteſtandam ingratitudinem hominum, quorum periculis ſummo ſtudio adfuerunt.

In cujus rei conſideratione ſæpe mihi in mentem venit Caſſandra Trojana mulier, cui ſimilem fortunam medici multi ſuſtinere coguntur, quæ cum donum vaticinandi haberet, hoc tamen incommodi additum erat, ut ne ipſi crederetur. Quod igitur & quantum operæ precium tulit? unde veteres nonnulli ſimili calamitate adacti præceptum hoc tradiderunt poſteris: *accipe dum dolor eſt, neque hoc inhumanitatis eſt, ſed neceſſitatis ac juſtitiæ, dignus ſiquidem eſt, qui operatur, mercede.* Et tamen adeo ſuaves ſunt, ut Chriſtianæ

carita-

caritatis admoneant medicum, homines non pauperes, qui gratuita opera indigeant, sed ditissimi, sordidissimique plerunque, cum non ignorent tamen, quid caritatis sit proprium, nempe æqualitas, & suum non quærere, sed quod proximi est, & gratiam referre:

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι.

Sic igitur ajebam fieri posse, ut, præterquam quod Deus quibusdam ad præclarissimam scientiam non adjunxerit summam etiam felicitatem, huic ipsi tamen felicitati, si adsit, aliquid decedere possit ob ingratitudinem & perversum judicium hominum, quibus non injuria tardantur bonorum studia. Nam si omnis conditionis homines laboris præmia juste exigunt & expectant, cur medico pio id facere non liceat, aut cur ille solus benefaciendo esuriat, cum mutare id honestis rationibus possit?

Aliorum ergo, ut diximus, alia sunt dona, sed nos tamen hoc loco medicum perfectum, quantum fieri potest, præsupponimus, atque hunc ipsum (ad institutum revertentes) adfirmamus etiam nulla deficiente prosperitatis felicisq; successus causa, tamen interdum labi & decipi, propter communem infirmitatem humani ingenii, neq; cuncta rectissime semper administrare posse: unde sequi interdum soleat, ut morbo ægrotus non levetur.

Hanc vero causam rariorem esse quam cæteras credere licet. Si enim medicus ex inscitia aut malitia, aut temeritate aliqua ægro causa mali sit

atque

atque interitus, id jam non ad rationem humanæ infirmitatis pertinet, ſed alterius eſt generis, quod tantum abeſt, ut medico excuſationem honeſtam adferat, ut etiam propter id jure ac legibus in ipſum animadverti debeat: & olim actio data eſt in tali caſu: juvenis namque cujuſdam affines medicum de corde accuſarunt, *referente Gal. 1. prognoſt.* de quo deinceps jam verba faciemus. Hoc autem omnino multiplex eſt.

Reperti ſunt ſane peſſimi medici, aut medicorum nomen uſurpantes, qui veneficiis uſi homines è medio tollerent, quique certis pactis dæmoni malo obligati, ſeptimum aut nonum quenque, qui in ipſorum manus incidiſſet, interficerent, vel qui ſponte etiam dataque opera peſtis ſemina rebus contagio affectis propagarent, domoſque à malo immunes lue iſta inficerent, quod Patavii à monacho & medico ante annos aliquot factum eſt, qui ſceleratæ ſocietatis deinde pœnas dederunt. De his igitur nihil amplius dicendum eſt, cùm ſit res illa manifeſta & impia, & cauſa interitus miſerrimorum ægrorũ. Quomodo enim (niſi Dei ſingulari beneficio) ex manu talis latronis, cui ſalutem ſuam etiam ultro commiſit, incolumis quis evaderet? De medicis vero aliis, qui ignari veræ artis ſunt, agamus, quorum culpa non raro accidere videmus, ut morbi ſua natura leves ac mites ita exaſperentur, ne ulla deinde ope adjuvari queant, atque hac ratione majus ſæpe à medicis talibus, quam à morbis

immi-

immineat periculum, *ſicut infra dicemus quoque* cum morborum naturam conditionemque, qui in hac re præſtare valeat, conſiderabimus.

Paulo ante oſtendimus numerum non exiguum eſſe ejuſmodi medicorum, qui illaudatis artibus adulatoriis, luſu aleæ, compotationibus & aliis viro honeſto philoſophoque indignis rationibus, in hominum amicitias inſinuent ſeſe quo à pluribus ipſorum opera expetatur: quos neceſſe eſt ſimul & temerarios & audaces fieri. Quod enim inſcitia audaciam ſecum adferat, vetus & veriſſimum dictum eſt, & Hippocrates ipſe ὁ παλαιὸς in lege inquit: *Audacia ignorantiam artis ſignificat*, & alibi conqueritur *eſſe, qui ex eo quod ignorent, non parum lucrifaciant.* Hi ergo, ſi incidant in morbum, ſua natura acutum & periculoſum, vel difficilem ac pertinacem, non feſtinant, ſecundum proverbium, lente, ſed atrociſſimo auſu, violentiſſimis remediis utuntur, & omnibus quaſi copiis hoſtem ſubito adoriuntur, ad nova etiam & nondum ſatis explorata medicamenta confugiunt, experimentaque per mortes hominum agunt: nullo reſpectu habito ad ſpeciem, locum, tempuſque morbi, ad vires, ætatem, temperaturam ægri, & materiæ concoctionem vel cruditatem, ad vias quò natura vergat, ad regionem, anni tempus, cœli ſtatum, vel conſuetudinem, denique ad cauſarum varietatem ſymptomatumque.

Ad hanc claſſem pertinent, qui venenata metalla

alla repurgare se ad quintam essentiam mentiuntur, eaque tanquam saluberrima corporibus humanis, offerunt, cum ne minima adhuc ex parte demonstrarint, esse ullam inter ea & corpus nostrum similitudinem (qua maxime tamen confidunt atque gloriantur) nam quæcunque ipsi de analogia micocrosmi ad magnum mundum garriunt, frivola ociosorum hominum commenta sunt & λόγοι πλασματώδεις. Præclare Celsus lib. 3. ex sententia Asclepiadis dicit: *Cito, jucunde, tuto, curandos esse morbos, quantum fieri possit.* hæ optimæ rationes sunt. *Ut autem tuto cures*, inquit Galenus 14. meth. 14. *tria sunt, quibus intentus sis oportet: primum, ut omnino absolutionem operis sive perfectam curam consequaris, alterum, ut sicubi hanc non consequaris, saltem cubantem non lædas*, sicut Gal. alibi (in princ. lib. κατὰ τόπους) etiam testatur, in artis operibus semper operam dedisse se, ut quod auxilii loco adhiberetur, juvaret, vel certe non noceret, de quo vide Hippocrat. 1. epidem. 2. sect. 50. aphoris. *Tertium, ut vitium sive morbus non facile revertatur.*

Hæc conferamus paulisper ad ea, quæ fieri passim conspicimus, & omnia perturbari contrarioque ordine agi animadvertemus. Absolutio operis & perfecte restituta sanitas expetenda est primum, in quo convenire quidem possunt & boni & mali, credo enim malos quoque laudem sanati ægri expetere. Sed infinito modo discrepantes vias deinde ineunt. Boni constituta, fundata,

data, demonſtrata, & antiquiſſima experientia confirmata artis theoremata ſequuntur. Illi contra hæc universa, vel nihili, vel non admodum magnifacere, ſed vel ſubito & impræmeditate nulla facta inquiſitione, vel communi quodam modo conſpectis urinis (de quarum abuſu alias ſcripſi) quocunque morbi tempore Receptaria ſua revolventes aliquod ſtrenuum eligunt & familiare: id ſi forte ſemel expugnavit morbum, quanti triumphi canuntur? Sin autem rem decumbentis deteriorem faciat, quod ut plurimum accidit, tum animo concidunt, fingunt novum & antea inauditum eſſe morbum, cauſaſve alias alieniſſimas prætexunt, ac tandem ſeſe, quo poſſunt modo, ſubtrahunt vel ſi in cura perſiſtunt ex uno errore in alios longe graviores, tandemque ad deſperationem ægros adducunt, neque immerito,

*Non enim ſunt arte homines hi divini aut ſcientia,*
*Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli:*
*Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas impera*
*Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam*

ſicuti hæc non magis de ſuo, quam de noſtro tempore ſcripſiſſe Ennius videtur.

Econtra peritus ac legitimus medicus & vir bonus, tametſi in dubium aliquem incidit morbum, ita tamen inſtitutus eſt, ut in principio remedia adhibeat, quæ vel certo juvare, vel ſaltem lædere nihil poſſint, erat enim hoc alterum caput. Scit manente cauſa effectum tolli nunquam

poſſe

posse. Non igitur parergis ociosis illis insistit præcipue, quæ ad ostentationem potius, quam curationem à beatis illis practicis vulgaribus cumulantur, qui in principio adhibent, quæ statui vel declinationi debentur, vel contra, qui cruda movent & inconcocta, quod frequentissimum & perniciosissimum est, atque *ut Galeni verbis utar*, aleatorum instar remedia offerre consueverunt, vires superpurgatione prosternunt, efficiunt scirrhos hepatis, coli aut articulorum cruciatus vel resolutiones, incrassant materias frigidas, aut calidarum ebullitionem tristissimam relinquunt: & quis omnia enumeret? Interim vel pharmacopolis gratificando, vel suæ avaritiæ, aut molliciei ægrotantium serviendo, magnam medicamentorum copiam obtrudunt ægris, nulla necessitate, quibus obruunt naturam, appetitum prosternunt, concoctiones & nutritiones impediunt, materias quiescentes irritant, & ad motum suscitant, vomitus perpetuos lacessunt: ita & sumptibus & periculis injustis ægros onerant, & impudentissime nihilominus immensa precia extorquent: Atque hoc scilicet vocant practicum esse. Et reperiunt tamen applausores. Utque Naaman Syrus non contentus simplici lotione aquæ Iordanis, quærit alia majora & miranda; ita hodie, quæ ad admirationem, ambitionem & apparatum finguntur, quæque ampullis inanissimis verborum ad nauseam usque extolluntur, gratiora multis sunt ineptis,

quam salutaria & ex arte simpliciter proposita. Sed eventus tamen prudentiam augere in hominibus debebat.

Hæc exempli causa dixi hactenus, ad demonstrandum nempe ex medicorum inscitia, culpaque (quæ multiplex esse potest) sæpe accidere, ut morbus incurabilis vel permaneat, vel si non fuit talis reddatur. Sed addamus unum adhuc aut alterum exemplum. *Novi medicum*, inquit Benivenius, *qui vel incuria, vel magis, ut arbitror, inscitia, emplastrum frigidißimum stomacho cujusdam viri, dum illum ventriculi dolor satis mordax urgeret, superposuit. putabat enim hoc auxilio dolorem tolli posse. Verum ille dolore fere amoto, gravem tamen noxam percipiens, redeunti medico exponit dolorem quidem remissum, se tamen inspirandi difficultate vexari. Quod inscius medicus parvifaciens iterum emplastrum admovit, & ne tollatur etiam jubet. At æger, dum assistentes imperata faciunt, paucis interim horis singultu premitur: quo gravius graviusque hominem afflictante, inhorrescunt illi membra, ex quo etiam paucis interceptis diebus mors subsequuta est: quam medici omnes ex incusso stomacho frigore provenisse judicaverunt. Ignorabat enim bonus ille medicus, nullum princeps aut principi subserviens membrum solis frigidis esse curandum.* Talia etiam olim facta sunt. Lege quæ Galenus contra Thessalicos & methodicos scribat in Therapeutica methodo, & exempla egregia non deerunt.

Similia multa quotidie apud nos accidunt, qu

quis obſervet. *In articuli cujuſdam* (puto humeri) *dolore ex fluxione orto, tonſor quidam exhibuerat medicamentum validiſſimum, ac niſi fallor fuerat pulvis antimonii exuſti & rubificati, ex quo ille qui ſumſerat violentiſſime per ſuperiora atque inferiora purgatus eſt, ita ut ſanguinis etiam aliquid dejiceret, & crebris animi deliquiis corriperetur. Sequenti die venam etiam ſecare voluit, quam æger proſtratis pene viribus non remiſit. Quia vero ob corroſa inteſtina dolorem ibidem perſentiebat, ſtolidus tonſor colica tormina eſſe conjiciens, quæ ex ſolo frigido humore oriri didicerat, vinum potentiſſimum exhibuit, ac ventrem oleo rutaceo laurinoque inunxit, & ſine dubio hominem interemiſſet, niſi ab aliis in tempore accerſitis rectius tractatus fuiſſet.*

*Memini item, fœminæ, quæ pleuritide corripi inciperet, à medico exhibitam eſſe theriacam cum aliis calorificis, & imperatum, ut poſt aſſumtionem ſudaret. inde omnia in deterius converſa, & tandem illa peripneumonia extincta eſt.*

*Alius quidam, cum apoſtema in ventriculo haberet, & legitimo curandi modo ſatis bene haberet, pertæſus longioris curæ, hominis circumforanei ſuaſu hellebori adulterini vulgaris decoctum ſumſit, & altera die ſubito concidit atque expiravit.*

Hi igitur non adhibuerunt diligentiam eam, quam debuerunt, ut ne ægrum læderent, ſed errore non ferendo morbum ad extrema diſcrimina deduxerunt. Dum enim ambitionis ſtudio gloriam quærunt, ut methodum veram vitent,

quam minus operosam esse arbitrantur, fingunt propriam sibi methodum, quæ in inextricabiles labyrinthos ipsos præcipitat, atque ita cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt. Apud Plutarchum in exercitu Sertacii miles quidam robustissimus caudam equo evellere nequivit, at lixa facile singulos pilos evulsit: Ita certe non ubique & semper totum morbum semel extirpare licet, sed paulatim debellandus est sæpenumero, per partes evacuando, mitigando, avertendo id quod molestat. Quot præstantes viri his annis perierunt, restituti, ut putabatur, novis illis metallicis liquoribus vel pulveribus, qui deinde aut phthisi contabuerunt, aut convulsionibus & apoplexia vel hydrope, vel aliis diris modis vitam finierunt? Et nos tamen non sero veluti Phryges, sed nec unquam sapere discimus, neque iis, quæ in oculos nostros incurrunt credimus. Quoties nos (ut de aliis taceam) conspeximus tantum symptomata quædam, utcunque ab aliis mitigata esse: nulla actione contra morbi fontem instituta, ac ne tentata quidem, nec corroborata etiam partium languentium natura & facultate: deinde vero recrudescente morbo, & prostrato robore corporis, omnia optima præsidia frustra fuisse adhibita. Hoc non erat tertium observare, quod præstantissimi illi veteres tantopere posteris commendare voluerunt. *Galenus* 1. *de dieb. decret. imperitum & ex trivio adscitum medicum tantum ab appellatione*

*latione vera ministri naturæ abesse censet, ut maxime contrario nomine ipsum dignum affirmet, inimicum videlicet naturæ appellandum & ægrotantis hostem.* Verissimum igitur est, quod Hippocrat. νόμῳ scripsit: φήμῃ μὲν πολλοὶ ἰητροὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ, *fama quidem & nomine multi, opere vero valde pauci sunt medici.*

Erasistratum ferunt decere solitum: oportet hominem exercitatissimæ considerationis esse, qui voluerit non solum affectus ipsius qualitatem, sed affectum quoque locum probe dignoscere. Et hæc tamen duo tantum sunt ex aliis plurimis considerandis. *Celsus 3. libro pronunciat*, ab uno medico plures curari simul non posse, quem secutûs Galenus neminem arbitratur multis ægris eodem tempore decumbentibus sufficere posse. At imperitis illis nihil facilius existimatur, qui quadraginta vel centum etiam hominibus uno die respondent, ac satisfacere se opinentur. Qualia vero censes illa responsa & auxilia visum iri, si ad veritatis & scientiæ normam revocentur atque exigantur? Hujus mali causa & culpa non postrema in Academiis hæret, quæ titulos & dignitates tribuunt interdum ineptissimis, unde ineffabiles clades in Repub. sequi necesse est, in qua tamen re antiqua Gymnasiorum statuta, magno consilio olim condita, conscientias promoventium onerant (sic enim loqui solent) *ne quem ad superiores dignitates scholasticas admittant, de quo universitas erubescere possit.*

Nam præter alia detrimenta etiam hoc accidit, ut poſtquam indocti, quibus vulgus diu credidit, ſæpius errando exiſtimationem tandem amittere incipiunt, idem vulgus etiam doctioribus deinde imputet, hoſque cum indoctis plane eodem loco habeat, atque ita ars ipſa etiam in contemtum veniat; quemadmodum Dei verbum male audire ſolet ob vitam docentium perverſam atque impiam: cum tamen docti, ſi prius recte curarunt, ex arte curarint certiſque ex cauſis, indocti vero quicquid boni egerunt, caſu tantum & forte fortuna egerint, qua ſi deſtituantur, nihil arte corrigere poſſunt, ſed ex leni ſævum ac vehementem, ex parvo magnum, ex brevi longum, & benigno malignum morbum efficiunt, ex ſanabili denique affectu irrecuperabilem ſanitatis jacturam introducunt. Huc ſi annumeremus ſexcenta genera impoſtorum, circumforaneos errones atque agyrtas, judæos, aniculas, monachos, cerdones, fullones, milites, carnifices, & fæcem illam hominum, qui in artem medicam tanquam ſues irrumpunt, impuneque conniventibus magiſtratibus in vitam hominum graſſantur, infinitas puto in hoc capite, quod ad tales falſo putatos medicos pertinet, non curatorum morborũ cauſas reperiemus. Ab his enim poſtquam in extremum diſcrimen laborantes conjecti fuere, tum demum peritiores medici interdum ſolent advocari: At vero quid illi tum facient? contra ſtimulum nempe calcitrabunt,

trabunt, & impoſſibilia perficient, quæque alii multis diebus corruperunt, hi uno die in integrum reſtituent, & miracula faciendo Dii erunt? Sed hæc in capite de Morbo etiam repetenda erunt.

Tandem huic numero addendos cenſeo medicos quoſdam doctos etiam, nimis tamen avaros, illiberales & crudeles interdum, non habentes viſcera miſericordiæ, qui miſerorum ægrorum rationem & ſtatum non ſatis conſiderantes, leve quid eſſe ducunt talium curam agere, neque magnitudinem operis attendunt, neque diligenter in eo verſantur, neque à Deo ſucceſſus petunt, ſed leviſſimis cauſis commoti aliquando curationem deſerunt, etiam cum pleraque ægri faciunt, quæ ab ipſis requiruntur. Id ergo ſi fiat eo tempore, quo maxime medici auxilium neceſſarium erat, in periculoſo præſertim & magno morbo, levi momento in incurabilem ille degenerare poterit.

NVNC AD PHARMACOPOLAS, qui medicorum miniſtri ſunt, noſtra ſe convertat oratio, quam probi, & in officio diligentes, ad ſe pertinere nequaquam exiſtimare debent. De cæteris vero improbioribus negari non poteſt, quin ſæpe præpoſtero & malo ſtudio ſuo occaſionem præbeant cauſamque morbis, ut inſanabiles evadant, & decumbentes ægritudine corporis non liberentur. Fuit olim ejuſdem medici & artem ſanando exercere, & medicamenta ipſa præpa-

tare: ſicut Galenus ipſe Antonino & Severo Imperatoribus theriacam præparavit, & paſſim una cum Hippocrate monet, quibus pharmacis medicum inſtructum eſſe operteat. Poſterioribus vero temporibus arti miſcendi & componendi pharmaca præfecti ſunt alii, qui medicinam ipſi non facerent, ſed parata ſemper in promtu haberent, tum ſimplicia, tum compoſita remedia; ita ut Pharmacopola jam ſit quaſi δημιουργὸς: Medicus vero ἀρχιτεκτονικὸς, cujus præceptis ac præſcriptis ille obſequi debet, & præter ea nihil in curandis morbis per ſe tentare vel ſuſcipere.

Etſi autem ſcio, in utramque partem multa argumenta diſputando colligi poſſe, quibus vel probetur, vel damnetur inſtitutum iſtud, quo præparatio medicamentorum ab ipſa arte medicinæ disjuncta fuit, ac ſeorſum Pharmacopæis commiſſa; tamen arbitror graves cauſas ſapientibus viris olim fuiſſe cur id fieret, & nunc etiam ejus rei utilitatem manifeſtam eſſe, ſi modo recte ac honeſte ut fiat, curetur. Eſt etenim tanta amplitudo artis ipſius, ut quo quiſque doctior & peritior eſt, eo magis animadvertat, vix totam vitam perdiſcendæ & tractandæ illi ſufficere poſſe, ac divine dictum ab Hippocrate fuiſſe intelligat *Artem longam*. Galeni quoque idem ſentientis hæc ſunt verba: *Artis magnitudo vitam ſuperat humanam, adeo ut ab homine quantumvis diligenti ac induſtrio nequeat & incoari, & ad finem uſque perduci.*

Itaque

Itaque haud dubie ſummorum aliquot medicorum conſilio & ſubjectione Reipublicæ gubernatores & principes in eam devenerunt ſententiam, levandos eſſe medicos onere iſto maximo præparationum variarum & quotidianarum, ut toti in artem ipſam & uſum ejus in curatione ſola incumbere poſſent: præſertim cum publice etiam in ſcholis poſtea tradi cœpiſſet ars ipſa, & ſtipendia, privilegiaque eſſent conſtituta ejus Doctoribus. Nimis enim multa onera hæc eſſent, ſimul in ſcholis docere, ægros curare, & pharmaca præparare, (aut præparationi ſaltem præeſſe) quæ ſubinde in multitudinem inſignem excrevere, inventis nimirum novis additis ad priora. Ac cum aliquando ut fit, ſubiti morbi incidunt, medicus non quivis ita inſtructus eſſe poteſt, ut ſemper omnia neceſſaria remedia in promtu habeat, qua occaſione fieri poſſet tamen, ut interim dum paranda eſſent, ægri perirent. In pharmacopoliis vero ad ſubitos etiam caſus materia parata eſſe poteſt. Deinde neque omnium facu ltates (hoc præſertim tempore) ejuſmodi ſunt, ut & magnis ſumtibus artem diſcere, & miniſteria quoque miſcendi exercere queant, ac neceſſaria comparare. Id niſi emendatum fuiſſet, multi ingenioſiſſimi derelinquere artis exercitia coacti fuiſſent, postquam, exhauſto patrimonio apud exteras gentes & ſcholas, domum reverſi inopes ferme vivere incipiunt: locupletiores vero ære multo & divitiarum ſplendore opinio-

nem peritiæ aucupantes, & officina medicamentorum lauta inſtructi, omnium oculos ad ſeſe ſolos convertiſſent.

Huic ergo difficultati optime & prudentiſſime proſpectum fuit, conſtitutis publicis tabernis, in quibus ſecundum rationem præparationes conficerentur, quæque uſui medico quavis hora inſervirent.

Ex qua re hoc etiam commodum promanavit, ut precia pharmacorum eſſent nota atque tolerabilia. Quis enim non credat olim multos impoſtores nullius precii res maximo vendidiſſe idque impune, quod & materia & confectionis ratio ignota eſſet, cum hodie etiam in tanta luce omnium rerum idem nimis ſæpe evenire comperiamus? Unde in laudatis rebuſpubl. & legibus præclare conſtitutis hoc etiam cavetur, ne cuiquam liceat aperire officinam materiæ medicæ niſi jurato, & quæ à medicis & viris honeſtiſſ. quotannis cum examine ſolenni inſpiciatur, in qua precia inſuper rerum ſingularum æſtimata, ac certo modo conſtituta, non temere augeantur. Certe magnum peccatum eſt magiſtratus, ſi curam hanc inſpectionis negligat, cum de multo levioribus rebus aliis (ut de vendenda cerevisia) interdum ſit oculatiſſimus.

Deinde medicorum quorundam petulantium & indoctorum temeritati hac ratione obviam itum eſt. Ne enim venenatis, aut male & imperite præſcriptis remediis facile abuti poſſent,

& noxia

: noxia hominibus, quos forte oderunt, propi-are, aut morbo non conſentanea, vel fortuita antum, & quæ temere in mentem veniunt, ap-ponere, formulæ ſingulorum medicamentorum, quæ ægrotis exhibituri ſunt, in officinas publicas deferuntur, ex quibus & de induſtria, ſcientia, diligentiaque medici judicium fieri ſemper po-teſt, & Pharmacopolis via præcluditur, ne plus pecuniæ, quam par ſit, extorqueant. Ex quo inſtituto & fiducia ægris augetur, & fama boni medici in tuto eſt, & curatio tota abſque diffi-cultate ulla peragi poteſt: Cum alia ex parte in-terea male feriati homines & agyrtæ ſua reme-dia in obſcuro conficiant, miſceant, vendant, exhibeant, & interfecto ægro culpam deinde ad fatum rejiciant, ipſi fuga ſe ſubducentes.

Quapropter in rebuspublicis præclaris cau-tum hoc etiam eſt, ne eidem liceat & Pharma-copolæ & Medici munus obire, propter pericu-la ſcilicet, quæ inde metuuntur. Neque enim qui ipſe præparat formulas ſuas (ſeu receptas ut vo-cant) aperte proponit, neque ſi proponit certum eſſe poteſt, an iiſdem vere etiam utatur, vel multo viliora alia ſubſtituat, quam nominaverit: & ſic idem periculum imminebit, de quo Plinius olim conqueſtus eſt, fieri ſcilicet negociatio-nem animarum.

Non negarim tamen à bono & laboribus aſ-ſueto medico etiam præſtari poſſe utrumque, vel ſaltem, quin aliqua ſingularia & eximia remedia

præpa-

præparet ipſe, quod abſque detrimento aliar
rerum neceſſariarum facere poſſit. Sed iſt
nunc quidem, quod jam legitimum eſt, ubiq
ita relinquamus.

ETSI autem hoc loco de toto officio Ph
macopolæ non diſputabimus, tamen paulo alti
hæc repetenda fuerunt; ut pateret quid prop
ad ipſum pertineret, & quatenus fieri poſſet,
cauſa ſit non ſolum læſæ exiſtimationis ac fam
Medici, verum etiam læſi ipſius ægrotantis,
non curatorum morborum. Sit igitur Medi
miniſter, ſive alioqui doctus ſive indoctus ſi
artem ſuam præparandi, temperandi, miſce
di, colligendi, aſſervandi ſingula medicamen
ta exacte teneat, nihil ſuo judicio mutet, nu
la aliena ſubſtituat, ægris per ſe, niſi juſſus, n
hil exhibeat, famulis ſuis non cuncta concreda
ipſe præſens omnia, ut quam rectiſſime & ſolici
te adminiſtrentur, procuret, &c. At hæc qui
dem ſingula fruſtra ſperantur ab eo, (ut ſupra d
medicis ipſis quoque dixi) qui non honeſte edu
catus & vir bonus fuerit, multo vero magis, qu
Deum non timeat inſpectorem & vindicem in
juſte factorum, quique fide, corde & operibu
non ſit Chriſtianus. Plurimum igitur intereſt
& quidem longe plus quam vulgo creditur, qua-
les viros huic muneri magiſtratus præficiat.

Dico igitur non raro accidere, ut non ſolum
periclitantis valetudinis ægri, verum etiam ne-
glectæ & peſſundatæ prorſus culpa in Pharma-
copol

ppola resideat. Quis enim de hoc dubitare po-
est? Circumferamus oculos per omnia genera
rtium cum mechanicarum, tum liberalium, &
ministrorum culpa quanta errata committantur
ullo negocio perspiciemus. Nonne harmoniæ
musicæ perturbatæ causa sæpissime est in con-
entore uno atque altero, male & extra ordi-
em canente? Nonne ædificiis ruentibus cau-
um sæpe dederunt operæ, præter sententiam &
oluntatem architecti? Nonne victoria sæpe
mittitur contumacia, ignavia, formidine
el temeritate militum & centurionum, nulla
ulpa hærente in exercitus duce?

Jam igitur cum res eo redierit, quemadmo-
um antea dixi, ut medici instrumenta sua pluri-
na, quibus carere non possunt, sumant à Phar-
macopolis, si hæc non sint talia qualia esse opor-
t, quis inde incommodum secuturum esse non
telligat? Nempe si non debito tempore col-
cta fuerint, non recte ac integre asservata, ni-
is inveterata, exoleta & inutilia, si alia exhibi-
& addita, quam medicus præscripserit, quod
mium sæpe fieri conqueruntur multi. Insedit
nim hoc seculo avaritia ita alte in animos homi-
um, ut circumventio proximi etiam pro virtu-
habeatur. Multi arrogantia sua quadam despi-
unt medicos, & cum ipsis de gloria atque scien-
a certare etiam audent. Si hic præscripsit phar-
acum leniens, illi superbi scammoneata mi-
ere audent: si hic mane jejuno ventre jubeat
hoc

hoc fieri & bibi, illi post prandium demum cu
potione parati adsint, ne ad servilia ministe
quasi coacti videantur præsto esse. Quale aute
hoc esse dicemus? præstaret tales procul abes
ab omni medicationis commercio, quos suæ vo
cationis pudet. Sæpe fateri nolunt deesse si
hoc vel illud, & assumunt interea alia, vel pro
sus etiam omittunt summe necessaria, in quib
tota vis & spes curæ residebat. Nonnunqua
etiam inscitia peccant, quemadmodum scio a
cidisse non sine gravi decumbentis periculo, cu
exhibendum fuisset saccharum rosatum, Sepl
tiatiarii ministrum elect. rosatum dedisse. Un
vulgatum istud exiit dicterium: *Quid pro quo, a*
*bum græcum pro balsamo, &c.* Carent interdum
ut ajebam, maxime necessariis utilissimisq
compositionibus atque instrumentis, nempe (
exigua etiam referam) melle violato, sirupo
violis solutivo, sirupo betonicæ, farfaræ, po
tulacæ, unguento diapampholygos, de turia, p
la item lapidea ac plumbea, &c. interim pyxid
coloribus auroque magnifice exornant, & tabe
nam variis imagunculis ad delicias pueroru
magis quam utilitates ægrorum spectandam e
hibent, quæ quidem suo loco propter decus
ornamentum ædium toleranda videntur, s
oportebat hæc facere, illa vero nullo modo pr
termittere, quæ potiora sunt. Interim etia
dum sæpe præstantissima medicamenta neg
gunt, empirici alicujus aut monachi reme
copio

copiose præparant, omnibus venalia offerunt & commendant tanquam παγχρηστα. Inprimis vero cavent, ne desint illæ merces, quæ à pessimis circumforaneis expeti, & ab iisdem in perniciem hominum passim, tam urbanæ quam rusticæ plebi, obtrudi solent.

Herophilus divinus vir medicamenta θεῶν χεῖρας appellavit, recte videlicet præparata recteque usurpata, alias certe fient χεῖρες παλαμναῖαι, & in manu sicarii gladiis. Platonicis causa instrumentalis pro una ex principibus causis, à Peripateticis fere pro tali, sine qua vera causa non queat esse causa, habetur.

Ex quibus omnibus jam cuivis manifestissime patere arbitror, si Pharmacopola in medicamentis ordine atque lege artis præparandis vel maligno etiam & perverso studio, versetur, magnam ex eo causam non curatorum morborum haud dubie exorituram.

Nvnc tandem ad morbvm ipsum quod attinet, hujus profecto longe maximum est momentum. Hic vero non de specie morborum per se incurabili loquemur, nam de illa supra egimus, sed de illis morbis, qui cum sua natura curabiles sint, non raro tamen in θανατηφόρους & incurabiles degenerant, propter accidentia quædam ad morbi ipsius naturam pertinentia, eamque nimis valde in deterius immutantia.

tantia. Etsi enim medicus nec ignorantia arti neque negligentia sua in curando peccat, se doctissime ac rectissime omnia facit, quæ s sunt officii, quæque ad recuperandam sanitate pertinent; tamen alia habet plurima imped menta, & de quibus nunc agemus, præcipu morbi μέγεθος atque ἦθος: quibus fit ut ægro tus sæpenumero sanitatem non consequatur. Un de admodum vere hoc dicitur:

*Non est in medico semper relevetur ut æger,*
*Interdum docta plus valet arte malum.*

Et *Hippocrates* 1. *prognost.* testatur homine nonnunquam vi morbi interire, priusquam me dicum accersant, quosdam etiam vocato medic repente, hos intra primum diem, illos post ali quot dies plures, antequam medicus adversu singulos morbos arte resistat. Et in libro de ar te sic scribit: *Sentio medicinam esse, vel ad arten medicam hoc etiam pertinere, eorum, qui à morbi victi sunt curationem non aggredi, cum in confesso sit quod medicina tales sanare non poßit.* Idem Celsu tradidit lib. 5. *Est prudentis hominis eum*, inquit *qui servari non potest non attingere.* Atque tum ve maxime prædictionibus scienter uti oportet quia in tali casu cuncta auxilia valida magis ho minem lædunt, ejusque deteriorem statum effi ciunt, lenia vero & mitia nullam adferunt alle vationem, & medico potius infamiam dedecus que conciliant.

Ad duo igitur prius dicta capita totum id, quo

hoc

hoc loco considerandum est, brevitatis causa referemus, nempe ad morbi magnitudinem & mores. Nam etsi in languido corpore vires debiles cum subsunt, nihil præter interitum expectari solet, ut 2. Aphor. 41. *Qui sæpe & vehementer & sine causa manifesta animo linquuntur, ii derepente moriuntur*: tamen has quoque sub istis duobus capitibus comprehendemus, cum ut plurimum vires concidant (nisi tales sint in corpore à primordio *νοσερῷ*) vel ob magnitudinem vel acutiem & malignitatem morbi.

Magnitudo igitur morbi spectatur præcipue in partis affectæ præstantia ac nobilitate, & in ipsius affectus vehementia, quæ oritur ex causarum magnitudine ac violentia, indicatur ex verò symptomatum sævitia.

Variis autem occasionibus & causis morbi fieri possunt magni, pertinaces, periculosi, nec non lethales. Inter quos est complexus & concursus multorum morborum, qui simul uno tempore infestent hominem, multum enim inde difficultatem augeri manifestum est, quemadmodum fit in hæmitritæo, in putrida cum hectica febre conjuncta, ut quintana etiam, 1. *epid.* 3. *comm.* nempe & ante tabem, & jam tabidis superveniens interficit. Sic in morbo Gallico cum asthmate res desperata est. Est & multitudo materiæ causa, præsertim commotæ ac furiosæ, quæ ad locum principalem vitæque necessarium decumbere potest impetu suo, unde

in cerebro & nervorum principio apoplexia aliquando ſequitur, in corde ſyncope & virium miſerabilis lapſus. Materia quoque jam collecta in loco periculoſo, ut in faucium inflammatione, quæ anginam efficit; impedita enim ſpiratione periculum mortis incumbit. Materiæ item vel cauſæ violentia aut malignitas, quæ conſenſu loci, aëris & victus mali vehementer exaſperari ſolet, ut in peſte ex aëris putredine accidit, præſertim attracta in corpus diſpoſitum & præparatum. Eſt creberrima cauſa magnitudinis morbi etiam error in curatione commiſſus inſignis, ſive is ægri, ſive adſtantium ſive medici culpa evenerit: ut ſi intempeſtive materia commoveatur, vel cum ſummo detrimento virium educatur, aut non talis, qualis purganda erat, purgetur, aut ad viſcus nobile pertrahatur, & id genus alia ſi committantur. Temporis præterea mora atque diuturnitas, quæ fit ut morbi nonnulli inveterati penitus inſideant & quaſi ad habitum perducantur, idque itidem ob negligentiam ægrorum vel inſcitiam medicorum. Tum igitur juxta Poëtam:

*Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumeſcit*
*Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.*

Ex hoc fonte derivata ſunt præcepta venuſtiſſima illa:

ἀρχὴν μ' ἰᾶσθαι πολὺ λωΐον ἠὲ τελευτὴν,
ζητῶμενον δ' ἕλκη φάρμακα φυομένω.

Opprime

*Opprime dum nova ſunt ſubiti mala ſemina morbi.*
*Principiis obſta, ſero medicina paratur*
*Cum mala per longas invaluere moras.*
*Vidi ego, quod fuerat primo ſanabile, vulnus*
*Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.*

Exiguos enim morbos adhuc natura vincere poteſt vel ſola, vel parum adjuta ope medica, magnos vero non item, nam mora dat vires. Itaque nec medicus, ſi, morbo jam ſuperante & natura ſuccumbente, demum advocetur, ſemper ac certa ſpe malum factum infectum reddere poterit. Unde à Celſo recte hoc eſt dictum: *Longus morbus, cum penitus inſedit, quo ad difficultatem pertinet, acuto par eſt, & acutus quidem, quo vetuſtior eſt, longus autem, quo recentior eo facilius curatur.*

Intelligi hæc poterunt exemplo podagræ, quod malum in omnium eſt ore tanquam inſanabile.

*Tollere nodoſam neſcit medicina podagram.*

Non dicit Ovidius ſimpliciter podragam; nam & natura, eſſentiaque ejus & methodus curandi nota eſt, neque deſunt pharmaca idonea, efficacia, ſalutaria, ſi rite adminiſtrentur, & accipiantur tempore modoque debito, & victus ratione, qualis requiritur, adhibita. Tum enim poteſt podagra & arthritis non mitigari ſolum, ſed prorſus etiam tolli, & non minus curari, quam aut febris tertiana, aut alius morbus ſaluoris, quod exempla teſtantur. Non ergo poda-

gra eſt morbus εἴδει inſanabilis. At ſi princip
negligantur, fluxiones diuturnæ articulorum r
bur fregerint, ita ut jam ſibi ipſis morbum p
riant, materiaque per pravam diætam (homin
enim diætæ carceres oderunt) aucta & exaſp
rata fuerit, & nodi tophique generati jam præſt
ſint, ut ſit facta jam nodoſa & lapidoſa podagr
tum certe medicina, tametſi ſemel aut iteru
tophos & nodos terreſtres ferro exectos exima
morbũ tamen penitus tollere neſciet amplius;
impudentis ſtultique hominis eſt, flagitare tu
opem ſubitam & perfectam medelam, quaſi ve
nihil aut nullius momenti fuerint antegreſſa err
ta plurima, quæ habilitatem partium ad ſanita
formam integram pene extinxerunt, & ex p
vatione negationem effecerunt, ut corpus æg
ſcilicet in iis partibus non amplius ſit ὑγιεινὸ
hoc eſt capax ſanitatis. Hoc igitur eſt accide
illud, quod podagram, alioqui ſua natura n
incurabilem, talem tamen efficit, ut curari
extremo & perfecto gradu amplius nequeat. E
enim in malis quædam etiam perfectio, cui ſ
licet nihil deſit, neque excedendi meta aliq
relicta fuerit. Audiamus hic etiam Hippoc.
lib. 2. prædict. *De podagricis hæc dico; quicunq*
*aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos co*
*cretos habent, aut ærumnoſe vivunt, aut ſiccam alv*
*habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana ar*
*quantum ego cognovi.* Addit deinde Ovidius:

*Nec formidatis auxiliatur aquis.*

A

Ars nimirum medica, quem verſum multi perperam de hydrope dictum intelligunt. Qui à cane rabido morſi fuere, niſi mature illis ſuccurratur, tandem in ὑδροφοβίαν incidunt, hoc eſt, ad omnes aquas conſpectas exhorreſcunt & animo concidunt. Hoc ſigno ultima veneni ſævities indicatur, eamque Poëta formidatas aquas nominavit. Etſi igitur morſus canis rabioſi curationem in principio recipit, alia tamen ejus eſt in aucta vehementia mali ratio.

In primis autem morbi alioqui periculoſi, acceſſione aliqua mali facta, ſtatim fiunt deplorati, ut peſtis, & alii quos ſupra à ſpecie incurabilibus excludi poſſe dixi, ſi quis exactiſſime rem perſcrutari vellet. Pari modo intemperaturæ, fracturæ, luxationes, vulnera, ulcera, coli deique dolores, ubi in magnitudinem inſignem excrevere, in lethales abeunt alioqui ſalubres exiſtentes: præſertim vero ex atra bile morbi, dyſenteriæ, mania, malignæ febres, lues gallica & ſcabies confirmata. 2. Aphor. 39. *Qui longæ ſenibus accidunt morbi magna ex parte inſanabiles tota vita comitantur*, 4. Aph. 22. & 24 & 26. *Si dyſenteria laboranti atra bilis ſupra infrave vel carunculæ exierint, lethale*, 5. Aphor. 10. *Tabidi, ſi ſputum quod extuſiunt carbonibus injectum graviter olet, & capilli defluunt, lethale*. & ſeq. Aph. 12. *Quibus per tabem capilli defluunt, hi alvi fluxione ſupervenente moriuntur*: & 14. *Phthiſicis diarrhœa ſuperveniens* θανατώδης. 7. Aph. 47. *Si hydropicum*

*tussis habeat* ἀνέλπιστός ἐστιν. 4. Aph. 46. *Si rigo accidat febre non intermittente, ægro jam debili* θανάσιμον. 5. Aph. 1. & 2. *Convulsio à veratro au vulnere, lethalis. Furentibus quoque cum non possun necessaria exhiberi & adhiberi, tum excrescit malum omniaque in deterius vergunt, vel ipsi etiam sibi nocen exitiique sunt causa. Quod si ad extrema illa sign deventum fuerit, ut in febre non intermittente labrum atque oculus, supercilium, nasus pervertatur, visi auditusque deficiat ægro jam debili, tum mors in pro pinquo est.* 7. Aph. 73. & alibi. Quid igitur si me dicus tum primum vocetur, poterit ne naturam de novo suscitare & vires ei dare? imo etsi principio adfuit, tamen omnia præcaveri & averti mala non possunt semper, motusque ma teriæ & natura corporis non semper in potestat sunt nostra. Valens natura morborum medicu est, ergo non valens non esse potest medicus curatio enim nunquam fit, nisi natura superant morbum, ut in capite de ægrotis ipsis mox di cemus.

Ipsa sanitas etiam in mediocritate consistit, & mediocria errata corrigere licet, sed summis ex cessibus quis contraria auxilia inveniat talia, qua corporis vita etiam ferat? Tantam itaque vim habet magnitudo morbi, alioqui per se non im medicabilis, cujus signum est, quod in pauperi bus etiam natura fortis ejusdem speciei morbo sæpe sola sanat. *At*, docente hoc Hippocrate in libro de arte, *quorum instrumentorum, sive naturæ*

*siv*

*ſive artium facultatem obtinemus, per ea ſane opifices eſſe poſſumus, per alia vero minime licet.* Cum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior eſt quam medicinæ inſtrumenta, ne ſperare quidem oportet, ut à medicina exuperetur. Verbi gratia, omnis intemperies præter modum aucta vires dejicit, quod apud medicos nullam controverſiam habet. quo igitur plus aucta erit, eo magis vires dejiciet, & tandem plurimum aucta, atque omnes metas proportionis ad vitam excedens vitam ipſam tollet, quod ipſum tum deniq; nihil eſt aliud, quam fieri morbum incurabilem. ἦθος deinde ſeu mos morbi vel τρόπος & modus malus, curationique adverſus eadem præſtare ſolet. idque vel ob malignitatem, virulentiam, venenoſitatem materiæ vel cauſæ, quod fit in peſtilentibus morbis atque contagioſis, qualem materiam medici deteſtabilem vocare ſolent, quæ ſi etiam ad locum nobilem ſe conferat, deſperatus fit morbus, concurrentibus ſcilicet morbi & magnitudine & κακοηθείᾳ: vel ob materiæ acuitatem, propter quam morbus valide ac cito cumque periculo moveatur, quæ propria omnium acutorum morborum.

Inde eſt, quod (*atteſtante Oribaſio, quem locum deſcripſit ex Gal.* 12. *meth.* 6.) qui ob tenues humores in ſyncopen cadunt, ſique jecur aut ventriculus inflammatione vexetur, viribus jam languentibus, nulla hi curatione poſſint relevari: vel etiam ob crebrum recurſum ejuſdem morbi,

aut ob perpetuo infeſtantem dolorem, quo mirifice ſubjecta membra debilitantur, quod accidit in colicis & veſicæ doloribus, in ſanguinis ex naribus ſive hæmorrhoidibus immoderato fluxu. Huc pertinent febres continuæ & totum agmen acutorum morborum, qui & velocis ſunt motus atque terminationis, & magnitudinem ſeu periculum timoreque conjunctum ſtatum habent. In his igitur ſi excrementa ſint multa, acuta, prava, corrupta, & ſymptomata ingravant ſæva, ex quibus vires ſubito concidant, tum vero in inſuperabiles degenerare ſolent. Nam in acutis morbis breve ſpacium eſt, intra quod ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur, *Celſo teſte 3. libri principio.* Sed hic arbitrantur aliqui medicorum eſſe, ut prohibeant, ne ad talem ſtatum res deveniat: In quibuſdam ſane fieri id poteſt, ſi mox à principio omnia recte & juſto modo adminiſtrentur (quod rariſſimum eſt) ſed non ſemper tamen: motus enim materiæ, ut antea monui, non penitus & omni ex parte poteſtati medici ſubjicitur, vires etiam corporum, quales natura fert, tales medicus invenit, neque principia vitæ ſanitatiſque dare poteſt hominibus meliora, quam natura dederit.

Vt autem exigui morbi in magnos, ita non minus benigni in malignos tranſire poſſunt. Inde ulcera κακοήθη Telephia & Chironia dicta ſunt, quod ægerrime curam admittant, & ſi diuturnitas accidat, vel errores inſignes in victu

malo,

malo, quod repleatur corpus vitioſis humoribus ac multis, inſanabilia quoque fiant. Nam in ejuſmodi corporibus cacochymicis, ſi diuturnum ſit malum, tuto ac citra periculum vitæ, ſanare etiam exulcerationes mitiores & cauteria tibiarum non licet. Inſperatò & præter omnem expectationem noſtram contingere ſolent interdum, quæ in acutis ægritudinibus ante dies judicatorios incredibilia momenta, vel ad ſalutem, vel ad mortem afferre poſſunt. Recte proinde Celſus: *Spes interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit.* Inde eſt, quod ſcribit Hippocrates 2. Aph. 19. *In acutis morbis non omnino certæ ſunt mortis aut ſalutis prædictiones.* In prædictionibus ergo bonum quoque & experientem medicum interdum (quanquam raro) falli contingit, propter ſubitam in criſi mutationem, vel in melius, vel in deterius, ubi nullum apparet ſignum, utrum ſit ſuperior morbus aut natura. Idem in 3. prognoſt. *Quæ judicandi vi prædita non judicant, alia mortem, alia difficilem criſim minantur*; quam ſententiam Gal. 1. Aph. 12. repetivit. Avicenna in canticis ait: *Si videas difficultatem & malitiam ſignorum & periculorum, & dolores fortes violentoſque, cum mala diſpoſitione & caſu virtutis & ratione diminuta & permixta, ita quod virtus nequeat morbi malitiam tolerare, prognoſtica mortem ante ſtatum.* Obſcura igitur eſt multorum morborum cognitio & dijudicatio, ut hecticæ cum putrida conjunctæ, & magna ſæpe

unius cum altero ſimilitudo, ut doloris renum & coli: qui ſi magnus eſt vel acutiſſimus, antequam recte dijudicetur & tractetur, poteſt perire æger, præſertim ſi accedat hujus intemperantia & contumacia. Etenim juxta Poëtam: *Non intellecti nulla eſt curatio morbi.* 4. Aph. 23. *Poſtridie moriuntur, quicunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut vulneribus, aut alio modo extenuati atram bilem, aut ſimilem nigro ſanguini emiſerint.* 5. Aph. 43. *Si mulieris prægnantis uterum eryſipelas infeſtat, lethale.*

Ad moram morbi etiam referendam nunc quidem cenſeo rationem loci atque aëris, quando ex diametro interdum morbo contraria ſunt, ſicuti tabidi in aëre humido craſſo atque impuro deterius habent; unde olim mittebantur Tabias in aërem ſaluberrimum, quæ mutatio ſane multos à magnis liberavit incommodis morborum. Ita certorum locorum adeo eſt catarrhoſus aër, ut arduum ſit catarrhis obnoxium hominem ibidem plene ac perfecte reſtituere. Idem ſit in cæteris ἐνδήμοις νοσήμασι. Nam Alpini quidam populi, quibus aquarum occaſione, quas bibunt, ſtrumæ naſcuntur, ab iis laborari nequeunt, cum communem illam cauſam quotidiano in uſu & quaſi neceſſariam habeant. Sunt & quidam ſua natura pertinaciſſimi affectus & ægre ſuperabiles, ut βαρυηκοΐα & ſurditas etiam non confirmata, qui plurimum negocii faceſſunt medico, etiamſi cætera omnia rectiſſime ſe habeant.

Ad

Ad hunc titulum morbi refero etiam novitatem & dubiam essentiam morborum, quos alii abditos, alii occultos nominare malunt (quanquam de his non cum omnibus consentio) quorum sunt ignotæ omnibus causæ ac naturæ, ac proinde etiam ignota remedia contraria. Ut cum lapides in pulmonibus vel hepatis substantia sunt geniti. Rarius, sed aliquando tamen *scribit Celsus*, morbus quoque ipse novus est: quem non incidere manifeste falsum est, cum ætate nostra quidam ex naturalibus partibus carne prolapsa & arente intra paucas horas expiraverit, sic ut nobilissimi medici neque genus mali neque remedium invenerint. Quos ego nihil ideo tentasse judico, quia nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluerit, ne occidisse, nisi servasset, videretur. Fernelius calculo extinctus fertur, quo se affectum esse, nec ipse, nec alii sciverant, idque post dissectionem demum cognitum fuit. Lepus marinus à proprietate pulmonem ulcerat & tabem adfert, cantharides vesicam.

Hæc igitur & similia si ignorentur, (ut ignorari possibile est) quomodo curatio institui legitima poterit? & quomodo morbus non persistet, aut hominem tollet? Talis initio fuit morbus Gallicus, qui quidem nostro tempore per se curabilis est, olim non ita fuisse videtur. Cui si similes alii oriantur forte, sive quis per se, sive per accidens eos inter incurabiles numeret, cum illo

nolim

nolim contendere, quamdiu ſcilicet remedia vera vel alexipharmaca ignorabuntur: utroque enim modo exemplo nobis erunt, non omnes eſſe ſemper curabiles arte & virtute humana.

Nimium tamen peccant multi mea quidem ſententia, qui quoties obſcurior aliquis & malignior morbus graſſari incipit, abjecta ſedula inquiſitione & conſideratione, ſtatim ad novi morbi appellationem & prætextũ confugiunt (quemadmodum his annis de febribus continuis accidit) quanquam ſane morborum tam infinita eſt multido, ut Pherecydes Syrus copia ſerpentum ex corpore ejus erumpente expiraverit, & inauditas antea morborum ſpecies oriri poſſe non eam inficias. Nihil autem obſtet huic ſententiæ, quam defendo, ſi interdum tam ex his, quam ex ante dictis morbis, convaleſcant homines, ſatis eſt & propoſito noſtro proprium, quod aliquando imo ut plurimum, cum in talem ſtatum res devenerit, auxilia adferri amplius non poſſint, quæ enim raro præter ordinem fiunt, artes non turbant. *Hippocrates etiam ipſe parvipendit id quod raro evenit*, quemadmodum 2. Aph. 43. de ſtrangulatis aut ſuffocatis, quibus circa os ſpuma collecta fuerit, ait Galenus: Ac fortaſſe Hipp. non quod neceſſario intereant ita pronunciavit, ſed quod aliter eveniet rariſſime. Audivimus item quam ſæpiſſime excellentiſſimos hujus ſeculi medicos in conſultationibus de quibuſdam ægris ita pronunciantes: *Curari nequeunt, ſed in*

*meliorem*

*meliorem statum deduci poterunt.* itaque horum & exemplum & autoritas nobiscum facit.

Ægrotantium quoque vel in primis magnæ multæque sunt in hoc negocio partes, & peccata plurima. Hippocrates in præceptionibus vult, ut ægri medicis se subjiciant. 1. Aph. 1. ait: *Non solum medicum seipsum præbere oportet facientem quæ decet, sed etiam ægrum.* Similiter Galenus inquit: *Veteres medici ægris ut Duces militibus imperare voluerunt.* Hoc itaque universale est & commune in hoc capite, ut ægri medicis sint obtemperantes, quod nisi fecerint causa perpetui vel lethalis morbi in ipsos merito referetur.

Vulgus quidem & literatores quidam semidocti non credunt medicinam artem esse, quæ causarum, effectuum, affectuum, corporum, temporum, ętatum, remediorum diversitatem methodo certa & naturali consideret, sed putant peritiam tantum quandam esse, quæ miraculose sciat, prædicat, & tollat omnia mala, atque semper & ubique unum remedium uni morbo opponi simpliciter existimant, per quod nullo alio respectu adhibito morbus statim quilibet depellatur: perinde ut carnes solo igne percoquuntur, & humiditas siccis linteis facile abstergitur: & remedia ejusmodi, quæ somniant, secreta atque artificiosa sola appellare solent. Hoc si verum esset, sequeretur in fortuna positum esse, ut quis fiat in medendo peritus, & nec in studio habituque doctrinæ atque usu exercitii, & stultos fuisse Impe-

ratores,

ratores, qui dignitatem & privilegia olim medicorum ordini contribuerint, nimirum cuicumque fortuna plurima talia remedia offeret, is statim medicus erit. Quod ne quis fingere me putet, circumspiciat quæso quot impuros homines Doctorum nomine celebret vulgus, qui quocunque modo medicinæ faciendæ famam habent, cerdones, monachos, histriones, agyrtas, & quos antea ejusdem farinæ homines nominavi, unde inter prudentiores olim quæstio exorta est, utrum sint in civitate plures medici an stulti.

Horatio teste abrotanum ægro non audet, nisi qui didicit, dare: nemo quidem audet, probus scilicet & sapiens. Sed tamen in hac artium sola evenisse videmus, ut cuicunque medicum professio statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. Id suis quoque temporibus Plinius fieri conqueritur. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, turba se medicorum perisse. Sed audiamus Platonem absque omni dubio sapientissimum virum, quid in Phædro scripserit: SOCRATES. *Si quis ad sodalem tuum Eriximachum, aut ad patrem tuum Acumeum progressus dicat, ego scio talia quædam corporibus adhibere, ut & calefaciam, si velim, & frigefaciam, & si videatur mihi vomere faciam, & si rursus videatur efficiam, ut deorsum per alvum fiat egestio, & alia multa hujusmodi: & cum hæc sciam, pro medico haberi volo, & alium medicum facere posse, me jacto, cui harum re-*

*rum*

*rum scientiam tradidero: Quid putas his auditis dicturos esse?* PHÆ. *Quid aliud, quam interrogaturos, an insuper etiam sciat, & quibus oportet, & quando, & in quantum singula hæc facere?* SOC. *Si igitur dicat, quod nequaquam hæc sciat, sed oportet eum, qui hæc à me didicit per seipsum facere posse ea, quæ tu proponis: quid dixerint?* PHÆ. *Dixerint, arbitror, insanit homo, & ex libro alicunde doctus, aut in medicamenta collapsus medicum se factum esse putat, cum nihil in arte sciat.* Ecce, nihil affirmat talem impostorem scire in arte, cum tamen multa nominaverit, quæ revera ad medicum pertinent. Fit igitur ex tam prava atque insulsa opinione: quam de medicina passim homines conceperunt, ut eam non artem, quemadmodum dixi, sed nescio quid leve tantum & fortuito collectum esse putent, & nullo discrimine, nullo judicio, nullo delectu, quibuslibet, qui pro medicis se venditant, se suamque salutem committant, ac plerumque deterioribus. Hi enim, ut supra dicebam, artificia tenent aucupandi rumores, favores & applausus imperitæ plebis.

Sed econtra in 1. epidem. 2. sect. 51. Aph. dicit maximus Hippocrates: *Ægrum una cum medico morbis adversari oportere*, ac ibidem *tria esse* pronunciat, *quæ artem & curationem perficiant, morbum, medicum, ægrum.* Morbus atque medicus (ita interpretante eum locum Galeno) inter sese mutuo concertant & bellum gerunt animo hostili, medicus depellere morbum conatur,

morbo

morbo ne vincatur propositum est. Tertius it que æger utri ex his accedet illius sane vires a gebit. Etenim medico bono si crediderit atq imperata fecerit, huic certamine socius effici atque morbo hostis: & tum magna est futu victoriæ expectatio, duobus scil. hominibus a versus morbum unum pugnantibus. Si vero medico defecerit & morbo obsecutus fueri duobus modis medico injuriam facit, primo q dem quod solum eum in pugna reliquerit. Dei de quod secundum vel geminum fecerit (mo bum scilicet) qui prius unus esset: ut autem d validiores sint uno, necesse est. Ac tum nil spei reliquum erit, si æger morbi partes secut medico reluctetur, solum enim medicum à du bus facile est vinci.

Tum autem æger medico relicto ad mor imperata se accommodat, cum scilicet medic ægrum (exempli causa) à frigida potione abstin re jubet, is autem à febre ustus ab eadem, ut b bat persuadetur. Ita si lavetur, quod ne fier prohibuit medicus, morbum sane augebit, si q illi placent fecerit, medicumque prodet, si q non jubet egerit. Gravis profecto adversari est morbus, qui sæpe non sinit curam finiri cu victoria. Insanabilis affectus esse solet, ubi p pugnantium robur est, quia in sanatione nat ram tanquam agens fortiorem esse oportet. Qu fiet ergo, ubi æger morbo accesserit? Ejusde rei testem habemus etiam Gal. 2. com. 6. epi

dice

dicentem: *Plurimi fallaces morbi ægros medicis haud obtemperantes evertunt, ſicut pauci admodum tollent, ſi neque delinquerit medicus, neque æger, neque miniſter, neque aliud quippiam externum forte fortuna nocumento adſit.* In omni actione, ut agens efficaciter operetur docent Phyſici ſubjectum oportere prædiſpoſitum eſſe, & ad recipiendam ἐνέργειαν agentis idoneum. Plus ſatis autem moleſtiæ Medicis faceſſit natura ipſa morbi: ſi accedat vero inſuper rebellis voluntas hominis cum corpore ſubinde prius diſpoſito ac diſponendo, quid ibi boni ſperandum? profecto aliud nihil, quam ſi actionibus medici refragatus fuerit æger & officium facere nolit, quod morbum ſibiipſi creabit difficilimum, ac non infrequenter incurabilem.

An vero non deploranda res eſt; cum per ſe alioqui incumbant nobis graves atque inſanabiles morbi, quod nos culpa etiam noſtra ac ſponte multos alios mitiores illis pares efficimus? Juſtiſſime Heſiodus *peßimum eum appellat, qui nec ipſe ſciat quæ facienda ſint, nec aliorum etiam prudentium monitis conſiliiſque obtemperet.* In hac igitur claſſe ſummo jure ponuntur ægri inobedientes, intractabiles, indociles, præfracti & duræ cervicis, ut ſcriptura ſacra loquitur, vel nimis etiam ruſtici, avari, ſordidi, inconſtantes atque inſcientes, vel quovis modo medici actionibus contraeuntes, eaſq; cum remorantes negligenteſve, tum, in nihilum ut cadant, ſua culpa procurantes.

Hæc in genere etsi satisfacere poterant huic capiti, ut magis tamen obvia omnibus fiant atque conspicua, ad facta hominum descendentes quædam docendi causa adjiciemus, quæ fortasse aliquibus saniori judicio præditis non erunt inutilia. Hippocrates lib. de Arte scribit, *Se eos mirari, qui quod multi moriantur, ideo artem esse negent Medicinam, & quanam memorabili causa commoti, intemperantiam morientium causam mortis non statuant, scientiam vero medicorum accusent: tanquam sane medici quidem ea, quæ non conveniant, imperare poßint, ægri vero, quæ imperata recte sunt transgredi non poßint.* Et addit ibidem: *Longe magis rationi consentaneum esse, ut ægri interitus sui sint causa quam medici. Hi enim sana mente sanoque corpore curam aggrediuntur, præsentia considerant, & de præteritis juxta præsentia ratiocinantur, adeo ut ægri quidam palam gloriari soleant, se illorum opera sanitati restitutos esse. At ægri neque qua parte laborent, neque ob quam causam laborent, neq; quid ex præsentibus futurum sit, neq; quid ex horum similibus fiet sciunt, dolent ob præsentia, timent futura, & pleni quidem morbo, inanes autem ciborum, ea quæ morbo grata sunt, assumere malunt, quam quæ ad sanitatem faciunt. Vtrum igitur verisimilius est, hosne ita affectos alia facere, quæ medici non jusserunt, aut medicos præstantes non convenientia imperare? Nonne multo magis hos quidem, quæ conveniant, jubere, illos autem temere & impotenter nolle obedire? atque sic inobedientes in mortem incidere? Quæ sane, qui non recte considerant,* causas

*causas (mortis) ad hos qui inculpabiles sunt referunt, eos vero, qui maxime accusandi sunt, à culpa liberant & defendunt.*

Hæc Hippocrates, quibus nihil verius dici poterat, atque ad hæc nostra tempora accommodatius. Quid igitur per inobedientiam ægrotorum hoc loco intelligamus, particularibus exemplis aliquot declarandum censeo. Inde autem exordiar: Cum medicus indicat methodum, qua in curatione procedendum, & quibus rebus opus sit, una scilicet post aliam, quodque cum pharmacis conjungi oporteat diligentem observationem certæ ac convenientis diætæ: nolumus ista, *inquiunt*, tam longa & intricata, dic vel propone aliquid breve & εὐπόριστον: quasi in manu aut voluntate medici sit mutare ordinem rerum in natura atque arte. Sunt quidam morbi tardi & χρονικοὶ, quorum motus non nisi longiori perficitur tempore, sunt quædam causæ materiales, quæ subito vinci aut tolli nequeunt. Id igitur tempus pro libito breve aut brevissimum facere non licet, sed licet brevius solito reddere, quantum id natura rei tolerat atque concedit. Inde exortæ sunt appellationes medicamentorum incidentium, attenuantium, detergentium, concoquentium, evacuantium, digerentium, revellentium, &c. quorum sane ἐνέργειαι non nisi in tempore absolvuntur, nec unum absque alterius ope quicquam utile præstare solum potest.

Non igitur, quod initio dicebam, credunt plerique Medicinam artem esse, quæ per indicationes procedat, indicationum autem non uno est ratio.

*Primæ* à morbo morbique causis sumuntur. Interdum symptoma cum nimium ingravescit curam ad se pertrahit, vel ad præservationem medici intentionem abducit. Aliæ deinde indicationes sumuntur à viribus corporis, à loco affecto, à temperatura, habitu, natura, ætate, consuetudine, sexu, proprietate individuali (ut vocant) ipsius ægri, à regione, tempore anni & aëre: Ex quibus omnibus discit medicus, & quid, & quantum, & quo modo, quo tempore, quo loco agendum sit: modus enim agendi in plurima alia observatu necessaria dividitur. De hac re legatur doctissima Cornelii Celsi in opus suum præfatio.

Hæc omnia isti pro nihili rebus reputant, & cum in istis vel omnibus, vel plerisque, multa enormia errata commiserunt, & necessitate urgente coacti, tarde tamen, medicum advocarunt; nihilo minus postulant, atque flagitare audent, ut medicus statim omne malum depellat, perinde ac si illa priora plane nihil nocuerint, aut quasi morbus sit tale quiddam, cujus nulla sit vis, vel actio, vel efficacia, ad male afficiendum vel resistendum. Nec volunt ferre, cum quis dicit ipsos sibi mali causam esse, nullumque suum agnoscunt erratum, & malunt cum mendacio in

medicum

medicum mori, quam vera fatendo & bona faciendo paulo ſerius convaleſcere. Poſtquam ergo ita tarde advocant medicnm, invaleſcentibus ſymptomatibus graviſſimis morboque ſæviente, quis tum temporis ex augmento vel ſtatu morbum ad principium revocare queat; aut ex principio ſtatim declinationem generalem efficere? Iſta vero non medicis ſolum, ſed naturæ quoque impoſſibilia ſunt, *nam quæ præteriit hora redire nequit*, occaſioque præceps, & ſola fronte capillata, qua prehendi poſſit, à veteribus dicta eſt. Quamobrem cunctatio iſtiuſmodi cum magno ſæpe malo conjuncta eſt, & abuſus ingens eſt artis, uſitatiſſimus tamen, quod raro patiuntur homines curam integram inſtitui methodicamq; cui rei non negarim, quin medici multi magnam olim occaſionem ipſi dederint, primum ſua avaritia, cui pauperes ſatisfacere non potuerunt, ſecundo quod totam artem imperitiſſime ad unicum genus divinationis urinariæ contulerunt. *Verum de hoc alibi.*

Frequentiſſime hoc etiam fieri experimur, ut æger pertæſus moræ, quantumvis neceſſariæ atque ſalutaris, & quadam erga medicum diffidentia ductus, (quem ſuſpicetur vera remedia ignorare) alium ſubinde medicum quærat, nimiſque varia tentet, ubi fieri non poteſt, quin multa diverſa, contraria, pugnantia & inconvenientia adhibeantur, ignorantibus videlicet poſterioribus, quid & quantum perfecerint priores medici,

vel ignorantibus etiam prorſus, an alius ante ipſos curæ præfuerit. Ex qua re & perturbatione plurimum labefactatur corporis natura, morbuſque exaſperatur, ut tandem inſuperabilis evadat, dum nullo ordine certo ac legitimo regi ſe patiuntur ægri.

In tali vero perverſitate morum etiam hæc calumniandi occaſio arripitur: cum medicus feliciter maxima incommoda & pericula, quæ impendebant, amolitus eſt, poſtea ſanatos ſe dicunt homines ſolius naturæ beneficio, poſtquam ſcilicet medicamentis uti deſierint (quanquam fieri poteſt, ut nonnulli naturam nimis interdum medicamentorum uſu onerent) & magna obſtinatione adfirmant morituros ſe fuiſſe, niſi medicum à ſe ablegaſſent. Atque in tali momento morbi, poſtquam labore, ſedulitateque prioris medici res in tuto jam eſſe cœpit, ſi felix quædam fortuna vel imperitiſſimum homuncionem ad ægrum perduxerit, ille deinde omnem ſervati hominis ſibi laudem aſſcribit, aſſentientibus ſæpe numero ipſis ægrotis. Sin autem malus iſte in præcipitium deduxerit negotium & extrema pericula, plerumque error hujus imputatur primo meliori atque innocenti, qui miſer pro fideliſſima opera ſua etiam inſignem hanc ingratitudinem cum mendaciſſima calumnia ſuſtinere cogitur. Sed hæc communia habet cum omnibus bonis in omni vitæ genere. Si turbulenti cives alios pacis amantes, & publicæ tranquillitati

recte

recte consulentes, seditiosos appellant, Christum & Paulum Pharisæi pro falsis doctoribus, id quod ipsi erant, traducebant.

Quotus quisque est, qui cum meliuscule incipit habere, vel ob alia negocia rei familiaris, quam vitæ & valetudini longe præfert, non statim curam omnem abjiciat? Quod si redeant insultus morborum, nunquam in seipsum, sed in solius medici, vel inscitiam vel negligentiam postea accusationem omnem convertit. Multi etiam nimis delicati reperiuntur, qui quamvis periculum suum intelligunt, diligentiam fidemque Medici agnoscunt: tamen animum inducere non possunt, ut necessariis remediis omnibus utantur, quod apud mulierculas est crebrum. Puerili quidem ætati, & iis quorum natura non vitio consuetudinis, sed invita etiam voluntate aversatur usum pharmacorum, merito in hac re condonandum est aliquid. Alii vero molliculi & effæminati, non ferimus talia, *inquiunt*, quæ per os sumuntur, quæ in apothecis præparantur, quæ amara sunt, fastidiunt potiones, catapotia, ecligmata, clysteres, & purgatoria alia non admittunt in maximo interdum suo damno. At nonne quæso insignis fatuitas est ista? cur accersitur ab iis medicus, si medicamentorum usum nullum sunt admissuri? an verbis volunt depelli morbos, quod remedii genus sagæ & venefici pollicentur? Certe etsi sermone non confitentur, animo tamen nihil magis quam tale auxilium expe-

tunt, quantumvis impium & prohibitum. Dum igitur nimis abhorrent medicamenta, & tanquam in potestate morbum haberent, satis diu sic deliberant, differamus rem dicentes ad biduum vel triduum, animadvertamus, quorsum res evasura sit: interim elabuntur optimæ occasiones & oportuna tempora aliquid utile agendi, quæ deinde revocare non licet. Id Hippocrates monuit, libro de decenti ornatu: *Neglecta ea, quæ circa temporis occasionem administrare oportebat, impetu suo progessa occupant ac perimunt, non enim est quod opem ferat. Ut si calor atque incendium febris acutæ nullo obstante perurat viscera, temperiem prorsus pessundabit. Vel si materia eductioni parata non educatur, decumbet ad nobilem partem aliquam unicæ etiam interdum diei tempore prætermisso, cum gravissimo vitæ periculo.* Semper igitur nocuit differre paratis juxta Poëtam. Tradidit Galenus 1. ad Glauc. *Occasionem omnium cognitu difficillimam esse, cum adeo sit præceps & quasi momentanea, ut circa ipsam sæpenumero non solum vulgares, sed & optimi fallantur medici. Nam cum semper fluant nostra corpora,* ( ut eodem loco optime scribit interpres Stephanus Atheniensis ) *& variis subinde modis se habeant, præsidia etiam in ipsis diversa esse; & alia singulis occasionibus necesse est.* Nequaquam ergo occasio comprehendi potest, ob idque infortunia speique frustrationes non idiotis tantum, sed optimis etiam medicis evenire

nire conſpicimus. Verum idiotæ ob ſuam ipſorum imperitiam cadunt, artifices ob rei incomprehenſibilitatem.

Eant ergo nunc decumbentes, adque ſuum arbitrium revocent, quæ in morbis hoc vel illo tempore fieri velint, aut non velint, & ſi res ſecundum vota non ſucceſſerit, in medicum culpam deinde omnem rejiciant. Non conſiderant iſti æquum eſſe, ut major etiam medicis quam legis peritis venia concedatur, ſi non ſemper victoriam obtinuerint: his enim cum voluntate hominum mutabili, cui occurri facilius & obſiſti poteſt, res eſt; at illis cum natura, quæ uno certo modo agit, nec pro arbitrio, aut ſecundum uota hominum, ſic vel ſic tractari permutarive poteſt. Multa quidem obſtare ſolent in foro litigantibus, ne jus ſuum conſequantur, improbitas, verſutia, potentia adverſarii, qui muneribus & favore adverſam partem premit, judiceſque aut teſtes corrumpere poteſt, divitiis etiam diuturnam litem efficit, ut tædio & inopia coactus alter cauſam deſerat: iniquitas item judicis, mora temporis, ſumtuum magnitudo, avaritia, vel inſcitia & prævaricatio procuratoris vel advocati, cauſæ perplexitas, pœna item divina.

Non pauciores adverſarios, aut plures, etiam habet unà cum medico ſanitas in ægro reſtituenda, malitiam vel magnitudinem, potentiamque morbi, debilitatem proprii corporis ac virium, ut cum quis eſt φύσει καὶ δυνάμει νοσερὸς, vel in

 extrema

extrema ſenecta conſtitutus, diuturnitatem temporis, quo inveteravit morbus, quæ enim tarde fiunt, tarde etiam recedunt, inſcitiam vel negligentiam Medicorum aut Pharmacopolarum quorundam, peccata adſtantium multiplicia, caſuum variorum metum, pœnam aut voluntatem divinam, rabiem perpetui hoſtis humani generis Diaboli, & miniſtrorum ipſius magorum atque veneficorum, egeſtatem & miſeriam fortunarum, ſuos denique quiſque mores habet, quibus ſalutem ſuam remorari poteſt, de quibus jam in hoc capite tractamus. Quid contra tot inimicos valentiſſimos unus medicus etiam optimus perficere valeat? Meritone igitur aut recte aut juſte omnis ſemper cauſa non convaleſcentis ægroti, in medicum conferenda eſt? Minime quidem hoc facient boni viri, & naturæ conditioniſque vitæ humanæ intelligentes, imperitorum vero & ſtultorum calumniæ fortiter contemnendæ nobis erunt, ac Deo omniſcienti vocationis curſus committendus.

Hujus generis & hoc eſt, quod præ mollitie nihil fere pati æquo animo poſſunt, quod ſit moleſtum, unde ſæpe accidit, ut mentiantur magnitudinem doloris, atque ea animi dejectione & querelarum immenſitate medici intentionem à neceſſariis ad minus neceſſaria avocant, in quo ipſi plus ſeſe quam medicum decipiunt. Sæpe natura vomitum ſuſcitat non inutilem, ſæpe dolor capitis tolerabilis cum febre incidit, aut tor-

mina

mina quædam non maxima in ventre persentiuntur, ejusmodi igitur symptomata verbis ita extollunt, ita lamentabiliter remedia & mitigationem flagitant, ut animam exhalaturos inde existimare possis, nisi succurratur. Aliquid omnino ægro ferendum est, neque omnis dolor & molestia minima statim remediis amovenda est, & interim alia mala graviora irritanda vel negligenda, nam fieri potest, ut quæ symptomatibus talibus adhibentur, morbo interdum sint adversa. Id igitur non expedit, nisi vera & evidenti urgente necessitate, sin autem fiat crebrius & diutius, absque noxa certa abire non poterit: nihil obstantibus usitatis ac detestandis empiricorum blandimentis, qui uno die septies pro ægrotantium querelis remediorum formas mutare solent, & singulis punctionibus vel flatibus singula auxilia statim opponere.

Neque desunt intemperantes etiam, qui tenuem victus rationem & abstinentiam non ferant, & quamvis pollicentur se omnia, quæ præcipiantur, facturos, tamen facto & reipsa nihil horum exequantur: quæ temeritas magna est, ac furori pene similis, namque & seipsos manifesto discrimini objiciunt, & sumtus frustra expendunt, & medici actiones perturbant, operamque omnem ut ludat, in causa sunt. De hac re insigne exemplum apud Celsum extat libr. 3. ita scribentem: *Facilius in servis quam in liberis tollitur* (*Hydrops*) *quia cum desideret famem,*

*sitim,*

*ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promp- tius his ſuccurritur, qui facile coguntur, quam qui- bus inutilis libertas eſt.* Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideoque non ignobili medicus, Chryſippi diſcipulus apud Antigonum regem, amicum quendam ejus notæ intempe- rantiæ mediocriter eo morbo implicitum, nega- vit poſſe ſanari. Cumque alter medicus Epiro- tes Philippus ſe ſanaturum polliceretur, reſpon- dit illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad ani- mum. Neque eum res fefellit, ille enim cum ſumma diligentia non medici tantummodo, ſed etiam regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua devorando, bibendoque ſuam urinam in exitium ſe præcipitavit. Plutarchus item in Alexandri M. vita refert, febricitaſſe Hephæſtionem regi cariſſimum, qui cum ætate integra & militari conſuetudine ſubductum per abſtinentiam ci- bum ferre nequiret, cumque Glaucus medicus in theatro aliquando abſens eſſet, gallum prandit aſſatum, & ingentem vini craterem hauſit, quam- obrem invaleſcente morbo paucis poſt diebus moritur: Alexander miſerabilem medicum in crucem egit.

O duriſſimam & inquiſſimam medici condi- tionem, ſi ægrorum adſtantium & Pharmaco- polæ culpam omnem ipſe præſtare debeat! O injuſtiſſimam etiam regis crudelitatem! niſi for- te (ut veriſimile eſt) medicus juſſu ejus perpetuo

ægrotan

ægrotanti adſtare debuit, idque facere propter ludos theatri neglexit.

Quin aliis etiam ægri clam medico utuntur, tum cibis, tum potionibus, tum quod deterius eſt medicamentis aliorum conſilio oblatis. Ubi facile accidere poteſt, ut medico conante adſtringere alius relaxet, aut ad partem affectam trahat illo avertente & revellente, vel excalefaciat illo refrigerationem moliente: quæ contraria, ſi concurrant, nunquam naturæ ſalubria eſſe queunt, ac ne ſanæ quidem atque integræ nedum morbo afflictæ. Quapropter de hoc ipſo Hippocrates medicos monuit, obſervanda eſſe ægrotorum peccata, per quæ multi ſæpe mentiti ſunt (*inquit*) in aſſumendis his, quæ ingerenda exhibentur, poſtquam exoſas potiones non accipientes, aut pharmacis datis, aut alia curatione adhibita peremti ſunt, & factum quidem hoc, non ad ipſorum confeſſionem vertitur, verum medico culpa imputatur.

Similiter vehementer erratur hoc tempore ab iis, qui præſcriptam rationem victus, & aliarum rerum perinde ac non neceſſariam negligunt aut confundunt, ut cum ægri in medio febrium & acutorum morborum ſtatu dormiunt, cum uberiore potu vini, vel frigidæ (quanquam hujus abuſus in hac Germaniæ parte non eſt creber) vel nimiæ quantitatis aut qualitatis noxiæ cibo utuntur: idque plerunque in acceſſionibus, ubi tamen cibum ſubtrahere utplurimum oportet, neque

ſiti

ſiti vel edacitati aliquantiſper reſiſtere poſſunt.
Peccant alii Venere, alii intempeſtivis laboribus, vel nimio etiam ſomno, alii iracundia, alii & quidem plurimi in eo, quod æſtum febrilem non tolerantes, lectos ac tegumenta abjiciunt & perſpiratum caloris magno ſanitatis detrimento impediunt, retroque cedere cogunt, & obſtructiones internas putredinemque augere id quod per cutis meatus foras abiturum erat.

Contra alii ſunt, qui nimium feſtinando plura etiam medicamenta aſſumere ſubinde volunt quam neceſſe eſt, neque lente ſecureque ſe reſtitui patiuntur; quemadmodum Alexander, ex Cydni fluminis lavacro lethali ægritudine oppreſſus, citum, validum, ancepſque remedium potius, quam ſecurum & tardum præoptabat. Ita cum poſt quatuor aut quinque dies opportuna occaſio offertur corporis expurgandi, illi hodie malunt id fieri.

Reperiuntur præterea, qui cum diutiſſime fuerint imbecilles, non ſatis tamen habent, ſi ex præſente morbo liberentur, ſed volunt plane ex omni parte fortiſſimi eſſe, quod ipſis tamen natura negavit. Veluti febricitans aliquis, qui antea epilepſia aut diuturno malo ventriculi laboravit, non contentus eſt à febre ſi liberetur, niſi etiam hæc mala prorſus auferantur. Itaque ejuſmodi ingenii homines medicos non facile à ſe dimittunt, priuſquam id quod optant conſequantur, & hac ratione plurima tentant atque

ingerunt, quibus plus ſibi nocent, quam ſaluti conſulunt. Ita ab uno recto permulti ſunt aberrationum modi.

Itidem peccant ægri, dum corroborari vires volunt, ſtatim ab initio morbi, quem aliud nihil eſſe arbitrantur, quam imbecillitatem virium, cum hæc creberrime ſymptoma ſit ad morbum, morbique cauſam conſequens, neque tum emendari aut reſtitui queat, niſi cauſis ablatis vel mitigatis. Sæpe quidem viribus collapſis primo & ante omnia ſuccurrendum eſt, idque præcipue nutrimentis convenientibus: ſed non eſt tamen unica corroborandi ratio ſemper, neque perpetuo imo raro hoc locum habet. *Corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædes*, inquit Hippocrates. Graviter ergo errat hominum vulgus, dum vires augeri & firmari ante morbi medelam poſſe, & corroborationem per ſolam multitudinem alimentorum perfici opinatur. Exemplum hoc eſto: In febre calor moleſtus cordi & corpori univerſo ad formam eſſentiamque febris pertinet, neque ab eo liberari poteſt homo, niſi febris ipſa depulſa fuerit, & tamen tanta eſt ignorantia multorum, ut petant ſolum æſtum abigi, & tum libenter febrem ſe toleraturos promittant, roburque recuperaturos ſe confidant. Ignorantia hæc in idiotis ferri poterat, ſi dociles eſſent, & rectis monitis parere poſſent, at in præfractis vel naſutulis etiam, qui ſapientiæ cujuſdam perſuaſione tument, omnino

repre-

reprehendenda eſt, & medici in eo innocent
ac dignitas vindicanda.

Hinc jam intelligere cordatus quivis poteſ
quam mala conſulant ægris mulierculæ,& The
logi nonnulli ἀλλοτριοεπίσκοποι, dum nu
diſcrimine quavis hora monent, ut cibo ſe re
ciat æger, ut medicamentorum uſui valedicat,
quibus ſentiat ſe tantum debilitari magis, ut i
dicet quarum rerum appetitu teneatur, eaſq
ſine metu præparari curet: ac ut magnum qu
facere videantur, mira religione & quaſi ſac
geſtibus offerunt aquulam aliquam, quæ narib
& cordi admota vitam jam diſcedentem, & ſa
cinas colligentem ex via revocet: huic veró ſi
trepidatione fidere jubent: & aliæ ſimiles in
ptiæ quotidie excogitantur plures. Interim ca
ſa morbi nullo adverſante libere dominatur, ſ
bolique ſuæ, id eſt, morbo incrementa dat, d
nec ægrum jugulet. Quo tunc ſe proripit illa ſ
pientia, quæ cenſorio conſilio medicos proc
faceſſere antea juſſit? Sic autem ſe res habe
gratificandum eſt nonnunquam ægris aliquid a
petentibus, ſed fiat hoc cum judicio recto & a
tificioſo, non mulicrcularum, ſed medicorum
cibus enim deterior, paulo ſuavior tamen, co
cedi interdum poteſt. 2. *Aph*. 38. Id vero ad a
tem pertinet ſcire quomodo & quantum: neq
deſideriis ægrorum vel ſtolidis opinionibus f
minarum committendum eſt. Neque crede
dum utique noſtris (*de Romanis ſuis ſic loquiteu* C

ſi

*sus*) eſt, qui cum in adverſa valetudine vinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſtomachi habent. Eſt frequentiſſimus idem hic ſermo apud noſtros etiam, quando potiones Syruporum, aut decoctionum, aut aquæ hordei ægre ferunt, ut ad ſtomachi naturam confugientes, hunc vinum poſcere clamitent, alioqui frigore periturum. Decet bonum medicum ſcire, quomodo & quando gratificandum ſit languentibus, neque volumus ut aſperum, torvum atque immitem ſe exhibeat, tantum tamen etiam animi habeat, ut autoritate ſua nociturìs deſideriis contradicere auſit. Cum aut nulla aut levis ſecutura videtur offenſio, quæve per ægri in cæteris obedientiam facillime corrigi queat, æquum eſt aliquid indulgere cupiditati, etiam paulo ante juſtum tempus, ſicut Galenus de ſe teſtatur, quod interdum multam gelidam aquam conceſſerit, in his morbis, in quibus poſtridie uſus ipſius conveniret, hoc ſolum gratificatus, quod non optimum plane tempus expectaverit. At ſi multis adhuc diebus non conveniſſet, certe nullo modo conceſſurus fuerat.

De hac re extant utiliſſimæ commonefactiones Hippocratis & Galeni in 6. epid. eo textu: *Gratiæ ægrotantibus.*

Quod ſi ergo aliquid à morbo affectis, neſciente medico, noxium vel intempeſtivum aſſumtum commiſſumve fuerit, tum periculum

H ſane

ſane præ foribus erit. Sed redeo ad id, unde primo cœperam, nempe ad futilia, vanaque judicia vulgi de medicina.

Quemadmodum ſunt multi, qui non putant medicinam artem eſſe: ita multi quoque ſunt, qui artem eſſe non inficiantur, ſed divinatricem eſſe volunt, quo in errore quam plurimi mortalium verſantur, maxime perſuaſum habentes, medicum nulla alia ratione adiri poſſe, niſi cum urinis in prima acie collocatis.

Mittunt igitur ad medicos urinas ſolum, male collectas & diſpoſitas, & loco harum etiam interdum alios liquores tentandi ac fallendi gratia, nihil de conditione perſonæ dicunt, nullas aperiunt cauſas atque occaſiones mali ſui, interdum quidem quod metuant has profari, ut quando uxores à maritis plagas acceptas diſſimulant, interdum vero, quod ipſos pudeat aliis notas eas fieri, ut qui lue Gallica infecti ſunt ex commixtione & congreſſu ſcortorum: maxima tamen ex parte ideo, quod credant medicum illas univerſas, ſymptomata quoque tam præterita & futura, quam præſentia, ex lotio cognoſcere poſſe, aut ſi non poſſit, medicum non eſſe. Quid inquiunt, (vel cogitant ſaltem) vis ME tibi hæc narrare? veni potius ut ex TE audirem aliquid, qualis tu medicus es, ſi hæc in lotio non cernis? Præclare igitur rem geſſiſſe ſe arbitrantur, ſi medico interroganti de circumſtantiis neceſſariis nihil reſponderint, vel aliena & conficta protulerint.

Multi

Multi tam prudentes & cauti, imo religiosi, videri volunt, ut metuant, ne medicus secreta aliqua & ἄῤῥητα rimetur, dum quærit de longitudine, modo, causisque externis morbi, de genere vitæ, de symptomatibus ac signis, & aliis: denique videntur sibi habere mille obstacula, causasque justissimas, ne verum dicant, ne autem medico mentiantur, nihil est quod ipsos impediat. Religioso igitur gestu & arte composito vultu accedunt, sacrumque illum & beatum laticem offerunt, neque aliter à medicis atque à magis & divinatoribus responsa petunt, & omnia insuper quæ desiderant uno teruncio emere semel volunt. Præterea ex superstitione quadam præcipue ad hoc opus dies Dominicas eligunt, sacris scilicet rebus destinatas, istique benedictæ aquæ præ cæteris accommodandas. Tantaque est aliquorum pertinacia, ut dulce eis sit stultæ isti persuasioni immori etiam, nec de sententia decedere, quando non reperiunt, quales ipsi volunt ac desiderant οὐρομάντεις, cum aliâs servari possent.

Volunt itaque ex una illa contemplatione urinæ præscribi statim leve aliquod & familiare obviumque seu parabile medicamentum in pauca quantitate, quo omne malum semel depellatur, nulla aliarum rerum habita ratione (unum enim contra unum expetunt, sæpe quoque multiplex sit, quod illi unum esse ducunt) id si non assequantur, statim primo neglecto, vel etiam

verbis contumeliosis, convitiisque affecto, ad alium decurrunt, quem simili tractare modo, donec vel casus remedium adferat, vel ipsi tandem malo succumbant.

Hanc vitiosam consuetudinem vehementer optarim ab ipsis medicis emendari, neque enim ab aliis emendatio expectanda est, neque etiam illa difficilis futura esset, si omnes in una civitate consentirent, imperitos rectius instituerent, nummulisque aliquot parvo tempore carere vellent. Postea enim recte edoctis hominibus de hac re, sine dubio & arti justus honor haberetur, & honesta quoque præmia non defutura essent, benedicente Deo curis atque laboribus medicorum, in plana, aperta, justa, legitima, recta, & cum veritate consentiente.

Verum de hac re non est quod plura hic disseramus, cum alibi copiosius explicata nostra extet sententia. Pauci sane recte sentientes & agentes, in tanta multitudine consueta via euntium, quid efficiant? Calumnias & obtrectationes iniquissimas subeant necesse est, odia etiam quorundam suscipienda, & multis emolumentis carendum, Quod si recta facere per alios non licet, recta tamen sentire ac vera dicere & olim licuit, & in hoc quoque negocio nobis una cum multis doctissimis sapientissimisque aliis licebit. Nec vero tacenda est aut dissimulanda avaritia hominum quorundam locupletum, (pauperibus enim gratuita opera ex caritate debetur) quæ sæpe in

causa

causa est, ut omnem medicam opem negligant, dum pecuniæ scilicet metuunt sordidi Euclio-nes, maluntque diris cruciatibus nonnunquam torqueri ac perire, quam sumtum mediocrem curationis tolerare. Aut certe si medicos implorant, tanta est tamen ingratitudo ipsorum, ut mirum non sit, si medicus multum de promtitudine atque alacritate sua ob id remittat interdum, quanquam fortassis fieri hoc non semper debebat: quis tamen omnium animos & impetus affectuum potest regere?

Videndum etiam est ægrotantibus talibus, non tam quid alii faciant, quam quid ipsi sint meriti. Omnes natura duce odimus & fugimus ingratos. Salomonis quoque hæc sacra vox est: *Non recedet malum de domo ingrati.* ex quo aliisque infinitis locis apparet gratitudinem tam esse à Deo præceptam, quam studium benefaciendi. Cumque Syracides dicit: Honora Medicvm, honorem non in verbis nudis ac pharisaicis gestibus ponit, sed in judicio animi, affectu vero cordis, & remuneratione digna laboribus curisque impensis. Incidunt vero isti ingrati justo Dei judicio in immanes demum tortores, quibus nullo auro satisfacere possunt, à quibus tamen non sanantur, cum bono viro & perito sæpe drachmam denegarint. Hinc fit ut juxta Satyricum:

*Pœniteat multos vanæ sterilisque cathedræ,*

hoc est, professionis medicæ. Et certe quibus nec justa methodo artem tractare licet propter

agreſtes mores & improbitatem hominum," ne
juſta etiam laborum præmia capere licet, ve
niam illi merentur, ſi de alio vitæ genere ſuſci-
piendo deliberent, in quo & Deo & hominibu
plus ſervire queant. Quantum quæſo in hellua-
tiones aut veſtimentorum luxum pecuniæ pro-
funditur? quantum etiam datur rabulis & foren-
ſium cauſarum patronis, de re aliquando minima
litem perſequentibus? atque ii tamen nullis fere
beneficiis contenti acerbe extorquent ingentia
operæ ſuæ precia, aut eam omnibus palam de-
negant, idque jure facere videri volunt. An cor-
poris mala minora ſunt iis, quæ fortunæ bonis
accidere ſolent? Res ſcilicet inſtituta eſt ac ge-
ritur juxta veterem ironiam.

Τίθει μαγείρῳ μυᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν·
Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ καπνόν.
Πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

Non hæc dico quaſi ſentiam omnia loca om-
nes ingratos producere; nam ſunt, ubi dignus &
arti & artificibus honos habetur. Sed quoniam
de præſentibus odioſa eſſe ſolent exempla, vete-
rum judicia commemorabo quædam, ut quo lo-
co atque qua dignitate olim Medicina fuerit, le-
ctores cognoſcant.

Prætereo quanta Hippocrati ab Artaxerxe
Perſarum rege oblata fuerint munera. Eraſiſtra-
tus Ariſtotelis filia genitus Antiocho rege ſana-
to centum talentis donatus eſt à Ptolemæo filio
ejus, quanquam hoc libr. 7. Plinius Cleombroto

Ceo,

Ceo, niſi fallor adſcribit. C C L. H--S. annua mercede fuêre apud principes Caſſius, Calpitanus, Aruntius, Albutius, Rubrius. Stertinius imputavit principibus quod H--S. quingenis annuis contentus eſſet, ſexcena enim ſibi quæſtu urbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæſare infuſſa eſt. Crinas Maſſilienſis centies H--S. reliquit muris patriæ, mœnibuſque aliis non minori ſumma extructis. Ludovicus Galliæ rex (XII. puto) quot millia coronatorum medico ſuo etiam uno menſe perſolvit? quanto ſtipendio annuo aliquot Medici in Italia docuerunt? Quantum Petro Aponenſi pro unius diei duntaxat itinere & pernoctatione numeratum fuit? Quam præclara privilegia ab Impp. medicis olim ſunt conceſſa? Lex enim hæc eſt Conſtantini Lib. 10. Cod. *Medicos & maxime Archiatros, grammaticos & profeſſores alios literarum, & Doctores legum, una cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus poßident, ab omni functione, ab omnibus oneribus, vel civilibus vel publicis immunes eſſe præcipimus, & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, nec eximi vel exhiberi vel injuriam pati: ut ſi quis eos vexaverit pœna arbitrio judicis plectatur. Mercedes etiam & Salaria eis reddi jubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.*

Hæc ideo recenſenda eſſe duxi, ut oſtenderem magno in precio olim fuiſſe apud ſapientiſs.

& potentiſs. principes Medicinam, neque tam contemtim habitam, ut nunc fieri ſolet, cumque illi maximis honoribus atque præmiis Medicos affecerint, juſtum eſſe, mediocritatem aliquam hodie quoque ſervare, neque plane ſervilem facere artem. Omnino igitur locupletes liberaliſſimos eſſe conveniebat, ut tanto æquiore precio medici pauperibus, vel gratis etiam, operam navare poſſent. Verum ut nunc mores ſunt; quemadmodum validi mendicantes, homines ignavi, ocioque perditi, veris egentibus eleemoſynas præripiunt: ita divites à pauperibus medicorum fere benevolentiam & ſtudium avertunt abducuntque, dum incredibili tenacitate ſua omnem ardorem benefaciendi in eis extinguunt. Solent iſtiuſmodi homunciones medicorum amicitiam aſtute expetere, & miriſice quoque ambire, non virtutis ſtudio aliquo, ſed ſolam hanc ob cauſam, ut in morbos delapſi gratuitum deinde propter amicitiam miniſtrum habeant. Verbis quidem liberaliſſimi ſunt, prolixe pollicentes, ſed ſplendide ſimul mentientes.

*Φῆς μοι πάντα δόμεν, τάχα δ᾽ ὕστερον οὐδ᾽ ἄλλα δοίης.*

*Domine Doctor*, inquiunt, *ero gratus ne dubites, intelligo quid meam gratitudinem deceat, ſolvam liberaliter quantum tibi debetur*, καὶ λώϊον: deinde nullus finis admonendi eſt: *Sis diligens, ſis aſsiduus in cogitatione de mea ſalute, commendata tibi ſit vita mea; ego tibi præ omnibus aliis fido, nota eſt mihi eruditio & ſcientia tua*: talia enim lenocinia verborum admiſcent

admiſcent, interim denarium præ manu dant, cætera cum convaluerint à ſe expectari jubent: quaſi vero medicus ex pacto teneatur carere mercede ſua, ſi non omnis æger convaleſcat.

Finis medici non eſt ſanare (nam hoc ſemper fieri non poteſt) ſed omnia ſi agat, quæ ad ſalutem recuperandam pertinent, tum officio ſatisfecit & à fine ſuo non aberravit, & ſive æger reſtituatur, ſive morbo ſuccumbat, pro officii tamen ſui ratione, honore ac præmio fraudandus non eſt. Talem ergo ſapiens Plato legem condidit, lib. 9. *Quivis medicus, ſi is qui ab ipſo curatur, moritur invito ipſo, purus ſit ſecundum legem.* Tandem vero admoniti, qui ægrotarunt (aut horum hæredes) de debito, aperti hoſtes fiunt: negant tantum deberi, dicunt levem fuiſſe operam, jam ſe à pecunia non inſtructos eſſe, admonent patientiæ, criminantur hominem eſſe inſatiabilem, inhumanum, avarum, & quid non? Talia igitur medicum, ut credo, facient plane tuum atque obſequentiſſimum paratiſſimumque, ſi quando iterum morbo corripiare ipſiuſque auxilium denuo implores. Quid ni? ajunt, tu mihi ex Chriſtiana caritate obſtrictus es, & hoc officium in neceſſitate laboranti debes, non potes ſalva conſcientia opus vocationis tuæ mihi indigenti denegare. Talibus ingeniis fallaciſſimis & ſupra reſponſum eſt, & nunc reſpondeo hoc modo: Scio & memini, ô hypocrita, quid homo homini, Chriſtianus Chriſtiano debeat, ſed tu ejice

prius trabem de tuo oculo, poſtea de alterius feſtuca etiam extrahenda ſolicitus eſto. Faciet quidẽ pius medicus, quę ſui ſunt officii in neceſſitatibus proximi, nihil deterritus perverſitate hominum, & Deo vias ſuas commendabit. Tu vero qui abalienas illius à te animum manifeſta culpa tua & ingratitudine deteſtanda, quî fit, ut non in te ipſum inquiras primum, culpam agnoſcas, emendes, & ſcandali autor eſſe deſinas? Habes præterea alios quorum conſilio utere, phyſicos ſcilicet, ut vocant ordinarios, qui publico ſtipendio aluntur, quorum ope ſingulis horis frui potes, hos adito, & non eris derelictus. Hi cum tibi præ foribus & à latere vicini ſint, ſcito neminem alium obligari, nec quoad homines, nec quoad Deum, ut tibi ſordidiſſimo gratis opera ſua præſto ſit atque ſerviat. At hic ulcus latet, quod Phyſici illi publici majore autoritate & ſucceſſu precium operæ extorquere à te poſſunt, cum minore etiam quandoque verecundia teneantur, ideo fugere te eos fingis ob neſcio quas alias cauſas. Quod ſi omnino adhuc gratuitas operas impudens poſtulas, age perge ſic per omnes vitæ gradus: fac theologos gratis eſſe in officio? jube milites gratis præliari, effice ut Iureconſulti abſque præmiis & muneribus cauſas agant, denique operariis miſeris, qui manu victum quærunt, diurnam mercedem detrahe: quam tu confuſionem in vitam univerſam introduces? quem habebis obſequentem,

tem, aut furoris approbatorem? Tu ipſe quid abſque ſpe commodi unquam feciſti, aut facturus es?

Sed abrumpe hæc, quæ ego communi quadam deploratione vitiorum adjicere volui, neque dubito quam plurimos futuros, quibus uſu ipſo edoctis nimium vera hæc, quæ dixi, eſſe videbuntur. Facere autem non poſſum, quin inſuper vetuſtiſſimi Hippocratis ſententiam huc adſcribam, qui tot jam retro elapſis ſeculis, ipſe minime pecuniarum avidus, in Præceptionibus utile eſſe adfirmavit à mercede incipere: *Conducit enim*, inquit, *hoc univerſo negocio: ægroto quidem hujuſmodi cogitationem inducis quod videlicet, non ipſo relicto abibis, ſi vero non paciſceris, quod ipſum negliges, & de quibuſdam in rem præſentem non admonebis. Curare igitur oportet de conſtituenda mercede, inutilem enim eſſe putamus ejuſmodi ægroti cogitationem, multo autem magis in morbo acuto. Morbi celeritas, temporis occaſionem non præbens ad reverſionem, non impellit bonum medicum ad quærendam ſuam commoditatem, ſed ut magis exiſtimationis ſuæ rationem habeat: itaque tunc melius eſt, ut* SERVATIS EXPROBRET *quam ut lethaliter affectos præconturbet. Quanquam aliqui ægroti id expetunt, hoſpitii jus & facilem mali depulſionem producentes.*

DIGNI QVIDEM QVI NEGLIGANTVR, NON TAMEN QVI AFFLIGANTVR. *At vero remunerationis acerbitatem, abſque præparante ad diſciplinam cupiditate, hortor, ut ne*

*valde inducas, sed & ad opulentiam & facultates respicias. Quandoque vero etiam gratis cures, ita ut gratitudinis memoriam potiorem quam præsentem existimationem auferas. Si vero occasio ferendæ opis se obtulerit, & peregrino & egeno, maxime talibus opitulaberis, si enim affuerit erga homines amor, adest etiam amor erga artem. Postea addit: Sumtuum quidem opulentia ægroti carent (id est carere se simulant) morum improbitate adorantes & ingrati evadentes. Cum autem consequi possunt, ut ditentur, de mercede asseveranter affirmant, sani esse volentes, quæstum nimirum ex usura aut agricultura affore producentes, & postea negligentes*, &c. Hactenus Hippoc. In Decr. quoque, part. 2. causa 15. q. 5. §. non sane: ex Augustino hæc citatur sententia: *Non sane, quicquid ab invito sumitur, injuriose aufertur, nam plerique nec medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem: nec tamen hæc, quæ ab invito accipiuntur, per injuriam accipiuntur, quæ potius per injuriam non darentur.*

EX TAM MVLTIS CAVSIS quas recitavi, quæ ab ægro proficisci possunt, quis jam non videt, morbum non solum protrahi deterioremque reddi, sed & incurabilem fieri posse? Dixi igitur hactenus de causis in ægrotantibus ipsis hærentibus, propter quas contingat aliquando, ut ex morbis ad salutem nequeant perduci, propter falsam nimirum de arte medica opinionem & erga medicos ipsos diffidentiam, propter moræ impatientiam, propter delicias & molli-

molliciem & varietatem consiliorum, quæ ab imperitis amicis mulierculisque adhibentur, propter intemperantiam, contumaciam & inobedientiam eorum, qui morbo tenentur, propter urinarii judicii perversitatem & miserandum abusum, denique propter avaritiam sordesque eorundem, ubi pauperes quidem justam habent excusationem, ditiores vero nullam. Ad alias ergo causas deinceps progrediar.

Quemadmodum ad medicum Pharmacopola, ita ad ægrum referendi quoque sunt adstantes sive ministrantes ipsi. Non autem præcipue loquamur jam de talibus, qui dedita opera interitum decumbentis optant vel accelerant etiam, quique oderunt ipsum & sublatum esse cupiunt, sicut improbi & avari hæredes faciunt, quod de Tiberio Augusti privigno memoriæ proditum est, & de Hazaele, qui post Benhadadum Syriæ rex fuit, & de Manfredo filio notho Friderici II. Imp. qui injecto in os pulvino patrem suffocavit. Talionis autem exemplum ad ipsum Tiberium rediit. Sic enim de exitu ejus scribit Tacitus, annalium lib. 5. *Macro (præfectus prætorianis militibus) intrepidus opprimi senem injectu multæ vestis jubet, discedique à limine. Sic Tiberius finivit, octavo & septuagesimo ætatis anno, &c.* Quis enim non videat horum sceleratis machinationibus decumbentes occumbere? quisve opitulabitur, tum quando pro medicamento salubri clam venenum infunditur? Cujus rei in oratione

orationeCiceronis pro Cluentio insignia & hor-
renda exempla recitantur. Ac docuit tales ma-
lus aliquis genius observare tempora morbi alio-
qui periculosa, veluti exàcerbationes dolorum,
animi defectiones, ventris profluvia, ut absit oc-
culteturque veneficii suspicio, & vi morbi æger
periisse existimetur.

Verum alii sunt quoque non ita mali homi-
nes, qui necessaria negligunt, præcepta à medi-
co non exequuntur, nec præscripta exhibent,
vel alia etiam suo consilio clam offerunt, non e
tempore quo conveniebat, sed maxime alieno,
non justo ordine, non debita quantitate & præ-
paratione. Finge enim febricitanti hodie tem-
pore quietis dandum esse medicamentum purga-
torium, adstantes autem cras tempore accessio-
nis exhibeant, nonne manifestum inde existe
periculum? Quid si vinum & aromata copios
concedant in febre ardente? Quid si magicis &
impiis remediis incantationibusque utantur, quo
inusitatum non est, & iram Dei gravius provo-
cent? Occasionis rei bene gerendæ in omni vi-
ta vis maxima est, & præsertim in sanandis mor-
bis, volucris enim est & præceps, unde καιρὸ
ab Hippocrate definitur, *in quo temporis non sit mul-
tum: experientia vero atque audaciæ temerariæ sæp
finis est animantis internecio.*

Hippocrates itaque non sine causa in lib
περὶ εὐσχημοσύνης requirit, ut medicus ali-
quem ex discipulis præsentem habeat, qui instet
ut

ut præceptis æger non amarulente utatur, & quod mandatum eſt faciat. Deligito autem, inquit, ex ipſis eos, qui jam in arte progreſſum fecerunt, quo ea, quæ utilia ſunt, addant aut ſecure offerant, ut & in intervallis nihil te lateat. At vero imperitis nunquam quicquam procurandum committes: ſic minus ejus, quod male factum eſt vituperium in te recidet. Principes igitur hujus felicitatis facilius participes noſtro tempore eſſe poſſunt quam privatæ fortunæ homines, non enim omnium tantæ ſunt facultates, ut in familia homines peritos alant.

Manifeſtum eſt tamen adſtantium culpa non raro perire ægros. Econtra multum prodeſſe poteſt adſtantium diligentia ægris, hi enim cum invalidi decumbere cogantur, uſu membrorum ſæpe deſtituuntur, multa obliviſcuntur, à multis abhorrent, queruli ac moroſi fiunt, medicamenta clam abjiciunt, niſi id caveatur, clamant *medice vivere eſſe miſerrime vivere*: & tamen commodis adhortationibus miniſtrantium facilius flectuntur, libentiuſque aſſumunt, quæ alias nunquam fortaſſis deguſtarent. Indociles etiam & ſtupidiores aliqui aut pertinaces agreſtibuſque moribus ſunt: quæ omnia incommoda induſtria adſtantium leniri poſſunt, ita ut ægrum medicus habeat qualem oportet. Prudenter itaque ab Hippocrate præceptum eſt, *non medicos & ægrotos ſolum, verum adſtantes etiam officium ſuum facere oportere*. Et ibidem adjungit: *externa quoque rite compa-*

*comparata esse debere, at externorum quoq; apparat- totus fere in adstantium potestate & manibus consisti-*

Per exteriores vero res non illa solum vulga- ria intelligenda sunt, ad delicias magis & vo- luptatem quam sanitatem necessaria, ut adsin- scilicet pocula argentea, pectines ex ebore, exter- soria pura, nitida stragula, ut munde conficiatu- cum potus tum cibus, queque sensibus occurrun- omnia mollia, jucunda, grata sint, & similia: ve- rum talia multo magis quæ ad salutem ægro re- stituendam aliquid momenti habeant, ut videli- cet aëris repentina mutatio caveatur, locus de- cubitus sit idoneus, ad arctum vel septentrio- nem spectans, lucidus vel opacus, prout v- debitur res postulare, ventis non pervius, no- nimis calidus frigidusve aut putrilaginem redo- lens, sed purus, quietus & absque turbis tumult- busque vicinorum, in quo non facile exaudiantu- canum latratus, ruinæ, tonitrua, imbres, &c. præ- sertimque ea ad quæ laborans natura sua expa- vescit.

Præterea, ne adversam faciem splendori ha- beat, nisi in morbis ubi opus est, infestat nimiu- splendor visum debilem ac somno officit. Sit au- tem in lecto tali ubi sese facillime moveat, surgat- reclinet, adsint in promtum adminicula commo- da motus, quibus manus & brachia nitantur a- fulciantur, adsint quibus in animi deliquio recree- tur, caveatur ne quid triste aut quod iram conci- tet nuncietur, vel in conspectu ægrotantis agan-

tu-

tur molestiam allatura, ne inimici admittantur quos odit, nisi placato prius animo reconciliationis gratia volens eos acciri jusserit. Sed ii advocentur frequentesque appareant, quibus maxime delectatur, ab iis enim persuasus cibos atque medicamenta facilius assumet, hilariorque efficietur. Adsint vasa necessaria & oportuna ad excipiendam urinam, sputa, sanguinem, quorum conditiones medico sæpe considerandæ sunt: in sudoribus abstergendis ne desint panni mundi calidique, ne occurrat corpori aperto aër frigidus, & hujus generis alia infinita, *quorum etiam Galenus meminit* 1. *de dieb. dec.* 11. Ut si æger incendio domus accidente, aut latronibus invadentibus, aut fluvio inundante, subito effugere cogatur, quanta ei noxa advenerit quorsum attinet referre? Simili modo, si tegmen aliquod delapsum vel parietem extimescat, simul & fugam repente moliatur, si pluvia item copiosior oborta capiti ejus incidat, vel alius etiam humor, quomodocunque ipsum irrigaverit, ut locum mutare, vigil esse & timere cogatur, etiam hoc non mediocrem ipsi offensam conciliabit. Quæ igitur ita inopinata veniunt (ad casum fortuitum referenda) horum nihil medicus prænoscit, unde nec futuram inde offensam conjicere potest, nec prædictioni secundum morbi rationem factæ adjicere. Hęc enim nisi rite fiant & caveantur, non crisim solum impediunt & hujus judicium, verum etiam saluti ipsi vitæ nocumentum inferunt.

Unde Galenus caute se uti prædictionibus scripsit, propter incertitudinem horum accidentium: *quapropter*, inquit, *nos merito, cum quispiam de ægro aliquo eventum jubet prædicere, cum distinctione id facimus, dicentes: hic morbus solvetur isto die. primum si victus ratione à nobis, non ab alio quodam medico, regatur, deinde si nihil ipse peccet & faciat quæ injunguntur omnia, postremo si nullus magnus extrinsecus error admissus fuerit.* Hinc apparet quanti momenti res sit, si exteriora nocitura prudenter quantum licet, quod per adstantes commodissime fieri potest, si officio suo non desint, & munere commisso diligenter fungantur, inque hos non male collocari mercedem quæ impenditur. Magnum enim bonum est habere ejusmodi adstantes, qui sint ad ministeria multiplicia idonei, prudentes, ingeniosi, obtemperantes medici præceptionibus, quique explicare commode possint, quid ægris absente medico acciderit, amantes ægrorum, tolerantes molestiarum, quæ sane non paucæ nec exiguæ perferendæ sunt, veluti cum furiosi cohibendi sunt modeste, ne in puteos se præcipitent, aut aliter, vel sibi, vel aliis noceant, aut cum nimis fiunt in morbi doloribus, vel longitudine impatientes atque morosi, &c.

Talia igitur omnia, nisi rite administrentur, & adstantes, si sint impii homines, stulti, inertes, ignavi, temerarii, inciviles, quantum incommodi istud adferre queat ad impediendam

vel

vel πρόγνωσιν, vel curationem, vel utrumque ex dictis nemo eſt, qui non perſpiciat.

Ubi iterum quorundam divitum merito reprehendenda eſt avaritia, qui ſuis commodis ipſi deſunt, non deligendo viros & homines cordatos induſtrioſque, quorum opera & miniſterio decumbentes utiliter utantur, ſed potius quemvis ruſticum aut mendicum ex trivio obvium arripiunt, aut anum aliquam decrepitam ac dementem, cui triobolum mercedis loco numerent.

Huc pertinent etiam illæ cauſæ, cum ægri moriuntur aut affliguntur morbo non ſanato propter paupertatem & inopiam rerum neceſſariarum, & famem interdum, quod ſæpe accidit in annonæ caritate, in bellis, vel ruri etiam ubi deſunt idonei medici, medicamenta, faſciæ vel unguenta & cerota Chirurgis. Item cum in infecto aëre & morbi naturæ contrario ſive noxio coguntur miſeri ægri derelicti contabeſcere, veluti in caſtris, quæ peſtilens invadit lues, ſæpenumero accidit. Sic ſervis & captivis in triremibus miſerrime habitis fere omnia deſunt, cum alioqui etiam ſani aſperrima ſervitute oppreſſi vivant. Sed hæc fortaſſis ad caſum & infortunium quis etiam referat.

Caute autem inprimis prudenterque cum periculoſe ægrotantibus agendum eſt. Natura omnes exhorreſcimus ad mentionem mortis, nam pœna eſt, quæ neminem per ſe delectare poteſt. Nemo ergo medicus adduci ſe patiatur, ut ægro-

to mentionem teſtamenti condendi injiciat: id enim ad deſperationem ſalutis maximum momentum habet, ſi is, cui eam poſt Deum maxime ſcit commendatam eſſe debere, male de illa ſervanda ſperare ſe indicet. Quod ſi neceſſe id fuerit tamen, denuncietur potius per propinquos, aut per theologos, qui animæ curandæ cauſa adſunt. Accidit vero interdum, ut medicum ipſi ægri interrogent, quam de vita ſua ac ſtatu ſpem habeat, & nunquid conſultum videatur, ut de ultima voluntate ſua quid fieri velint teſtentur: in eo caſu nequaquam convenit, ut quis importunius reſpondeat, Morieris omnino, itaque condes teſtamentum, vel ut quidam olim reſpondit: quid ni moriaris? mortui ſunt etiam alii te longe præſtantiores:

κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅπερ σέο πολλὸν
ἀμείνων.

Vel ut alius quidam noſtro tempore: Moriaris ſane, riſum enim hæredibus relinques. Et iterum alius: Te mortuo, uxorem tuam mihi adjungam. Hilariter potius & vultu, qui aſpectu ipſo bonam ſpem præ ſe ferat, conſolandi ſunt, & Chriſti Salvatoris fiducia erigendi, ut ne mortem nimis reformident, quam ſciant non fore æternam, ſed breve momentum duraturam, & miniſtram futuram, qua ad vitæ æternæ gaudia perducantur. Deinde exemplo regis Ezechiæ confirmandi ſunt, ad quem propheta dicebat: Cura domum tuam & diſpone res vitæ hujus: caveant quantum

fieri

fieri poſſit, ne lites & odia inter hæredes exoriantur, idque etiam vel optima in ſanitate faciendum eſſet hominibus, atq; ſimul docendi ſunt, ut cogitent nec propter teſtamentum factum ipſos citius morituros, nec propter non factum diutius victuros, &c. Parcendum enim eſt humanę infirmitati, ne medicus qui corporis tuendi gratia adeſt, conſternationis animi cauſa fiat, quæ deinde in vitæ detrimentum redundet. Senſit idem ſapientiſſimus M. Cicero lib. 2. Divinat. cum ſcripſit: *Hoc homines probi non faciunt, ut amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo poſſint, aut medici quanquam ſæpe intelligunt, tamen nunquam ægris dicunt, illo morbo eos morituros.* Etſi igitur aliquorum tanta virtus eſt tantumque animi robur, præſertim in fide Chriſtiana recte inſtitutorum, ut pias commonefactiones de morte & vitę exitu æquo & firmo animo admittant; tamen plerique bona ſpe potius alendi & confirmandi ſunt: à Medicis dico, theologorum enim aliud eſt munus: ſiquidem ſpes ſola interdum hominem ſervat, & deſperatio ultimum malorum eſſe conſuevit. Ad exteriora deniq; & ad officium eorum quibus languentiũ cuſtodia cõmiſſa eſt pertinet, ut medicos de voluntate & conſuetudine ægrotorum admoneant, ut ne quid committatur imprudenter quo offendi vehementer poſſint. Multi odorem allii, vel moſchi, vel ambræ non ferunt, vel vini etiam, præcipue in dolore capitis, ubi nec violarum odor omnibus conveniens eſt & tolerandus: in tali

ergo casu, quę ægroto tam adversa sunt, ab iis medicus libenter abstinebit, sicut alias etiam viro gravi maxime indecorum est muliebri mollitei deditum esse, & peregrina illa, moschum videlicet ac similia, meretricia quasi imitatione redolere.

Reprehendit ergo Galenus Quintum, quem alioqui maximi faciebat, quod cum vinum bibisset, ægro tamen curando nimis rustice se ingessisset, qui vini odorem valde aversabatur, & ut paulo longius ab ipso Quintus recederet, rogabat.

Sunt præterea nonnulli ægroti, qui cupiunt crebrius medicum accedere, alii rarius: accessum itaque suum moderetur medicus secundum ægrotantis affectionem, & semper comitatem quandam (non dico levitatem aut scurrilitatem) adjunctam gravitati habeat, ex qua intelligi queat salutem ægri maximæ sibi curæ esse: *Legatur 7. Aphoris. 4. part. 6. epidem. Et 16. Aphor. 8. part. 6. epidem. auditus meliores, &c.*

AD CASUM tandem quod attinet sive FORTUNAM, non enim has voces nunc distinguo, monuimus antea, accidentalium causarum numerum nec scientia comprehendi nec demonstratione explicari posse, sed esse ἀόριστον atque infinitum. Arte igitur casualia & fortuita comprehendi nequeunt, neque studio caveri, neque scientia aliqua prædici, quæ & qualia futura sint, & tamen adeo manifesta exempla accidunt, quorum consideratio neque indigna medico neque negli-

negligenda eſt. Itaque in hoc caput ſive genus conjiciemus omnia illa, quæ ſuperioribus non fuerunt incluſa, neque enim quicquam tam late patet, atque hoc quod caſu factum dicitur, & eſt caſus eorum, quæ per accidens fiunt cauſa principalis: Cujus an viciſſim ſit aliqua per ſe cauſa & determinata, & qualis ſit, nunc exquiri nihil opus eſt. Contigit ſane, ut homines ſubita morte extinguerentur, vel alioqui inopinato caſu interveniente pro derelictis ac deſperatis haberentur neceſſario, nulla manifeſta vel prævisa cauſa, quales eventus ad caſum fortuitum hoc quidem loco docendi gratia referre libuit, fuerunt enim profecto immedicabiles. Ut autem vulgus caſum ſemper fere, & male, tanquam cauſam ſecundæ curationis plus prædicat quam artem: ita tamen aliquid agere interdum videtur, tam in curando quam tollendo homine, ut evidens & naturalis cauſa alia reddi nequeat.

CASVM igitur ejuſmodi, vel MANIFESTVM, vel OCCVLTVM eſſe conſtat.

Manifeſti exemplum fuit Hadrianus IIII. Papa, cui muſca in os involavit, eaque, quia medicorum arte eximi non potuit, præcluſit illi ſpiritum, atque ita ſuffocatus obiit. Alii hauſtu aquæ, in qua muſca ſubmerſa fuiſſet, enecatum tradunt. Anacreon quoque Poëta acino uvæ paſſæ extinctus legitur. Fabius Senator prætorius in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus eſt. Juveni cuidam (autore Benivenio) cum ex brachio ſanguis

mitteretur, & nervum ſcalpellum attigiſſet, ſtatim ſecuta eſt nervorum diſtentio, quæ hominem ita crudeliter afflictavit, ut paucis etiam diebus laboranti illi vitam eripuerit. Hoc infortunium tametſi culpa fortaſſis quadam Chirurgi accidit, caſu tamen factum recte dicitur, nam & peritiſſimo tale quid aliquando accidere non eſt impoſſibile. Et Hippocrates 1. libr. de morbis quædam infortunia recitat, quæ medicis evenire queant, niſi ſint cautiſſimi & prudentiſſimi. A viola conſularis in rogo revixit, & quoniam ſubveniri non poterat prævalente flamma vivus crematus eſt: hic vero miſerabilis admodum concurſus fuit felicis & infelicis caſus ſimul. Chilon Lacedæmonius victore filio Olympiæ expiravit gaudio. Sophocles etiam & Dionyſius Siciliæ tyrannus ſimiliter obiere, uterque accepto tragicæ victoriæ nuncio. Sic P. Rutilius morbo levi impeditus, nunciata fratris repulſa in conſulatus petitione, ilico expiravit.

Pari modo caſu quoque aliqui convaleſcunt & præter ſpem omnium ſervantur. Autor introductorii ſcribit capram ſuffuſione laborantem viſum recuperaſſe, cum caſu in oculum impreſſiſſet ſtipitem acutiſſimum. In Germaniæ oppido quodam ad Neccarum ſito accidiſſe audivi, ut podagricus quidam per angiportum à ſervis in ſella delatus obvium haberet urſum incitato curſu iraque frementem, elapſum ſcilicet ex vinculis & irritatum à perſequentibus: ibi præ metu aufu-
gientibus

gientibus ſervis, ipſe quoque podagricus conſternatus vires ſubito ex terrore & deſperatione ſumſit, inque pedes ſe conjecit, quibus antea uti nullo modo poterat, idque convaleſcentiæ ſuæ principium habuit. Iaſon Pheræus deploratus à medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret vulnerato pectore medicinam invenit ex hoſte. Non immerito Martialis exclamat:

*O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium.*

Quod ergo hic vulnus fortuitum ad vitam præſtitit, idem multo magis ictus fortuitus, aut terror, aut vulnus, vel tale quid aliud, ſi accedat ad morbum alium præſtare poterit, ita illum ſcilicet augere, ut nunquam curetur, vel vitæ etiam finem adferat.

Occulti caſus exemplum eſt, quod nullis evidentibus cauſis obiere, dum calceantur matutino, duo Cæſares, Prætor, & prætura perfunctus Dictatoris Cæſaris pater, hic Piſis exanimatus, ille Romæ. Et ibidem apud Plinium multa alia repentinæ mortis exempla reperire licet: item quod Claudius Cæſar boleto venenato ſublatus eſſe ſcribitur. Huc referendum enim eſt, ſi forte clam venenum cibis vel vino miſceatur, & homini offeratur, medico penitus rei geſtæ ignaro, aut ſi venenatum animal in cibos incidat, vel herba veneno infecta comedatur: *Hominum omnium*, inquit Gal. *impiiſſimi ſunt, qui experiundi gratia aliis innoxiis pernicioſa medicamenta exhibent.* & lib. 10. Simplic. recenſet exemplum:

*Quidam mel venditurus veneno illud infecerat, unde duorum medicorum, qui illud gustarant, neuter servatus est.* Pulmones proprietate quadam ulcerat lepus marinus, vesicam & renes cantharides, lædunt non minus etiam buprestis, Salamandra, erucæ pini, &c. Talibus ergo occasionibus non pauci præter omnem expectationem interiere nullis præcedentibus signis mortiferis, causa vero non nisi post obitum eorum patefacta. Quis igitur audeat hujusmodi mala curabilia dicere, quorum ne cognitio quidem fuit vita durante? Accidisse novimus (idque ex Aloysio Bellacatto audivimus Patavino medico celeberrimo) ut qui in Symposio quodam fuissent convivæ, omnes convulsione corriperentur, quidam etiam morerentur. Postea inquisitione facta compertum est appositas in convivio coturnices captas fuisse in loco, ubi magna hellebori copia proveniret, unde suspicio concepta fuit ex hellebori violentia id malum emanasse. Multi aliquando in eadem domo cum absque causa evidenti interiissent, eaque res medicos diu solicitos habuisset, tandem dolio vini evacuato, ex quo biberant omnes, venenum repertum est. In quodam Germaniæ monasterio plerique diris cruciatibus mortui sunt, qui vinum quoddam simul in convivio biberant, id lethali Pharmaco infectum fuisse à nemine fuit dubitatum. Fernelius hanc historiam recitat: *Non pauci inopinato è vivis horæ quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit,*

*ruit, quam repentina vomicæ diſruptio inpulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetraverat, ipſius vim extinguens atque obruens. Quumque ex his duo medici eſſent percelebres, attamen nec febre, nec inappetentia, nec alio ullo ſymptomate impendentem ſibi diem vitæ ſupremum præſenſerunt.* Benivenius vero hanc: *Exorta inter duos juvenes lite, cum alter alterum extento brachio alapa percuſſiſſet, in apoplexiam reſolutus vapulans paucis etiam horis jugulatus interiit.* Idem quoque hæc ſcribit: *Puerum novimus, cui mane cœlo adhuc ſubobſcuro prope jam præceptoris ædes intranti præſto fuerint duo viri nigris veſtibus obvoluti, quibus adeo perterritus eſt puer, ut toto corpore contremiſcens, altaque voce auxilium clamitans, in admirabilem ſane ægritudinem ac demum in mortem inciderit. Nam ſtato tempore, id eſt octavo quoque die & eadem ferme hora, in eundem ſemper horrorem atque clamorem proruebat, donec tabe conſumtus vitam, quæ nullis præſidiis contineri potuit, miſerabiliter finivit.* Neque eſt dubium, exemplisque veriſſimis, ſed inamœnis comprobari poteſt, permultos alios ſpectris exterritos præ terrore & conſternatione fuiſſe extinctos. Repeto igitur hoc loco Celſi dictum, quo ſupra quoque ſum uſus: Spes interdum fruſtratur, & moritur aliquis de quo medicus ſecurus primo fuit. Inde omnibus temporibus ſapientes conqueſti ſunt de variis caſibus, quibus homines ſubjecti ſint, tam in fortunæ & felicitatis bonis, quam in univerſa vita & ſanitate etiam.

Hac-

HACTENVS eam ſententiam defendi, veramque eſſe comprobare volui, quæ non omnes morbos ſanari poſſe ſtatuat. Id vero cum non una ratione ſimpliciter accidat, diſtinxi morbos inſanabiles in eos, qui per ſe & εἴδει tales eſſent, & eos qui κατὰ συμβεβηκὸς id paterentur, ut auxilium adferri nullum poſſit. Sumque exemplis tanquam τῶν λόγων ὁμήροις adeo perſpicuis uſus, ut ſperem me lectori hac quidem parte mediocriter ſatiſfeciſſe. Ut autem in conſpectu ſit partitio noſtra quam propoſui, breviter eam hic repetam.

Morbos alios dixi eſſe CVRABILES, quorum quidem ſpecies methodo arteque ſic tractari poteſt, ut omnem medendi rationem admittat, ſuntque hoc modo plurimi morbi, ac plerique ſpecie ſua curabiles.

INCVRABILES duplices ſtatui, alios *per ſe*, qui τῷ εἴδει eſſent tales, quorum etſi cauſam poteſt reddere atque explicare Medicus, medicinæ tamen & actioni operique ejus non ſubjiciuntur, niſi ratione προγνώσεως tantum, atque in his univerſis auxilia humana & naturalia nihil poſſunt: alios vero incurabiles *per accidens*, quorum ſane innumeræ poſſunt eſſe differentiæ, quibus certæ tamen morborum non conſtituantur ſpecies, cum accidens non ſit differentia, quæ ſpeciem aliquam conſtituat. Ad certa tamen ego genera ſeu capita reducere ſum conatus, quorum non uno loco apud Hippocratem & Galenum

men-

mentionem fieri reperiebam, nempe ad *Dei ſpeciale propoſitum*, ſive *decretum*, ad *fatum Phyſicum* & *ætatem*, ad *Medicum* & *Pharmacopolam*, ad *morbi conditionem*, ad *adſtantes* & *exteriora*, denique ad *caſum* & fortuito incidentia. Inter hos ſunt alii *medii* morbi ſeu dubii, quorum eventus eſt adhuc incertus, Hippocrates 1. lib. de morbis, ἐνδοιαςοὺς appellat, qui etſi ſunt natura ac ſpecie ſua curabiles, in incurabiles tamen, ob cauſarum propoſitarũ videlicet unam vel plures, degenerare poſſunt.

NVNC VERO ETIAM de totius quæſtionis hujus genere argumenta nonnulla alia adferemus, quibus ſententia noſtra munita firmius poſſit conſiſtere, nullo diſcrimine jam habito ſive per ſe, ſive per accidens curatio non ſuccedat, cum hoc antea ſatis diſtinctum ſit & declaratum.

Primum igitur autoritates ſummorum medicorum nemo opinor facile contemſerit. Cum enim peritis in ſua arte credendum eſſe præcipitur, nihil aliud præcipitur, quam experientiæ credendum eſſe, quam niſi illi univerſalem, certam & rebus conſentientem animadvertiſſent, nunquam theoremata univerſalia artium poſt ſe reliquiſſent, & poſteris tanquam vera magno conſenſu tradidiſſent, nunquam etiam pronunciaſſent morbos non omnes curari poſſe. Adſcribam itaque teſtimonia planiſſima & evidentiſſima.

*Hippocrates in 1. libr. de morbis* νοσήματα *diſtinguit in* θανάσιμα, μὴ θανάσιμα & ἐνδοιαςὰ, quam diſtinctionem & in præcedentibus ipſe

ſecutus

ſecutus ſum, & jam paulo ante breviter repetivi. Eodem libro inquit: *Recte autem fiunt hæc, morbos cognoſcere qui ſint, & à quibus, & qui ipſorum longi, & breves, & lethales, & non lethales, & qui transmutantur, & qui augeſcunt, & qui minuuntur, & qui magni, quique parvi: & dum curas, poßibiles curare, impoßibiles vero ſcire cur curatu ſint impoſſibiles.* Item: *Differt affectus ab affectu, corpus à corpore, curatio à curatione, unde neceſſe eſt alios perire alios non, & morbos aliis durabiles eſſe & majores, aliis minores & brevis temporis, aliis permanere uſque ad ſenectutem & commori, alios perire ab ipſis brevi.* Hippocrates 1. prognoſt. ὑγιέας μὲν οὖν ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας, ἀδύνατον, *ſanitati reſtituere omnes ægrotantes impoſſibile eſt.* In libro etiam de Arte perſpicue aſſeverat hoc quoque *ad artem pertinere, eorum qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit, quod Medicina tales ſanare non poſſit.* Unde igitur ἀνίατα νοσήματα appellationem invenere? & ὀλέθρια, ἀνέλπιστα, θανατώδη, θανάσιμα, ἀνήκεστα, ἀθεράπευτα, ἄφυκτα, & quæ dicuntur θεραπείας μὴ τύχειν, quæque adferunt ἀπαράβατον κίνδυνον, niſi à veritate eventus? non enim quidem certe ſunt nomina rerum ficticiarum, qualis chimæra eſt, ut latinas locutiones, quæ in omnium ſunt ore prætercam. *Galenus 5. meth. ſcribit:* ἔνια ἔχει ἀδύνατον ἴασιν. In libro de tabe: εἰσόμεθα πότερον ἀνιάτως ἔχουσιν οἱ μαραινόμενοι.

μενοι· Idem 10. meth. juxta finem, (qui locus inſpiciatur) *minimus error in difficilimis morbis mortem adferre ſolet, ſi ſit ex eo genere, aliter noxas adfert inſanabiles.* Idem Gal. 6. Aph. 34. *Quis ignorat calvitium affectionem eſſe inſanabilem?* Et 9. libr. de ſimpl. med. cap. de terra Samia in fine. ὧν καὶ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀνιάτως ἔχοντας οὐκ ὠφέλησε, Lib. etiam 3. meth. 1. cap. Primum *eſt artis opus, ut intelligas, ſperare ne id quo tendis debeas, an ſecus.* Et ibidem; *à quibus (experientia & rei natura) procedens, non ſolum quod ſanari non poteſt, prævidebit, &c.* Octavius Horatianus dixit, inviſere medicum etiam ſæpe incurabiles ægros, ut ipſis ſolatio magis ſit, quam reſtituat ſanitatem, hæc enim ſunt ejus verba: *Chronicos vero (id eſt phthiſicos) plena ſub deſperatione, non jam ut medicorum medelis, ſed magis ut amicorum ſolatio viſitamus.* Paulo Æginetæ pruritus ſenum eſt inſanabilis. Celſus ſcriptum reliquit: *Eſt prudentis hominis eum qui ſervari non poteſt non attingere, ne ſuſpicionem ſubeat ejus occiſi, quem ſors ipſius peremerit.* Idem de ſuffuſione loquens ait: *Vitii ejus plures ſpecies ſunt, quædam ſanabiles, quædam quæ curationem non admittunt.* Idem libr. 7 *Idque in quibuſdam nulla ope adjuvari poteſt, in quibuſdam ſanabile eſt, quod primum diſcrimen noſſe oportet, ut alteri ſuccurratur, alteri manus non injiciatur.* Rhazes de paralyſi ſic ſtatuit: *Si evenerit ex percuſſione aut caſu, & acciderit ſubito, taliter permanebit, & nunquam ſanabitur.* Plura teſtimonia & exempla qui deſiderat

ex ſuperioribus petat. Huc pertinent exempla etiam præſtantiſſimorum artificum, qui morbos nonnullos nunquam potuerunt ab affectis corporibus depellere. Galenus de ſe ipſo fatetur circa finem 4. lib. de loc. aff. aliquot homines pulmonibus ulceratis affectos, & Antipatrum ipſum medicum non potuiſſe à ſe ſanari. Hippocrates in fine 6. epidem. ſcribit de duabus mulieribus, quibus ſuppreſſi menſes fuiſſent: *Cum vero omnia, quæ ad eorum provocationem neceſſaria eſſent faceremus, non profluxerunt, ſed non multo poſt tempore viventes, mortuæ ſunt ambæ.* Arabs Avenzoar, vir experientiſſimus, & gravis autor, in vincula conjectum ſe refert, quod morbum cujuſdam hominis non curaſſet; quam hiſtoriam integram recitabo, cum multa obſervatu digniſſima contineat. Sic igitur ſcribit: *Generatur quandoque in ſtomacho verruca, ſicut in aliis membris. Et ego quidem vidi hanc paſſionem, cum eſſem in carceribus de Hali, in uno de familia ſua, & ipſe non digerebat cibum, & febricitabat febre inordinata, quæ aliquando fortiter invaleſcebat, & interdum debilitabatur. Et habebat ſolutionem non magnam, & illæ egeſtiones erant varii coloris, & non bene cognoſcere poteram cauſam ſuæ ægritudinis. Cum tetigiſſem pulſum ejus, inveni ipſum inordinatum & non magnum, cognovi ergo ex hoc, quod apoſtema erat in membro multorum nervorum, & ſpecialiter, quia erat ſerotinus, & debilitas virtutis patientis obviabat magnitudini ipſius pulſus. Quare iſta manifeſta-*

*bant*

*bant verrucam esse in ipso stomacho, & quia non erat multæ velocitatis pulsus, signum erat manifestum, quod non erat de genere calidorum apostematum. Et paulatim quidem ejus caro diminuebatur quotidie, & cum posuissem manum meam super fundum stomachi, inveni duriciem ibidem ad quantitatem unius pomi absque sensu alicujus doloris, & cum fortiter compreßissem manum tunc sensit modicum doloris, & quoties iterabam compreßionem fortius dolebat. Cognovi ergo certissime, quod esset moriturus, quotidie tamen ipsum confortabam, faciendo ei ea, quæ habent ægritudinem mitigare, quamvis essem de ejus curatione desperatus, eo quod virtus ipsius quotidie debilitabatur. Et quadam die cum assclasset, asselavit quiddam rotundum, quod habebat formam pomi cum radice una, & erat solidum, & quoties postea assellabat, egerebat sanguinem in magna quantitate, & sic perseveravit pluribus diebus. Et cognoscebam certissime quod moriebatur, tamen verecundabar sibi dicere. Quadam autem nocte vocaverunt me, & inveni eum quasi mortuum, & indignatus fuit contra me, credens quod ego, quia eram in carceribus domini sui, non curassem de eo diligenter, quamvis sibi purissime & fideliter servivissem, Deus novit. Sed debilitas virtutis ejus & pravitas, & fortitudo ægritudinis, obviaverunt curationi suæ, cum omnia in manibus Dei existant. Et quamvis de domo mea & possessionibus meis me extraxisset, non fui culpabilis propter hoc, Deus novit. Unde dominus patientis præcepit ut affligerer illa de causa,*

*quare conversus sum ad dominum, & dixi, fiat voluntas Dei. Et cum essem in introitu januæ carceris, dixi illi qui ducebat me, qui erat de majoribus civitatis, iste Dominus intendit me molestare absque causa, Deus novit, & jam sunt plures dies, quod proposueram ei dicere veritatem, scilicet quod non poterat evadere ab ægritudine ista ullo modo, sed verecùndabar contristare animam patientis. Nunc autem quia video quod intendit me pro nihilo aggravare, dico vobis quod non vivat ultra 12. dies. Ira autem & perturbatio animi quam habebam, me in tantum coëgit quod dicta verba taliter dixi, quod infirmus me intellexit, & seriose illud feci, & sic positus fui in carcere. A septem diebus cecidit virtus ejus manifestissime, ita quod misit pro uxore sua & filiis, & in nona die mortuus fuit. Et quod memoratus sum de hoc casu non fieri, nisi ut exemplum sit vobis in aliis: tamen si virtus ejus fortis extitisset, non erat impossibilis cura ejus, nisi forsan alias multas verrucas in stomacho habuisset.* Hæc Avenzoar. Quisque etiam memoria repetat, quæ ipse viderit exempla, inspiciat obitus tot regum & principum morbis sublatorum, quibus raro præsidia humana & naturalia desunt, perlegat consilia & opera practica optimorum, tam hac quam superiore ætate medicorum, & reperiet experientiam ipsam nobis clarissime adstipulari.

Neque præclariss. Reipubl. Venetæ exemplum leve ducendum est, in quo cum tot expertissimi medici vivant, artemque felicissime exerceant, publico tamen sumtu extructum est domi-

domicilium pro iis, quorum valetudo deplorata eſt, & ſpes ſanationis nulla reliqua: quod ſua lingua appellant *Hoſpidal dell' incurabili.*

Deinde eadem videtur eſſe proportio atque analogia actionis ad res agendas, quæ eſt cognitionis ad cognoſcendas, utque ſe habet intellectus ſpeculativus ad cognoſcendum, ſic practicus ſe habere videtur ad agendum. Unus enim & idem eſt intellectus, & una eſt natura hominum, vitiata in omnibus potentiis interioribus. Sed intellectus θεωρητικὸς noſter habet ſe ad res in natura etiam manifeſtiſſimas, veluti oculus veſpertilionis ad lucem meridianam, teſte Ariſtotele. Ergo idem accidit quoque τοῦ πρακτικοῦ, ut ſcilicet aliquando cæcutiat, aberret, nec perpetuo finem vel ſcopum propoſitum aſſequatur, ac tanto quidem magis quam ille alter, quanto magis actio cognitionem ſequitur. Quapropter imperfectum intellectum in ſpeculando ſequi neceſſe eſt imperfectionem quoque in praxi & agendo. Utque non omnes morbi perfecte ac ſemper cognoſcuntur, ita *non intellecti nulla eſt curatio morbi*: quanquam incognitis etiam ſalus interdum deſperatur, ob cauſas plures antea explicatas. De hoc etiam diximus ſupra in capite de medico.

Id igitur ſi ubivis fieri contingit, non mirum eſt, ſi in curationibus idem accidat interdum, ut videlicet morbus aliquis inevitabile periculum adferat ſua natura, aut ſi è medio infirmum non

tollat, ad mortem tamen usque inhæreat aut aliis quibuscunque causis sanitatem recuperari curando non permittat. non enim necesse est omnem incurabilem esse θανατηφόρον. Ratio hæc si cui minus firma videatur, is experientiam in subsidium advocet, & fatebitur rem demonstratam.

Præterea verum est medicum sanare contingenter. Quare si contingit, ut aliquando non sanet, nullum absurdum aut impossibile committitur. Agit enim naturaliter, hoc est, adhibet remedia naturalia, & naturales actiones omnes sunt contingentes, quarum causæ impediri possunt, licet rarius hoc fiat, & natura utplurimum suum finem consequatur. Quod si contingenter sanare medicum quis negare ausit, ille & totum artis medicæ corpus atque systema, omniaque ejus principia ac theoremata evertet, & præterea eidem necesse erit, ut necessario hoc facere medicum concedat: Si autem necessario, etiam semper, quod manifestissime repugnat experientiæ.

Hinc vero non sequitur (ex nostra scilicet quam defendimus sententia) medicum non esse, aut artis finem non assequi, qui semper morbos haud persanet Effectu quidem frustrari potest, effectus enim artis non etiam est finis artis, sed artificis, & præstare omnia quæ faciunt, ad consecutionem sanitatis, etiamsi eam non assequatur. Hæc si præstiterit, officio satisfecisse existimandus est, sicuti in bello Imperator optime & præcla-

præclariſſime ſe gerere poteſt, tametſi victoriam non conſequitur, & ipſe etiam occumbit. Artificem ſiquidem perfectum cum Ariſtotele dicimus: ἐὰν μηδὲν παραλείπῃ τῶν ἐνδεχομένων. Injuſtum vero & inhumanum eſt, poſtulare ut medicus omnium actionum ſuarum medicarum felicem eventum præſtet ſemper. Ulterius: Ars imitatur naturam, & artifex miniſter naturæ eſt, de quo omnes ſani homines omnibus temporibus conſenſerunt. At natura, ut non ſemper perficit & ad finem deducit opera ſua reliqua, ita quoſdam etiam morbos nunquam ſanare viſa eſt. Quare nec ars ſemper valetudinem integram reſtituere poterit, præſertim ubi ductu exemploque præeuntis naturæ, & cauſis naturalibus remediiſque idoneis,& modo agendi poſſibili deſtituitur. Adeo verum igitur eſt, quaſdam eſſe ægritudines immedicabiles, ut natura etiam ipſa à quibuſdam excludatur, quas ſanare non queat, ut vulnus cordis & fortem apoplexiam.

Huc accedit, quod ars medica magna ex parte conjecturis etiam utitur, ex quibus neceſſarius effectus nec ratiocinando concludi, nec agendo produci poteſt. Quemadmodum igitur natura aliquando fine fruſtratur ſuo, & monſtra parit: ita medicus miniſter atque imitator naturæ quanquam ſecundum præcepta artis officio ſuo ſatiſfacit, morbum tamen, vel ſua natura, vel aliis de cauſis contumacem, ignotum, malignum, ſupra modum auctum, ſuperare ſemper non poteſt.

Diſputant autem nonnulli, artem aliquando naturam adjuvare, aliquando etiam ſuperare, ex quo effici putant, ſi natura nequeat, artem tamen poſſe morbos omnes curare. Quod ſæpe adjuvet certiſſimum eſt, impedita enim natura plurimum juvari poteſt per artem, ſi auferantur impedimenta ( Gal. 4. meth.) quod manifeſte conſpicitur in corporis plethora, cum exonerata natura per ſectam venam longe facilius deinde quod ſupereſt expellit. Utrum vero ſuperet, dubitari poteſt. Niſi enim naturam & facultates naturales in materia objecta præſuppoſitas vel præexiſtentes reperiat, nunquam efficiet ars aliquid, non enim certe efficiet ſubſtantias, ut lignum nemo artificioſa ſectione divideret, niſi eſſet natura τμητὸν aut σχιστὸν, requiruntur enim naturæ habilitates in patientibus. Naturam ars imitatur, non perfecte ſemper, ſed quantum poteſt. Imitans autem quomodo ſuperius defendemus eo, ad cujus præſcriptum & normam ſe accommodat? Sic naturalis motus corporum animatorum longe eſt præſtantior, quam artificialis in αὐτομάτοις, & HOMERVS Poëta excellentior, quia φύσει eſt, quam ſi tantum arte eſſet, quanquam Poëtam eſſe ad artem pertinet.

Exempla contraria quæ adferuntur de fractis aut luxatis membris, nihil probant. Natura quidem talia non reponit, ars reponit: at repoſita membra ab artifice non ſanantur propter repoſitionem,

ſitionem, quæ eſt ſine qua non cauſa tantum, ſed propter naturam ipſam nutrientem, agglutinantem, conſolidantem. Præterea ars ajunt nonnulli, inſculpit auro ſuperiora naturæ viribus. Reſpondeo, auri formæ vel figuræ ſunt accidentariæ, & ſubſtantiam auri natura fecit. Iam quis neſcit in collatione horum utri principatus ſuperior aſcribendus ſit, ſubſtantiæ ne vel accidentibus, & quidem artificialibus? Aurum tamen ſeipſum figuris ornare non poteſt? Neque terra ſeipſam movere poteſt. Tu igitur motum ipſi terræ ſubſtantiæ præferre auſis? Atqui ſic ſe res habet. Deus quidem hominis ingenio ac voluntati, ſive arti multa reliquit agenda, neque artium opera contemnenda ſunt, aut extenuanda, ſiquidem Deus ipſe monſtravit fontes artium, eaſque rexit & provexit. Sed tamen in hac comparatione arti ſunt ſuæ metæ, & naturæ ſuæ. Efficit ars multa, quæ naturæ viribus effici nequeunt, ſed facta comparatione in genere eodem, quoad dignitatem & finem, in quo genere natura aliquid valeat, obtineri non poterit artis opera præferenda eſſe naturæ operibus. Si itaque aurum non figuràt ſeipſum, nihil refert, cum non indigeat figuris externis ullis ad ſui perfectionem, quæ ſi reſpectu hominum utentium præſtantiores & commodiores ad delectationem fiunt, quam figuræ rudes informis auri, is tamen finis eſt àccidentarius, non à natura præſcriptus.

Sed fortaſſis per ſuperiora viribus naturæ in-

*Aut si respexis, donicum ego te jussero,*
*Continuò hercle te dedam discipulam cruci.*
*Scelestiorem me hac anu certè scio*
*Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo malè,*
*Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,*
*Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum.*
*Quæ in occipitio quoque habet oculos pessima.*

*Et mox:*

*Abi intro, occlude januam, jam ego hîc ero.*
*Cave quenquam alienum in ædes intromiseris.*
*Quod quisquam ignem quærat, extingui volo.*
*Ne caussæ quid sit, quod te quisquam quæritet.*
*Nam si ignis vivet, tu extinguêre extempulò.*
*Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.*

*Et quæ sequuntur, incredibiles ostendunt avarorum curas & sollicitudines, quibus ingenium suum defraudantes sanitatem offendunt.*

*Quare*

[1] *Horat. 2. Sat. 3.*

[1] *Danda est ellebori multo pars maxima avaris.*
*Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

Metus. [2] *Arist. 3. Ethic. 9.*

[2] Metus est dolor quidam ac perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel molestiam afferre possit.

[3] *Xenophon 3. Cyrop.* [4] *Plutarch. de fortun. Alex.*

[3] Metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit, & [4] non solum memoriam consternat, sed & institutum animi omne, & laudabilem conatum atque incitationem: ipsamque impedit loquelam;

[5] *apud Stob.*

[5] Ἀψυχίᾳ γὰρ γλῶσσαν ἁρπάζει φόβος.
*Ita quippe vecors impedit linguam pavor.*

[6] *Arist. 29. Probl. 9.*

[6] Quam *verò* ob caussam, cum & metus & dolor quædam sit ægritudo, qui dolent, clamant, qui metuunt, silent? An qui dolent, suum retinent spiritum: itaque is universus erumpens, cum clamore emittitur: metuentibus corpus refrigeratur, calorque ima petit, qui spiritum movet? Quò igitur hic se contu-

contulerit, ibidem ſpiritum potiſſimum excitabit: quapropter venter eorum, qui metuunt, obcrepare ſolitus eſt. Vox autem ſpiritus ſurſum verſus elatus eſt, partibus quibuſdam veluti inſtrumentis conficiendus, abſolvendusque.

*Quinetiam (ſtupuit, pectore*
[1] *Membra metu debilia ſunt: animus timore ob-*
*Conſiſtere nihil conſilii quicquam poteſt.* [1] Terent. Adelph.

*Ipſum etiam cor, vitæ fontem, oppugnat,*

[2] *Vagus per artus errat excuſſus tremor,* [2] Seneca Herc. Oet.
*Erectus horret crinis, impulſis adhuc*
*Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,*
*Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.*
[3] *Verũ ubi vehementi magis eſt cõmota metu mens;* [3] Lucret. 3.
*Conſentire animam totam per membra videmus:*
*Sudores itaque, & pallorem exiſtere toto*
*Corpore, & infringi linguam, vocemq; aboriri:*
*Caligare oculos, ſonere auris, ſuccidere artus.*
*Denique concidere ex animi terrore videmus*
*Sæpe homines: facilè ut quivis hinc noſcere poſſit,*
*Eſſe animam cum animo conjunctam; quæ cum animi vi*
*Percuſſa eſt, exin corpus propellit & icit.*

[4] Cur *autem* homines metuentes tremunt, maximeque vocem & manus, & imum labrum? An vocem, quia calor hinc deficit, quo in loco vox poſita eſt: labrum verò, & manus, quoniam partes iſtæ nobiliores ſunt, minimeque ſanguinolentæ? Bilem quoque iidem dejiciunt, & teſticulos contrahunt. Dejiciunt, quia calor deſcendens diffundit & liquefacit. Contrahunt, quia metus invectus extrinſecus eſt, ut fugam in adverſum agi oporteat. [4] Ariſt. 29. Probl. 7.

*Examen plurium Metus ſymptomatum apud Ariſtotelem videre eſt. Sed antequam finem facimus, duobus exemplis, quantum poſſit, oſtendemus.*

[5] Franciſco Gonzagæ Mantuæ principi, affinem [5] Scalig. Ex. 312.

*beatur, & per consequens etiam morbi occulti non erunt: uno enim cognito contrario alterum non facile latere solet, præsertim si agendo & patiendo inter se concurrerint.* Sed hic diverticulum quærunt aliqui, dicentes à medicis minus anguste accipi contraria, quam ab Aristotele, & ipsa quæ occultis viribus sanent, etiam contraria quodam modo morbis dici posse: stat tamen illud, quod Galenus affirmat methodum talium non esse, ac proinde si aliquando sanant, contingenter non minus quam aliàs, morbos ex usu eorum sanari, ac sæpe etiam fieri, ut non sanent, de quo eventus quotidiani nobis adstipulantur, præsertim in peste curanda: Quot enim sunt alexipharmaca & bezoartica, quæ mirificis laudibus extolluntur, tanquam à tota substantia hominibus auxilium ferentia adversus venenatam corruptionem istam, & tamen non ita sæpe (multo minus semper) affectos periculo liberantia?

EX HIS IGITVR, quæ hactenus disputavimus, satis evidenter perspicitur, quantum à veritate recedant & aberrent, qui nullum morbum incurabilem esse contendunt, ut jam impudentem admodum esse oporteat, & valde inscientem, qui temere omnium ægritudinum curationem cujuscunque corporis omni tempore promittat. Pugnante ratione cum experientia, huic potius adhærendum esse, quam illi sapientissimi olim statuerunt: experientia autem hic à nostra stat parte, neque ulla certe ratio valida in contra-

ontrarium occurrit. Consentiente itaque veritatis inquirendæ utroque instrumento, quid tenendum sit nemo facile dubitabit.

Conantur tamen nonnulli pro adversa sententia rationibus quibusdam pugnare, quarum quantum sit pondus postea videbimus. Prius enim duorum doctissimorum virorum loca considerabimus, in quibus ipsi quoque videntur diversam sequi à nostra opinionem.

AC PRIMVM quidem HIERONYMVS DARDANVS commentario in 1. prognost. Hippocratis, super hæc verba: CVM VERO HOMINES INTEREANT, ALII QVIDEM VI MORBI, &c. sic scripsit: *Manifestum est quod intendit (Hippocrates) omnes ægros sanari posse, si tempestive medicus bonus advocetur, & nisi divinum quid obstet.* Item: *Non obscurum est hic velle Hippocratem omnes morbos ab initio posse curari:* & allegat postea Hipp. verba ex libr. de arte: *Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficit quoque ad sanandum, si vero is, in quo morbus cognoscitur, superetur, ob id sane quod serius medicum accessit, aut ob morbi celeritatem, peribit.*

Istum locum Cardanus perperam interpretatus esse mihi videtur, ego enim Hippocratem per semetipsum exponendum censeo, ne contrarius sibi tantus princeps nostræ artis statuatur. Ut igitur alia dicta, quæ supra allegavi, hic prætercam, idem Hipp. eodem lib. paulo ante hunc locum clarissimis verbis dixit: *Sed fieri non potest,*

*ut*

*ut omnes, qui ægrotant, ſanitatem conſequantur*, (ut hic locus ab aliis eſt converſus.) Quomodo igitur tanta eſſet oblivione, ut quod hic affirmavit, mox paucis interjectis lineis negaret? Quod ſi quis opinabitur non negaſſe Hippocratem, quin ars medica ſanare poſſit ægros omnes, ſed quaſi indefinite dixiſſe fieri non poſſe, ut omnes ægri ſanitatem conſequantur, cum non omnes arte ſemper uti queant, aut medicorum copiam habere: huic repugnabit Græca lectio, quæ ſic habet: ὑγιέας ποιέειν ἅπαντας ἀσθενέοντας ἀδύνατον, quia loquitur de medici agentis, & remedia admoventis actionibus, & poſtea addit: *Id enim*, id eſt ſanare omnes vel ſanare ſemper, *præſtantius multo eſſet, quam futura prædicere. Cum autem impoßibile ſit omnes ſanare, reſtat* (hæc enim nativa eſt & germana ſententia Hippocratis) *aliud auxilium, quo Medicus honorem & famam tueatur ſuam, præſciendo videlicet & prædicendo futura. etenim ſi moriturum ægrum prædixerit, nemo culpam non ſervati ejus in ipſum poſtea rejiciet.* Hunc propoſuit ibi tertium uſum præcognitionis, ipſo etiam Galeno locupletiſſimo teſte. Iam conſideret eruditus lector, an non privato tantum arbitrio talis ſententia Hippocrati attribuatur, quæ cum ſcopo propoſito ſcriptionis Prognoſtici ex diametro plane pugnet? Taceo quod Cardanus ipſemet, id quod divinum dicitur, obſtare curationi aliquando aſſentitur.

LOCVS ALTER, ex Arte Hipp. non ita procul

ul à fine ejus libri, citatus, nihilo magis contra
os facit, & Cardanus illius ſenſum non explicat,
ed nudè tantum verba ſola recitat. *Medicus* (in-
quit Hipp.) *ſi ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficit et-
am ad ſanandum.* Præclare, prudenter ac recte
hæc dicuntur. An vero cognoſci morbos uni-
verſos à medico poſſe affirmavit? aut inde ne
ſequitur: ergo fieri poteſt, ut medicus omnes
morbos & cognoſcat, & ſanet? nequaquam.
Perpendatur enim genuinus ejus loci ſenſus. Re-
ſpondet Hippocrates vituperatoribus Medicinæ,
qui ideo eam veluti non artem reprehendebant,
quod omnibus æque morbis ſanitatem non ad-
ferret. Concedit hoc Hippocrates, ſed culpa, in-
quit, non omnis eſt in arte aut in medico. nam
ſæpe deſunt inſtrumenta & remedia opportuna,
aut ſatis valentia, unde cum homo morbo affici-
tur, qui vehementior eſt, quam medicinæ inſtru-
menta, ne ſperare quidem oportet, ut à medicina
exſuperetur, quare in tali caſu vim & magnitudi-
nem affectionis accuſare oportet. Deinde deſtin-
guit etiam morbos, quorum alii ſint manifeſti, alii
in obſcuro poſiti ac latentes. Manifeſtos agno-
ſcere ac curare non eſt res prorſus difficillima aut
impoſſibilis, ſed danda opera eſt, ut obſcuri quo-
que cognoſcantur ac ſuperentur, quantum poſſi-
bile eſt: (ecce limitationem.) poſſibile autem eſt,
quantum ægrorum naturæ ad conſiderandum
conferunt, & quantum eorum, qui perſcrutatu-
ri ſunt, naturæ ad perſcrutandum aptæ ſunt. Ægri
vero

vero non æque omnes commode ac perite posſunt cauſas, occaſiones & diſpoſitiones ſenſumque ſui mali medicis narrare, quare cum Medicus neque viſu neque audiendo ad infallibilem certitudinem pervenire poteſt, aliò (id eſt, ad alia adjumenta & ſigna) ipſum reſpicere neceſſe eſt. Atque ibi demum hæc verba ſubjungit: *Medicus ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum*: quæ verba ſimpliciter intelligenda ſunt ut ſonant, quaſi dicam: *nunquam ſufficiet ad ſanandum, qui morbum abditum & internum prius recte non cognovit*. Quis enim illum ſufficientem ſive idoneum ad curandum exiſtimet, qui morbi cognitionem nullam adhuc habeat, aut imperfectam vel incertam, cum prima curandi indicatio à natura morbi ſumenda ſit? Sufficere vero minime ſignificat ſemper poſſe, nam diſerte antea dixit: *quantum poßibile eſt*, & paulo poſt impoſſibiles ac deſperatos quoſdam appellat.

Quid multis? *Si vero* (addit Hipp.) *is, in quo morbus cognoſcitur, ſuperetur*, &c. ibi aperte fatetur, quod ſuperari homo à morbo poſſit, licet ille à medico jam ſit cognitus. Unde falſum eſt, quod ſimplicem illa inter ſe converſionem habeant, morbum cognoſcere & morbum curare, & immotæ adhuc ſtant, cumque Hippocrate conſentiunt noſtræ cauſæ ſupra traditæ, propter quas fiat, ut morbi aliqui nunquam curentur, neque poſſibiles curatu etiam tamen interdum non ſanentur, ſive medicus ſerius vocetur, ſive morbi

ſit

t nimia celeritas aut vehementia, ſive aliæ cau-
e concurrant.

Quapropter non parva me tenet admiratio,
ur placuerit Cardano hoc uti teſtimonio, quod
d confirmationem ſententiæ ſuæ non pertinere
icile potuit intelligere.

Cæterum illud idem ratione quoque demon-
trari poſſe ſcribit, quod ſcilicet morbi ab initio
omnes ſint ſanabiles, ne quis excidiſſe fortuito
ianc aſſeverationem ipſi ſuſpicetur. Demonſtra-
ionem vero duplicem proponit, quarum PRIOR
iæc eſt.

*Cauſa morbi ſenſim introducit morbum, ſed ab ini-
io ſi quis obſtet validiore contrario illi cauſæ, non po-
erit illum conſervare, ergo æger evadet.* Aſſumit
iæc ratio aliquid tanquam unicum, quod tamen
nultiplex eſt, initium enim morbi ſive princi-
ium non uno modo accipitur, ut docuit *Galenus*
1. *de criſib.* & 1. *Aph.* 12. *& circa principium primi
ib. prorhet.* quod ille hic non diſtinguit. Quod
igitur cauſa morbi ſenſim morbum introducat
concedo, quia motus fit in tempore. Obſtan-
dum autem eſſe vult in initio motus, quod ſem-
per fieri non poteſt à medico, quare non ſemper
æger evadet, & per conſequens non conſiſtit de-
monſtratio. Medicus enim, quod dici ſolet, ar-
tifex eſt ſenſatus, & raro aut fortaſſis nunquam
primum inſultum morbi agnoſcit ex ſignis ma-
nifeſtis, atque ibi certe non ſufficiens eſt ad co-
gnoſcendum, quare nec ad curandum ſufficiens
erit:

erit: quod in morbis acutiſſimis, quantum momenti habeat, non eſt obſcurum, ubi principi tempus ad quartum diem non poteſt extendi multo minus eo tempore, quod principium dic meretur, valentia contraria adhiberi vel oppon poſſunt. Imo quam multi ſubito exanimati ſunt ac mortui conciderunt? quale hic initium dabitur nobis, in quo cauſam repellamus & inhibeamus, ne morbum conſervet?

Præterea non leviter miror, cur in demonſtratione, quam univerſaliter procedere oportebat, mentionem faciat contrarii, quo cauſæ tantum morbi medicus obſiſtere debeat, curationem (quam καθόλȣ poſſibilem conatur demonſtrare) omnem ad cauſam referat, quod tamen nullo modo eſt univerſale; nam multi ſunt morbi, qui abſque cauſa conſiſtant, & propriam eamque potiſſimam indicationem de ſe præbeant, quorum nullam hic rationem haberi, plurimum, ut dicebam, mirari cogor.

Quid tandem illis reſpondebit, qui morbos occultos in tota ſubſtantia conſiſtentes producent, qui ab initio non facile nec ſemper cognoſcuntur, donec tandem effectibus ſuis ſe prodant, ac proinde adhiberi ab initio juſta remedia ſive cauſæ ſive morbo non admodum datur? Manebunt igitur hac ratione & progredientur. Quid etiam illis, qui tota ſpecie ſua incurabiles morbos, aut à Deo immiſſas cauſas mortis morbificas opponent? Nam ſi ipſe cœlum (hoc enim

per

per diluvium intelligit) excepit, multo magis Deus ipſe nobis excipiendus erit.

Altera demonstratio, ut appellat ipſe, talis eſt. *Morbus ille etiam ſine auxilio, quodam temporis ſpacio introducitur. Ergo ſi cauſa in dimidio temporis oppoſitum introducere poſſit, non augebitur morbus, Ergo non morietur æger.* Equidem ut verum, fatear obſcura mihi verba hæc videntur, & niſi per auxilium intelligam remedium oppoſitum morbo incipienti adhibitumque corpori ægrotanti, per cauſam vero in minore propoſitione medicum ipſum vel cauſam ſanantem & contrariam morbo: ſenſum alium nullum elicere poſſum. Et ſi à ſententia verborum aberravero, erudiri me lubens patiar. Hoc igitur autorem demonſtrationis dicere voluiſſe arbitror? Etſi veriſimile eſt morbum, cui ſint oppoſita remedia vel auxilia contraria, tardius & longiore tempore introduci in corpus affectum: tamen etiam tunc cum nihil ei opponitur, nec quicquam impedimenti objicitur illi, non niſi ſpacio quodam temporis introducitur & confirmatur. Cum enim cauſas habeat naturales, & perficiatur motu quodam phyſico, non poteſt in momento fieri. Ponamus ergo morbum aliquem introduci ac fieri ſex diebus, ſi autem cauſa ſanans vel medicus (nam de medici actionibus curativis nunc agitur, an ſemper initio morbum profligare queant) in dimidio temporis, hoc eſt in triduo, poſſit in corpus patiens oppoſitum morbi

introducere non augebitur, morbus, & æger non morietur.

Primum libet quærere, cur in hoc negocio dubitative loqui voluerit, vel ὑποθετικῶς: *si possit.* Nam hoc evidens eſt, ſi non poſſit (ut ſemper non poteſt) quod hoc ipſo propoſitum Syllogiſmi evertatur.

Ne autem in viri celeberrimi dicta nimis minute inquiram, alia quædam, quæ adferre poteram, volens prætcribo, & hoc unicum tantum quæram, quomodo concluſio cum ſuperioribus cohæreat? Non augebitur morbus, inquit, ergo æger non morietur. Nemone moritur, niſi aucto & procedente morbo? an quæſo in principio morbi extinctus eſt nemo? & Galenus cauſas hujus ſæpe non propoſuit? aut nullæne ſubitæ mortes extitiſſe leguntur, vel hodie etiam animadvertuntur? Imo Hippocrates eo ipſo loco, in cujus interpretatione Cardanus hæc diſputat, ita dixit: alii intereunt vocato medico repente, alii intra primum diem. Verum intelligens Cardanus defectum opinionis defenſæ, mox talia adjungit, quæ cum demonſtrationibus ſuis adverſantur, tum ſummopere noſtram ſententiam confirmant. *Quia tamen ſumus in arte* (inquit) *in qua experimentum eſt judex* (recte & candide facit, quod experientiæ manifeſtiſſimæ cedit) *ideo ſoleo ego addere tres conditiones,* 1. *quod ætas non obſtet minor annis quinque, & major annis ſeptuaginta.* 2. *ne morbo aliquo valido & continuo detentus*

*diu*

*lius sit homo æger, seu communi, seu proprio. 3. ne quid insit divinum, &c.* Has conditiones recipio, & plures alias non minus necessarias supra commemoravi. At si quædam sunt conditiones, quæ obsistunt, non constabit illud καθόλȣ omnes morbos in initio curari posse, si medicus bonus tempestive advocetur.

Nvnc de alterius etiam sententia pauca quædam dicenda sunt. Ioannes Fernelivs, vir præstantissimus, quemque honoris causa nomino, in principio quarti libri meth. medendi ita scripsit. *Quoniam omnis motus, & omnis effectio a contrariorum dissidio atque repugnantia proficiscitur, natura dum mundi hanc universitatem assiduæ mutationi subjecit, simul eam necessario variis dissidiorum generibus quasi seminibus conspersit. Atque ut quatuor rerum primordia ignem & aquam, terram & aërem contraria instituit: ita & unicuique, quod ex iis ortu processit, aliud quidpiam opposuit dissidii lege. Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium illa protulerit, nullaque usquam est remediorum penuria, sed nostra eorum plerunque turpis ignoratio. Nullus toto genere immedicabilis est affectus, sed idcirco duntaxat, aut quod supra modum auctus omnem præsidiorum vim aspernetur, aut quod imbecillæ jam vires curationis prolixitati succumbunt.*

Isto loco etsi ex professo hanc controversiam, quam ego nonnihil explicare sum aggressus, non tractat, satis tamen quid in universum de ea sen-

tiat indicasse videtur. Initio autem libri hujus dixi per se immedicabilium morborum posse constitui differentiam quandam, ex eo, quod aut contrarium in natura nullum habeant quo depellantur atque tollantur, aut quod habeant quidem, sed latens adhuc & ignoratum. Utrumque tamen in eundem tandem eventum desinit, ut, sive sit & ignoretur remedium, sive non sit, morbus propterea medicis, quoad sunt medici, incurabilis maneat. Non igitur assentior cum dicitur, nullum toto genere esse immedicabilem affectum, neque assentior cum dicitur idcirco duntaxat non curari morbum, quod vel ipse vehementior sit, vel vires imbecilliores. Nam quod ad posterius hoc attinet, plura esse quæ per accidens morbum sanari prohibeant, clarissime ante monstrasse me confido. Prius vero paulo diligentius adhuc considerabimus. *Nullus*, inquit, *toto genere immedicabilis est affectus, nullus enim affectus est, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium natura protulerit.* Credo quod liceat nobis de hoc pronunciato dubitare. Quomodo enim certum esse istud aliquis persuaserit, cum naturam sic Deus condiderit, ut nullos allatura fuerit homini morbos, si ille è statu suo non excidisset? Morbifica igitur facta est non primitus, una cum contrariis salutiferis remediis, sed post irrogationem pœnæ demum, qua & homo mortis potestati actu est subjectus, & terra maledictioni, una cum reliquis creatu-

ris.

is. Non enim ſunt nulli, qui ſentiunt, mundi
partes ſingulas (cœlum, aſtra, elementa, plantas, animalia) quæ ſtatim poſt creationem præditæ fuerant perfectiſſima natura, utilitatibus, viribuſque hominum commodo maxime conferentibus, poſtea factas eſſe partim in ſeipſis paucias ac languidas, partim etiam homini contrarias, adverſas, venenatas, inque magnam virium ruinam & diſſenſionem à primæva bonitate decidiſſe. Unde dixiſſe Apoſtolus videri poteſt, Rom. 8. *Creaturam ſubjectam eſſe vanitati, ingemiſcentem tamen & parturientem, in ſpe, ut liberetur à ſervitute, &c.*

Quod ſi natura à primordio ſuo ratione morbificarum cauſarum caruit, ſive per ſe, ſive per accidens, profecto etiam ſecundum Fernelium ratione cauſarum contrariarum caruit, quæ morbos curarent: nulla igitur natura protulit initio remedia. Et unde tandem illa prolata fuere? Hic vero difficiles ſcrupuli injicientur nobis. Si remedia ante lapſum condita fuerunt, num fruſtra facta fuiſſent homine non peccante, & morbis extantibus nullis? & cui contraria fuiſſent? Sin autem nulla fuerunt, quomodo dicere poterimus à natura diſſidii lege oppoſita fuiſſe contrariis affectibus, qui & ipſi nulli tum erant? Neque enim huc confugere licebit, ut opinor, quod ſimul cum morbis (qui ſunt pars pœnæ) etiam remedia facta & data fuerint: an maledictio bona illa tanta attuliſſet? Cum

aliis ergo potius ſic ſentiendum, primos parentes ante lapſum in ſtatu innocentiæ, non fuiſſe quidem ſimpliciter, & ex conditione materiæ ſuæ impaſſibiles, qua ratione neque immortale corpus habuerint, cum ex contrariis eſſet compoſitum: Sed tamen munere Dei hoc habebant, ut partim ratione ſenſibuſque integris atque incorruptis poſſent evitare omnem contrariorum noxam, partim etiam divina providentia & ordinatione tuti, immuneſque eſſent ab omni tali ad tanto occurſu rerum, qui lædere eos poſſet. Fuit eis notum diſcrimen calidi & frigidi ſenſu, mollis & duri, humidi & ſicci. Caro igitur eorum ab occurſu duri aliter afficiebatur quam à molli, & ſi nervi lacerationem paſſi eſſent, dolorem percepiſſent utique, & ſicuti aquam à terra abſorberi animadvertiſſent, ita ſe ipſos quoque humectatos ſiccari à ſolis calore ſenſiſſent: quemadmodum etiam deceſſio quædam humidi ἐμφύτου in ipſis futura fuiſſet, per nutritionem & eſum lignorum fructuumque Paradiſi, & ligni vitæ, perfecte reſtauranda. Sed ad tale incommodum, quod ſecum traheret moleſtiam vel læſionem actionum, vel deſtructionem & corruptionem corporis, non progreſſa eſſet natura ſancta & ſapientiſſima illa, ne quidem ex improviſo. Maxime quoque εὔκρατον habebant corpus, non quidem æqualitate contrariorum ſecundum pondus aut quantitatem, quod nullas alterationes perſentiſceret, ſed ſecundum proportionem ac juſtitiam, qua
efficie-

efficiebatur, ut quodvis contrariorum illam qualitatem & moderationem servaret, quæ necessaria erat ad justam συμμετρίαν & crasin totius corporis conservandam. Namque anima virtute sua ita continebat & gubernabat corpus, ut neque morbis, neque morti subjectum esset, quamdiu homo non peccaret: ex gratiæ tamen divinæ dono, & non ex naturæ, seu materiæ proprietate.

At post lapsum, homo præter cæteras pœnas etiam incidit in eam calamitatem ut pugnantium qualitatum acerbitati subjiceretur, & potentiam acciperet dura patiendi ab illis, recedente videlicet ab eo præsidio & benedictione Dei, qua tutus antea ab omni malo degebat. Cumque ipse antea dominaretur terræ & elementis, postea hæc dominii sui aculeos quosdam converterunt in ipsum destruendo, quod prius non poterant. Tum quidem, ut consentaneum est, res creatæ non aliæ factæ sunt quam prius essent, nec novas accepere vires, sed alium hominem acceperunt, qui jam passionibus multis expositus foret, à quibus immunis & tutissimus antea fuisset. Receptus autem à Deo, & non penitus abjectus, invenit postea subsidia quædam (si recte usurparentur) in natura conditarum rerum, & in contrariis, non simpliciter ob id factis, ut essent remedia, quibus primum non indigebat homo: sed cum sapientia & bonitas Dei infinita sit, plures respectus, vires, δυνάμεις, habili-

tates, creatis rebus indiderat, ad plurimos fines, atque usus idoneas. Lignum creavit Deus, è quo nunc fractis cruribus splenia conficiuntur & fulcra claudicantibus. eum usum primo non habuisset, cum fractura vel claudicatio in Adamum non cecidisset, nunc tamen habet. Nec tamen frustra conditum erat lignum, tametsi ad hunc usum in morbis non adhiberetur, sed ad multa alia non minus utile fuisset: siquidem multæ etiamnum rerum vires sunt ignotæ nobis, nec contra morbos serviunt nobis, serviunt tamen gloriæ Dei, & bestiis aliis prosunt. In his investigandis occupata esse hominum industria debet, unde fit, ut in nobis ars principium sit multorum effectuum. Ita tandem inventæ sunt rationes construendi tecti, texendæ vestis, & observationes remediorum quædam, quæ denique usque ad formam artis excrevere. Linum quidem primo propter telam non creatum est, postea tamen ad eam efficiendam adhibitum. Ita rosa, non proderat initio adversus calorem, nullo enim calore contra naturam affectus fuisset homo, sed postea cum calor urere incepisset & lædere, mitigationem quandam afferre illam posse usu deprehensum fuit. Repertum etiam fuit, hoc melius illo sapere ac nutrire.

Quamobrem apud Syracidem præclare scriptum est, *altissimum condidisse remedia*, hoc est, res sive substantias, & δυνάμεις rerum, ex quibus postea cœperunt peti remedia: *non ut tunc*

*statim*

*latim remedia essent*, quia contrarius morbus erat nullus. Et Deus recte ac pie autor medicinæ dicitur, quia omne bonum à Deo. Potuisset enim impedire, ne quicquam boni ex creaturis ad peccatorem hominem rediret. Verum misericors creator non solum reliquit materiam & silvam remediorum uberrimam, quæ ipso permittente utilitates varias hominibus afferre posset: sed etiam ipsorum intellectum illustravit in inventione ac delectu eorundem, & adjuvit, excitando artifices præstantissimos, quos præterea eximio dono sanationum ornavit, ut jam magno cum fructu & ægritudinum levamine dulci medicamentosis rebus utamur. Fuerunt igitur eædem res, quæ nunc sunt remedia, etiam ante lapsum primorum parentum, quanquam actu nihil sanarent, cum sanandum in homine nihildum esset, morbi enim non erant.

Quod si quis contendat, ut remedia ὑγιεινὰ erant, ita etiam morbifica fuisse, non actu, sed potentia: discrimen tamen hoc non inficiabitur, subjecta remediorum & qualitates ipsas tum quoq; actu agentes suaviter afficere, fovere, conservare, nutrire corpus potuisse; morbifica vero nullo actu vel respectu sanitatem lædere & expellere potuisse, ob causam ante propositam. Tametsi igitur concedimus, per se consideratam ratione omni morbificarum causarum non prorsus caruisse naturam rerum, δυνάμει saltem, cum subjectum hominis corpus in quod agerent, ita

Dei providentia diſpoſitum ac præmunitum fuiſſet, ut uſque ad morboſam διάθεσιν lædi non poſſet: & remediorum quoque materiam tum præfuiſſe: non tamen inde confici aut demonſtrari poterit, æque omnibus & univerſaliter primitus oppoſita fuiſſe contraria. Vita ſiquidem erat, mors non erat, ſed acceſſit deinceps, quanquam mors non contraria, ſed privatio vitæ eſt. Nunc poſtquam mors intravit in mundum, quid ei oppoſitum naturaliter eſſe dicamus, quo abigi queat? Ita ſanitas erat, morbus non erat, nec eſſe poterat, niſi aliter affecto homine per peccatum. Materia enim hominis conditi non ſtatim ad corruptionem tendebat neceſſario, ſed poſt incidit in illam δυύαμιν corruptionis, nunc inevitabilem immedicabilemque.

Quanquam igitur Deus reliquit θελκτήρια multa (quæ tamen abolere maledictione ſua potuiſſet, contra immanitatem morborum poſt lapſum, quibus ſolentur ſe ac nonnihil ſuſtentent miſeri homines in pœnis hærentes: tamen nequaquam illa univerſalibus pœnis exæquantur, quas in mortem deſinere tandem neceſſe eſt, neque natura vel ars hominum poteſt ex pœna facere non pœnam, niſi Deo volente & placato. Homo Deum offendendo infinitum bonum offendit, & pœnam infinitam commeruit, mortem videlicet æternam. Huic malo remedium attulit inenarrabili conſilio Dei filius, dum ſua

morte

morte à piis æternam mortem abſtulit. Hic eſt mali & contrarii remedii facta exæquatio, in morte autem & pœna temporaria nulla talis medela propoſita, ſed ærumnis in hac vita nos exerceri oportet, ut peccatum noſtrum & Dei immenſum beneficium cruce docti melius agnoſcamus, tantoque ardentius ad perpetuam liberationem reſpiciamus, quanto majus precium pro debito noſtro perſolvendum fuit. Præterea in capite de Deo ſupra oſtendi, verbum divinum diſerte mentionem facere morborum inſanabilium quorundam, & Deum non raro extra ac ſupra leges ordinemque naturæ, terris plagas, interque has etiam morborum genera quædam, immittere, ad quæ antidotum nullum in natura diſſidii lege conditum eſſe conſtat, veluti natura in ampliſſimo ambitu ſuo nihil habebat, quo ſanaret morſus anguium in deſerto ignitorum. Verum autem remedium 16. cap. lib. Sapientiæ exprimitur: *Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo qui ſanat omnia, tu es Domine, qui vitæ ac mortis habes poteſtatem*, &c. Et Pſalm. 107. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.*

Atque inprimis ad rem præſentem facit, quod hujus generis morbos, & remedia illorum quoque, ipſemet Fernelius 2. lib. 16. cap. de abd. rerum cauſis *trans naturam* eſſe aſſerit. Itaque, ut ajebam, iis aſſentiri non poſſum, qui ſtatuunt præciſe ad ſingula morborum incommoda ſingula

gula

gula etiam remedia contraria in natura esse dispersa vel ordinata. Sunt hæc quidem non ex Philosophicis, sed altioribus principiis allata, quibus tamen uti me non pudet, neq; pudere debet.

Sed de naturalibus rebus quoniam agimus, ex naturæ quoque ac rationis nostræ principiis exempla adjungamus.

Loquitur Fernelius de natura qualis nunc est. An igitur natura produxit contrarium remedium ad μάρανσιν calidi humidique nativi? quæ est πάθος ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενον, ac proinde quodam modo κατὰ φύσιν, unde nunc in morte, homo omnium creaturarum ope, & contrariorum auxilio, penitus destituitur. An adversus corruptionem rerum ex materia Physica constantium præsidium ullum extat? cujus corruptionis necessitatem absolutam nunc esse ipsi quoque Physici demonstrant. Contrariam quidem habet generationem, nulla tamen generatione individui corrumpendi interitus prohiberi potest.

Præterea Fernelius unus ex primis inter recentiores fuit, qui morborum totius substantiæ mentionem memoriamque celebrem fecerunt. Hos vero non ex elementorum primordiis deduxit, quare circa ipsos contrarietatem talem, de quali hic loquitur nullo modo probare poterit, cum ex elementis horumve qualitatibus primis ortu non processerint. Ut igitur mea fert opinio, si suis ipse principiis inhærere volet, non

recte

recte concludendo hæc verba mox apposuit. *Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium natura protulerit.* Ut enim breviter repetam, talis fuit ejus argumentatio: *Natura elementa ipsa & ex elementis orta universa ita produxit, ut nihil sit sine contrario, ergo omnibus etiam morbis contraria remedia produxit.* Hic necessario restringuntur omnes morbi ad eos tantum, qui ex elementis oriuntur. at ipsemet alibi nonnullos excepit, quos negat ex elementari esse origine, ad quos etiam hanc rationem accommodare nequit, ex quo consequitur, non recte inferri simpliciter omnes affectus contrarium & salubre in natura remedium conditum habere.

Vereor etiam nonnihil, ne remedii contrarii appellatio nobis hic imponat. Morborum rationem sic comparatam esse novimus, ut non singuli unico tantum remedio opposito statim recedant, sicuti caliditas recedit ex aqua, quando congelat frigore: sed simplicibus simplicia, compositis composita debentur, ubi permagna etiam affecti corporis partiumque ejus est habenda ratio, ne dum auxilium adferre contendimus, magis etiam lædatur, vel alio loco morbum novum contrahat. Quamobrem multa arte miscemus nos etiam, ut contraria propria efficiamus, sicuti ceram, oleum, æruginem, quorum neutrum solum ulceri cavo conducit, conjunctim vero prosunt.

Reme-

Remedia eatenus contraria ſunt morbis, quatenus contrarias diſpoſitiones efficiunt, proprie vero morborum ſpeciei ac διαθέσει ſanitatum ſpecies ac διαθέσεις contrariantur, non tamen ita, quod actu & arte & re ipſa poſſibilis ſemper ſit permutatio morbi in ſanitatem, ſed quod interdum cogitando ſaltem contrarium morbi intelligere animoque comprehendere poſſumus. Quoties vero dicitur cuicunque affectui productum eſſe remedium à natura, permulti ſunt, non ex vulgo tantum, ſed ex medicis quoque, qui ſtatim cogitatione fingunt ſibi certa quædam definita ac ſpecifica virtute agentia remedia, quorum contractu ſolo duntaxat ſive interno, ſive externo, mox profligentur morbi ſubjectoque cedant, tanquam hoſte potentiore pulſi, ad cujus conſpectum perſiſtere nequeant, quæ propria eſt natura contrariorum. Talia vero aut nulla, aut perpauca eſſe nihil dubito, quoniam ſi eſſent, non magnopere artis medicæ tanta exquiſitione opus foret.

Quare morbo inprimis contraria eſt ſanitas, contraria etiam ſunt remedia, quatenus qualitatibus & naturæ ejus repugnant, ut febri contrariatur cichorium, quia refrigerat ejus fervorem. Sed poſita ac habita tali contrarietate, non propterea ſequi ſanationem neceſſe eſt. Si itaque ad genus tale contrarietatis reſpiciamus, concedi poteſt omnium fere morborum eſſe contraria, calidis enim opponuntur aquea vel terrea, frigidis

is ignea, vel aërea, vulneratis conſolidantia, ractis conglutinantia, numero excedenti exceſſum auferentia, diſtortis rectificantia, obſtructioni aperientia, induratis emollientia, quod de æteris omnibus etiam intelligatur ſimili modo.

Eodem intellectu ſi Fernelius accipi voluit nullum affectum toto genere immedicabilem eſſe, non admodum repugnabo, cum ejuſmodi contrarietatem noſſe ad medicationis perfectionem nequaquam ſufficiat. At ſi ad ſpeciem vel individua deſcendamus, immenſum diſcrimen reperiemus. Vulneribus contraria ſunt ea, quæ συνέχειαν diſſolutam uniant, ex quibus alia huic, alia illi parti conveniunt. Num propterea quodcunque vulnus medicabile arbitrabimur? equidem cum Poëta ſentio nulla ſanari vulnera cordis ope. atque hic defectus propriæ contrarietatis evidentiſſime perſpici poteſt, taleque vulnus εἶδος eſſe incurabile omnium ætatum experientia comprobavit.

Præterea qualitas illa ſive δύναμις (accidentaria vel ſubſtantialis) contraria, & idonea profligando morbo, *aut ignota eſt nobis*, quod ſæpe accidit, nec enim neceſſe eſt, ſi quis unum contrarium novit, etiam alterum, ut norit (ut taceam qualitatem morbi etiam ſæpe ignorari) manebit igitur morbus incurabilis arte medica: *Aut nota eſt quidem*, ſed actu comparari vel adhiberi nequit arte & induſtria humana, ſicut jam de vulnere cordis diximus, quis enim tam ſubitam conſoli-

consolidationem efficiat, quanta est? & si iterum manebit morbus incurabilis. Unde arbitror multo rectius 1. lib. cap. 1. ejusdem sui methodi hæc pronunciasse ipsum: *Non semper medicus ægrotum sanitati restituit, satis est si apposite curet ad sanandum.* Quod igitur porro scribit, nullam usquam esse remediorum penuriam, in universum, & ita simpliciter non accipio, quod e superioribus facile intelligitur. Illud vero lubens admitto magnam esse in nobis remediorum plurimorum ignorationem, magna enim opera Domini, & beneficentiæ ejus plena est terra. Avidumque vitæ ac salutis genus humanum, & mortem cruciatusque morborum exhorrescens, varia tentavit, quæsivit, excogitavit, Deo duce multa invenit utilissima; voluit enim Deus ne mens nostra otiosa esset, sed ut meditando extunderet artes, secundum Poëtam. Ut enim æternas pœnas mitigavit, imo abstulit, homini, ostenso remedio per filium; ita multo magis dedit quod minus erat, nempe remedia quædam corporis malis, sicut pelles dedit ad vestiendum. Sine dubio autem multa adhuc nondum eruta in naturæ thesauris latent, non tamen propterea omnia natura habet, quibus ad mala depellenda indiget hæc ærumnosa vita nostra, sed multa etiam immediate à se peti atque expectari vult Deus. Creber est rumor inter homines subinde oriri nova quædam genera morborum. Hoc ergo si verum est, oriri etiam secundum hanc

senten-

Hoc ergo si verum est, oriri etiam secundum hanc sententiam necesse fuerit nova remediorum genera, siquidem natura nihil absque determinatis contrariis auxiliis relinquere solet, non ita, ut cognoscantur solum, sed ut fiant, & tum primum existant, aque natura quasi creentur. Nam si cognoscuntur tantum remedia, aut fuerunt antea sine contrario, quod est contra hyphothesin horum, aut morbi etiam novi non fient, sed cognoscentur tantum.

Verum quibus rationibus nova remedia à natura produci defendemus? num ita, ut substantiæ vel subjecta eorum novæque species oriantur? an ut probat novas vires, quibus antea multis seculis carebant, acquirant? quorum utrumque absurdum est. Quid multis, lignum vitæ scimus in Paradiso fuisse, unde post peccatum expulsi sumus, Paradiso ipso etiam dissipato, idque lignum vel aliud ejus simile, non ubique jam natura profert. Cæterum ad hanc rem pertinentia plura, quæ hic repetenda non sunt, ex superioribus colligi poterunt.

Constitutis itaque his ad hunc modum, non difficile erit ad aliorum quorundam minus doctorum argumenta respondere. *Contraria sunt,* inquiunt *nonnulli, sanitas & morbus atque exæquantur. Ergo si quævis sanitas morbo permutari potest, necessarium videtur, ut quivis etiam morbus sanitate permutari queat & sanabilis existat.* Non concedo exæquari morbum ac sanitatem primo.

Sanitas fuit homini data, ut naturale & essentiale bonum, quod initio contrarium malum habuit nullum. id bonum jam amisit, morbus vero per accidens posterius accessit tanquam pœna: quia igitur pœnæ in hac vita nunquam ex toto auferuntur, nec morbus etiam omnis simpliciter auferri actu & reapse poterit. Præterea constat corruptionem inhærere naturalibus corporibus ἐξ ἀνάγκης ἁπλῶς, cujus corruptionis modus quidam sunt morbi. Subjectum etiam corpus sæpe capax quidem est habitus sanitatis, sed non semper in potestate nostra aut artis sunt causæ, quæ illum corpori restituere queant, quod ex Hippocrate quoque antea probavi. Ut taceam non esse ἀδύνατον corpus capacitatem & facultatem sanitatis prorsus aliquando amittere, ne sit amplius δυνάμει ὑγιεινὸν, unde fit ne formam sanitatis recuperare unquam possit, cum non sit amplius ens in potentia. Nec vero natura est principium (multo minus ars) motus, qui introducat formam in subjectum, cujus nulla sit amplius potentia ad eam formam. At quando fiet in hac vita, ut corpus nostrum expers sit ejus δυνάμεως, qua dicitur esse, vel esse posse νοσερὸν? nunquam scilicet. Quomodo ergo par ubique est ratio corporis nostri ad sanitatem & ad morbum?

Levius est, quod alii objiciunt, morbum omnem, quia sit accidens, posse à corpore humano separa-

ſeparari, id eſt, curari atque abigi, cum accidentis proprium ſit adeſſe vel abeſſe poſſe præter ſubjecti corruptionem. Primum non idem ſunt ſeparatio & curatio. Deinde ablatio iſtiuſmodi accidentium duplex eſt. fit enim vel re ipſa, ut cum caliditas ab aqua aufertur, vel ἐπινοίᾳ duntaxat, quo modo morbum quemlibet abeſſe poſſe conceditur, cum non ſit aliquid ad ὀυσίαν ſubjecti conſtituendam pertinens. Et præterea dictum iſtud potius accidentia, quæ ſecundum naturam ſunt, reſpicit. Priore autem modo quoſdam ſolum, non autem univerſos auferri ac tolli poſſe morbos hactenus defendimus.

Tandem vero de Bombaſti ejuſque ſectatorum opinione aliqua etiam in medium afferamus, quam noſtro tempore tot frivolis infeliciſſimiſque chartis in mundum ſparſerunt, quos indoctis & rudi plebeculæ tantum obtruſerunt, ubi facile vincere poteſt, cuicunque fuerit lingua maxime fluida ac populo grata, ut Hippocrates noſter in lib. de nat. hum. ſcribit. Veras enim rerum cauſas cum nec intelligant, nec modum intelligendi didicerint, hanc unam hypotheſin, tanquam fundamentum reprehenſæ innovatæque veteris Medicinæ, ponunt ceu immotam & certiſſimam: *Theoremata Hippocratica ac Galenica non reſpondere, nec ſatisfacere curationibus morborum, qui per ſe ac ſua natura omnes ſint curabiles.* Hippocrates ipſe memoriæ prodidit hanc olim ſuo quoque tempore auditam eſſe calum-

niam & reprehensionem artis: *Oportebat* (inquiebant nonnulli) *siquidem Medicina ars erat, omnibus æque morbis sanitatem afferre.* Quæ his calumniatoribus respondeat Hippocrates, requiratur ex eodem libro, nihil enim opus est singula huc verba adscribi. Contra istos vero nos opponimus talem hypothesin: *Nullum unquam morbum, qui curatus sit arte humana, aliter curatum esse, quam juxta veteris & veræ medicinæ (Hippocraticæ scilicet & Galenicæ, sicuti ipsis loqui libet, quanquam hi viri, neque autores, neque inventores Medicinæ fuerunt, & ars medica potest ipsum quoque Galenum errantem redarguere) fundamenta methodumque, ubi aliqua causarum à me antea explicatarum non obstitit.* Objicient hic statim, nonne curavimus nos quam plurimos à nobis pro desperatis relictos? quibus respondeo, nescire me illud, neque hactenus certo rem ita se habere comperisse; præter privatas enim prædicationes, atque laudes & domestica testimonia in conventiculis clandestinis ad libitum conficta levissime, aliud fide dignum nihil auditu percepi.

Verum sit ita, atque utinam opus verbis responderet, omnibusque languentibus opem illi certam afferrent: tum respondebo cum Hippocrate in hunc modum: videtur mihi fieri potuisse, ut qui medicis veris non usi sint, in medicinam tamen inciderint. Nam utcunq; pernegent, quamplurimis utuntur illi ipsi novatores, quæ non aliunde, quam ex nostra habent Medicina,

cum

cum remediorum generibus, tum utendi præceptis. Quot vero etiam homines diris modis jugulaverint, de quo publicis quorundam ſcriptis ſunt accuſati, id altiſſimo ſilentio obruunt, & interim de quintis, atque arcanis eſſentiis immani precio auri extractis nugantur, ut imperitis fucum faciant, ipſorum inventum eſſe artem deſtillatoriam, antea nec ſic cognitam, nec recte uſurpatam, talemque quæ novum plane Medicinæ genus parturire debeat, cujus tamen non eſt niſi inſtrumentum quoddam.

Inſtitutum autem noſtrum non eſt de tota Medicina hic agere, ſed de uno illo problemate, *ſint ne omnes morbi curatu poßibiles*, quod iſti affirmantes veriſſimum eſſe vociferantur, adeo, ut à Chriſto etiam curatos, univerſos ſanabiles fuiſſe ſcribere non erubuerint. Interque cætera ſomnia unum hoc (cur enim quis omnia recenſeat?) tanquam ſummum atque divinum quid deprædicant, quod lapidem Philoſophorum appellant (ego Lapidem ſive Saxum Sisyphi appellare ſoleo) qui omnibus corporis malis depellendis ſufficiat. Iſta placent fatuis, jucunda auditu ſunt ocioſis, & pulchra videntur ſtultis mortalibus, cum revera aliud nihil ſint quam Fortunati illius crumena pileusque quem ſalſus quidam & ingenioſus finxit *εὐδαίμονα* quendam fuiſſe, beneficioque Fortunæ accepiſſe marſupium, ex quo quoties vellet manu immiſſa certam auri ſummam extraheret, donatum inſuper fuiſſe pileolo,

quem ſi capiti impoſuiſſet ſubito ex adſtantium oculis eriperetur, inque loca, quæ nominaſſet, vel maxime diſtantia transferretur: Quo figmento pulchre depictæ ſunt uſitatiſſimæ hominum cupiditates, amor auri ſcilicet abſque labore, & vanæ laudis ambitio. Neque recens hæ fabulæ natæ ſunt. Olim etiam ſimilibus ſpebus homines à magis dementatos fuiſſe conſtat. ſic enim Plinius ſcriptum reliquit lib. 25. cap. 4. *Maxima autoritas herbæ eſt, quam dodecatheon vocant, in aqua potam omnibus morbis inferri tradunt.* ibidem: *Panaces ipſo nomine omnium morborum remedia promittit.* De Centaurea quoque & verbenaca ſimile quid judicat. De hyenæ corde cap. 8. docuiſſe magos refert: *iſtud in cibo potuve ſumtum omnibus doloribus corporum auxiliari.* Libro 20. cap. 21. hæc habet: *De eiſdem (malvis) mira alia traduntur, ſed maxime ſi quotidie quis ſucci ex qualibet earum ſorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum.* lib. 21. cap. 15. de urtica: *Multis etiam religioſo in cibo eſt ad pellendos totius anni morbos.* Ejuſdem ſuperſtitionis vaniſſimæ exemplum in theologicas hiſtorias quoque irrepſit. nam in urbe Cæſarea Philippi ſcribitur enata fuiſſe herba quædam, ad baſim ſtatuæ, quam Chriſto ibidem poſuerat mulier αἱμοῤῥοῦσα (Matth. 9.) ab eodem liberata. Ea igitur herba, in potionem bibendam injecta, omnis generis morbos ſanare potuiſſe olim perhibebatur, referente id eccleſiaſtico quodam ſcriptore. Quod igitur de his

herbis

herbis fecerunt, idem feciſſe magos non eſt dubium de plurimis aliis, ex quo multæ (non de omnibus dico) vires maximæque rebus naſcentibus gemmis ac metallis attributæ fuerunt mera ſuperſtitione, ad quam res à Deo creatas veluti velamen impietatis adhibebant: unde hodie multarum virium inanitatem experientia manifeſte redarguit.

Ejuſdem igitur abſurditatis imo impietatis propugnatorem ſe etiam Bombaſtus præbuit, qui alicubi ſcripſit: *Vivere uſque ad mundi renovationem non eſſe contra naturam, ſed ſolum ultra contraque noſtrum intellectum*: huic ergo comminatio illa divinæ vocis irrita viſa eſt, cum dixit ad hominem: *Morieris, & in terram, unde ſumtus es, reverteris.*

Meminit Galenus, in libro de tabe, cujuſdam Philoſophi, *qui cum eſſet quadraginta annorum ætate, librum edidit* ὅπως ἔνεστιν ἀγήρων τινα διαμένειν τὸ πάμπαν, *quomodo liceat aliquem inſeneſcibilem omnino permanere: vixit autem uſque ad octogeſimum annum, adeo gracilis effectus atque ſiccus, ut naſus ei acutus eſſet, oculi concavi, tempora collapſa, aures frigidæ & contractæ, imiſque partibus inverſæ, cutis circa frontem dura, intenſa & arida, qualem faciem plerique Hippocraticam nominant. Cumque paſſim ob id derideretur, quod, quæ alios docere inſtituiſſet, in ſeipſo ne minima ex parte quidem præſtitiſſet, alium librum edidit* περὶ τῆς θαυμαστῆς ἀγηρασίας, *in quo oſtendit non quemvis hominem ſenectam evadere*

*posse, sed requiri ad id certam atque idoneam naturam, inprimisque fundamenta primæ nutritionis optima: quod si sibi infantuli apte natura præditi educandi committerentur, immortalia se ipsorum corpora effecturum pollicitus est.* Quid quæso est fatuitas, si non hæc extrema est? uti etiam tunc temporis ἐσχάτην μωρίαν hominis hujus cæteri agnoverunt, promissumque hoc Galenus deridens ἀνεξέλεγκτον vocat, priusquam enim infantuli illi adolevissent, ipse jam extinctus fuisset.

Nonne autem similis eventus in Bombasto animadversus est, qui cum aliis longissimam ac pene immortalem vitam pollicitus ex arte sua fuisset, ipse quinquagesimum annum vitæ attingere non potuit.

Valde autem mirandum est & dignum consideratione, quod diabolus subinde eadem monstra aliis vestita coloribus in theatrum reducit, quod tametsi multis exemplis declarari potest, nos tamen à proposito non digrediemur. Omnia novorum Thessaliorum jactabunda promissa quid aliud spirant sonantque, quam verba illa antiqui serpentis: *Eritis sicut Deus, scientes bonum ac malum.* Nihil dubito, in ludibrium Dei ac hominum à Satana figmentum istud universalis medicinæ excogitatum fuisse: illi enim voci divinæ: *morte morieris*: opponit Satan has voces: *Nequaquam morte moriemini, fabricate lapidem istum & habebitis lignum vitæ, aperientur oculi vestri, producetis vitam usque*
*ad*

*ad renovationem mundi, morbos omnes propulsabitis, &c.*

Atque inde est quod fascinati miseri illi homines medicinam imaginariam suam, ita extollunt, ut nullum majus donum à Deo datum humano generi agnoscant, utque vitam æternam ipsam præ hac parvi pendere videantur. In Archidoxis scribit monarcha ipsorum: *Adamum diutißime vixisse propterea, quod artem lapidis conficiendi tenuerit, cum alii multi eodem tempore, qui artem ignorarent, non diutius quam nos vixerint, in diluvio autem periisse eam una cum hominibus.*

Quanta hæc audacia, quantaque contradictionis infamia sunt prolata? Si sancti Patriarchæ lapidis vel cujuscunque rei humana industria præparatæ beneficio vitam longævam adepti sunt, non excludi poterit ab eorum numero Noah, qui & ante & post diluvium vixit. Si igitur Noah peritus artis fuit, quomodo periisse eam dicis? nonne propagare poterat ac docere filios, posterosque trecentis quinquaginta annis, quibus post diluvium vixit? Sin amissa fuit, quis eam Hermeti, Lullo ac tibi similibusq; magis ex integro revelavit? Quod si igitur ignorasse illam Noah respondebis, falsum erit, quod prius affirmasti Patriarchas ex ea longæ vitæ causas habuisse, & necesse erit, ut apud impios, qui deleti fuerunt, in usu ars fuerit, quos tamen antea non diutius nobis vixisse ajebas, propter artis ignorantiam. Ita mendacium ubiq; suo se gladio jugulat.

Demus tamen ipſi artem notam fuiſſe quibuſcunque voluerit, cur nemo hactenus inventus eſt homo, qui omnes morbos curaverit in quos incidit, quique univerſo ſuo genere curabiles eſſe pronunciantur? Potentia profecto artis vel lapidis, ſi nunquam ad actum univerſalem deducta fuit, neque in ullo artifice conſpecta, quomodo fidem faciet ulli cordato de veritate ac poſſibilitate tanta? Certe enim ſi ars eſt vera, neceſſe eſt, ut aliquis extiterit artifex etiam, qui præſtiterit id, quod illa pollicetur, cum ſine hoc eſſe aut intelligi nequeat. Omnibus quidem temporibus veritas ſuos hoſtes habuit, & adverſantes iis, quæ recte tradita eſſent. Medicinam multi oppugnarunt: fuerunt in ea ſectæ: & Theſſalus novam docendi rationem commentus eſt. Nonnulli Arabes damnarunt, alii Græcos repudiarunt: ſed noſtro hoc tempore, quod antea factum eſt nunquam, Medicina, quæ ab initio mundi pro medicina habita eſt, non emendatur, non augetur, non excolitur, ſed tota rejicitur, nullo diſcrimine omnia damnantur, cum fieri tamen non poſſit, quin verum aliquid inſit, & imperitiſſimi quique rabioſiſſime clamant.

At facile eſt admodum veteres optimos reprehendere, atque virulentiſſimis convitiis inſectari, ſed meliora docere, quam illi nobis reliquerint, arduum eſt. Illi quæ tradiderunt, optima & conſentiente philoſophiæ medicinæque συςάσει comprehenſa habemus, ita ut verum

vero

ero consonet: insuper eventus à causis non dis-
ordantes demonstrare possumus, testimonia-
que verbi divini à nostra via non sunt aliena.
Alium consensum omnium artium atque scien-
tiarum isti nunquam constituent, neque hunc
tiam, quem Dei beneficio tenemus unquam
vertent. Et quid miseri constituerent, qui nec
ut homines loqui volunt, barbaris & rebus &
nominibus dementati, principiaque sua nolunt
cognita esse, sed jubent ea in carbonibus ac te-
nebris quæri, cum tamen omne verum sua natu-
ra luce gaudeat, quemadmodum Deus ipse ve-
ritas est, & lux æterna.

Sæpe igitur in mentem mihi venit Thersitæ Homerici, quem hoc monstro tamen multo tolerabiliorem fuisse judico, & quæ de illo dicta sunt, huc potius esse accommodanda:

Βομβαστὸς δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
Ὃς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδει
Μάψ', ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον ἐριζέμεν ἰητροῖσιν,
Ἀλλ' ὅ, τι οἱ εἴσαιτο γελοῖον Γερμανοῖσιν
Ἔμμεναι. αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ἐπὶ φάρμακα ἦλθε,
Μῶρος ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη,
Ἔχθιστος δ' ἦν ἱπποκράτει καὶ πᾶσι παλαιοῖς.

Cui pio & erudito homini non suspectum maxime sit, quod Iamblichi, Trismegisti, Orphei, atque ejus farinæ plurium opiniones omnes amplectuntur novi isti reformatores, & tantum non propheticis scriptis anteferunt, quorum tamen doctrina olim non fuit non intellecta, sed sine dubio luce veritatis ac verbi Dei oppressa. Hi vero

vero tanquam canis ad vomitum reversi quic quid magicum, superstitiosum, infame, fabulo sum, inane, fictum, futile, absurdum est, omnium maxime ex veterum scriptis excerpunt & pro bant, rationibusque fulcire conantur.

Apparet ergo à vero non aberrasse illum, qui cunque dixit omnes omnium de natura errores ac deliria in unum Bombastum confluxisse, unde se monarcham appellari voluit, sicut olim Menecrates Jovem. An legerit unquam veterum scripta illa nescio, & dubito, & vix credo: à quo vero infusos istos errores hauserit alii judicent. De dæmonibus vel diis creatoribus Platonicorum figmenta, sicuti etiam de anima mundi penetrantis omnia (quanquam diversis prolata verbis) tuetur. Plures mundos admittit, ut Democritus, & dubium facit, pro cujus mundi animalibus Christus passus fuerit: quæ horrenda blasphemia est. An nescire potuit, ex quorum semine, & ubi natus fuerit? ubi denique passus atque mortuus? quibus Euangelium annunciari jusserit? quinam & cujus mundi homines hodie etiamnum ipsi contradicant?

Democritus præterea & Empedocles docuerunt *similia à similibus pati atque fieri*, idem defendit etiam Helveticus Thessalus: uti etiam illorum opinionem, qui ex separata magnitudine, id est, ex re incorporea corpora gigni arbitrati sunt, vel ex punctis quasi, quæ principia ipsius asseclæ semina, radices, spiritus scientia præditos, & va-

vel variis nominibus aliis appellant. Imitatus eſt πανσπερμίαν Anaxagoræ, ac contendit omnia eſſe in omnibus, & ex iis arte chymica ſeparari poſſe. Præterea quantum fumi dedit ex luce vel igne illo Stoicorum artificiali, quem nunc Deum, nunc Naturam eſſe dixerunt: ex quo hic noſter ipſque ad nauſeam ubique de igne vel lumine naturæ, aut re vel ſubſtantia cœleſti quadam in mixtis recondita, ad ignem vere artificialem chymicum luſit.

Longe his plura alia inveniet, qui conſiderationem huc convertet ſuam. Et tamen hypocrita Ariſtotelis ac Galeni tanquam gentium tenebris non credendum eſſe clamat, quaſi vero hi, quos imitatus eſt gentiles & à Chriſti fide alieniſſimi non fuerint. Quin cuncta etiam figmenta, omneſque vetularum nænias, quas ad colum excogitarunt, craſſe intellexit, amplexus eſt, ad inſtitutum ſuum rapuit, pro veris tradidit, qualia illa ſunt φαντασὰ de ſpiritibus domeſticis ac homunculis familiaribus, de pygmæis, de nymphis & ſpectris aquarum, de Vulcanis, de Meloſina, de monte Veneris & janitore ejus Echardo, &c. Quis talium portentorum patrono fidem ullam habeat? Ut taceam, quod nullius ipſe Eccleſiæ civis fuerit, ſed omne religionis genus, quod doceretur, damnaverit, ſeque ſolum theologiam veram noviſſe jactaverit.

In his ergo clariſſimis rebus, qui veritati contradicere auſus fuit, non mirum eſt, ſi in Me-

dicina

dicina etiam vero ſe opponere non dubitav. Quid quod alicubi non ſemel ſcribit, dum in an-tiquos fere omnes invehitur, neminem rec-agnoviſſe veram medicinam? Ergo ſomnium inane fuit, & nec ipſe vere agnovit. Quod ig-tur in nullius cognitionem venit unquam, quo-modo id pro vero haberi poſſit? aut ſi venit, ſic-uti Patriarchis notiſſimam fuiſſe alibi dixit, quomodo non mendaciſſimus fuiſſe deprehenſu-eſt?

Certe ſi univerſalis medicina iſta ſic ſe habet ut iſti docent, iniquum Deum faciunt, qui tan-tum theſaurum, tantumque bonum divitibus ſo-lum comparandum propoſuerit, cum inter pau-peres plerumque probiores, ſanctioreſque ho-mines reperiantur, quam inter divites. Nam quod ajunt, omnibus æque parabilem eſſe, me-rum eſt ludibrium ſpiritus, qui eſt ἐπιχαιρέκα-κος, quo faſcinantur hominum animi, prorſuſque in ſumma luce excæcantur, cum quotidiani eventus teſtentur plurimos incredibili ſtultitia magnas opes perdidiſſe in his latomiis, & tamen reperiſſe tandem nihil: quid igitur quærat aut quomodo toleret ſumtus pauper aliquis? Notiſſimum eſt præterea viliora remedia, quam ſit univerſale illud in majeſtate Naturæ repoſitum, ab Alcumiſtis non niſi maximo precio vendi hominibus, quale nullus pauperum perſolvere queat.

Quam pulcrum vero mundum habebimus, &

quales

æquales politias, ſi univerſi homines lapicidæ fiant, unique lapidi inveniendo incumbant? Si reſpondeant, quis hoc unquam ex nobis poſtulavit? Dicam unde hoc deduxerim. Clamatis eſſe ſummum bonum hanc medicinam, omnique mundo neceſſarium & indefeſſo ſtudio inquirendum, ideo etiam reprehenduntur à vobis, qui aliam viam medicinæ ſectantur. Deinde affirmatis notum & revelatum fuiſſe pauciſſimis, atque etiamnum revelari. Tandem ſi cui revelatum fuerit, additis eſſe myſterium ſanctiſſimum, quod nefas ſit cuiquam communicare: In quo manifeſta manibus etiam palpatur vanitas veſtra. Si igitur per communicationem propagare artem illam non licet, & tamen vultis, ut ſit in uſu illa, veteri repudiata medicina, nonne inde ſequitur, ſingulis eſſe huc laborandum, ut per ſe illam comparent? & tamen plurima ex parte fruſtra, cum paucis datum ſit illam noſſe? Hic vero ſumma impudentia prorumpunt: credatur nobis, nos pauci erimus, qui in mundo medicinam faciemus, & ſi artem communicare non licet, communicabimus tamen inde auxilia, vel communicabimus mercurios, ſaleſq; ſulphureos ex vegetabilibus atque mineralibus particulares interea, valde etiam profuturos in graviſſimis malis: interim conferant alii mortales auri puri copiam, ex quo theſaurum divinum multiplicemus, ne unquam deficiat, &c.

At quibus tandem rationibus fidem facitis, ubi

uni aut alteri homuncioni totum mundum credere debere, blateranti de arcana quadam re quam dicat & fateatur, interdum nemini fuisse cognitam, interdum ſibi tantum, interdum hominibus ante diluvium, & opere nunquam comprobet omnibus morbis illam mederi, ſicut jactet? Interim quoque alius alium ex manipularibus ſuis reprehendat de perverſitate præparationum, ut hoc etiam modo negocii totius ſtatu magis apud omnes prudentes ſuſpectus reddatur. Quot principes & viri nobiliſſimi decepti, & in præcipitium extremum ferme adducti ſunt his artibus?

Nec eſt quod hæc imputentur certis ſolummodo deceptoribus. Scimus in omni genere vitæ impoſtores reperiri, ſed tamen ſunt etiam viri excellentes in aliis artibus, virtute ac ſcientia probati, quorum comparatione intelligi queat, quid *diſtent æra lupinis.* Monſtrate vos etiam excellentes& præſtantes veritate ſuæ profeſſionis in hoc lapide medicinali, & viceritis. Non vero oggànniatis nobis Hermetem, Lullum, Bombaſtum, quorum fama ſolis verbis & propriis conſtat teſtimoniis, opera experientiæ volumus, habemus enim non ſolum manus, ut ille ajebat, oculatas, verum ſenſus etiam oculatos, qui nihil niſi quod videant & experiantur, pro vero accipere poſſunt.

Nimis frivolum eſt iſtud, quod prætexunt, non dari vitioſis, impuris, impiis cognitionem

hujus

hujus boni, nec etiam quibuslibet bonis, quia metuendum ſit, ne abutantur homines tanta felicitate. Quam notorie fuit Bombaſtus vinoſus & crapuloſus, & nulla virtute commendabilis? cui tamen veluti monarchæ primas in hoc genere tribuitis. Si vero propter abuſum bona ſunt occultanda, occultanda erat etiam Euangelii doctrina, qua nulla divinior atque excellentior unquam in genere humano exaudita eſt, & abuſus nullubi periculoſior eſt, quam in illo doctrinæ genere, quod ad ſalutem æternam pertinet, plurimiſque cedit in ſcandalum atque ruinam ſempiternam. Chriſtus ſalvator tamen nihilo minus dicit ad Apoſtolos: *Docete Euangelium, & prædicate omnibus creaturis.* Nos igitur contra illis opponimus bonum omne cujuſcunque generis eſſe, & debere eſſe κοινωνικὸν & κοινωνητὸν, adeo ut ratio boni etiam diminuatur, niſi commune fiat & plurimos ſui participes faciat. Bonum ergo aliquid poteſt induere rationem mali propter finem & uſum malum, ſed malum nunquam bonum eſſe poteſt, cum non ſit ordinatum in bonum finem: quales ſunt ejuſmodi curioſæ artes, de quibus in Actis Apoſtolorum ſcribitur, ex quo genere ſine dubio hæc nova etiam emanavit diſciplina.

Cur vero tantum bonum hoc faciunt, etiamſi liceat potiri iſta medicina, quæ certum vitæ præſidium adferat? An vita hæc tanti facienda eſt, quanti vos illam æſtimatis? Nonne multi ſanctiſ-

ſimi homines, ſpiritu Dei pleni, maximo deſiderio liberari ex hujus vitæ carcere, & ad Deum migrare exoptarunt? Ut itaque divitiæ ſupremum bonum non ſunt, ita nec ſanitas. Quid prodeſſet enim homini, ſi quam diutiſſime vivat & jacturam faceret animæ ſuæ? Vita & ſanitas habent ſuum locum inter bona ſuoque ordine ac modo tuenda ſunt, ita videlicet ne potiora & æterna bona illis poſtponantur.

Ut autem non hominibus ſolum fucus fiat, verum Deus ipſe etiam ſine offenſione graviore non relinquatur, plurima dicta ſacræ ſcripturæ nefario auſu huc detorquentur, de quibus hoc loco nihil dicam, niſi de paucis, uno fortaſſis atque altero, quæ propoſitum noſtrum attingunt.

*Et erunt omnes docti à Deo*, inquit Scriptura: hoc dictum transfert Bombaſtus ad lapidis Philoſophici cognitionem, & ad ſanitatis curam, quæ omnibus poſſibilis ſemper ſit futura. Quaſi vero Spiritus ſanctus de ejuſmodi caducis & perituris rebus concionari ibi voluerit, & non de vera pace ac conſolatione conſcientiarum, quam habituræ ſint ex Euangelii Spirituſque ſancti inhabitantis eruditione. Ego breviter impiæ iſti interpretationi objicio Moſen, qui inquit: *Propheta verus erit & à Deo miſſus, ſi evenerint quæ prædixit*. Non evenerunt, quæ prædixit Bombaſtus de curatione omnium morborum, de ſecta ſua mox poſt quinquageſimum ſupra milleſimum quingenteſimum annum triumphatura,

de

de ruina atque interitu Philoſophiæ & Medicinæ veteris, de noticia lapidis à Deo omnibus communicata: mendax igitur Spiritus hæc, & ſimilia verba, in ore Pſeudoprophetæ hujus poſuit.

Quando etiam Chriſtus dixit: *ægri egent medico*: rapit ille hoc ad id, quod omnes morbi poſſint ſanari à medico, quæ tamen plane nulla eſt conſecutio. Dominus ibi taxat hypocriſim Phariſæorum, qui ſe juſtos putabant: *patiamini*, inquit, *ut his miſeris peccatoribus ſim medicus, ſi vos juſti, ut falſo exiſtimatis, meo auxilio indigetis.*

Attendat vero lector, qui ſani modo eſt cerebri, quam belle hæc concordent: ægri corpore egent ſemper ſanante medico, ergo habent talem vel habere poſſunt in natura. Quis à privatione ad habitum unquam argumentum neceſſarium duxit? Quis irreverentius de æternis rebus dicta Chriſti ad phyſica & caduca hæc detorſit, præter unum Bombaſtum?

Nobis constat, & certum eſt igitur, unum non eſſe univerſale remedium, nec ex naturæ viribus eſſe poſſe, quia unum tot contrariis morbis opponi eodem modo nequit. Unicum tamen aliquando fuiſſe concedimus, Hieroſolymis ad probaticam piſcinam Betheſda, de quo ſcribit Euangeliſta Ioannes, capite 5. Verum id neque phyſicas vires habuit, neque deſtillatoria arte præparatum remedium fuit.

Nec vero curamus etiam, quod nugantur de

ſimilium à ſimilibus curatione. ut enim alia omittam, conceſſo etiam illo, quod ſimilia per ſimilia curentur, neque tamen unum tot diverſiſſimis morborum ſpeciebus ſimile eſſe poterit. Quod ſi roborando tantum internam mumiam vel balſamum morbos expellere dicant, balſamum tamen illud unius modi impedimenta objecta non habet, neque ergo univerſaliter uno modo ſemper roborari poterit: ſicuti nos ſcimus naturam & calorem nativum aliud rebus requirere in febribus ardentibus, aliud in atrophia & phthiſi, aliud in aſthmate & apoplexia, &c.

Unde & Galenus 8. libr. comp. ſect. loc. dicebat: *Impoſſibile eſt pharmacum invenire omnibus dictis affectionibus aptum.*

Sed vide inconſtantiam iſtius ſectæ: de quo optime meritam vetuſtatem adeo inclementer flagellant, id ipſum non ſemel ipſi quoque verum eſſe confitentur. Bombaſtus ipſe in lib. de contracturis fatetur aliquando incurabilem contractionem membrorum oriri poſſe ex læſione aliqua, vel accidente externo aliquo. Eodem lib. inquit: *Quando membri ſpiritus humorque vitæ prorſus perierit, non poſſe curari tum contracturam.* Secundo lib. archidox. hæc habet: *Morbus ex nativitate ſumens exordium in reſtauratione vel renovatione, id eſt curatione*, ut aliqui commodius eũ interpretantur (nam aliqui ſuſpicantur ipſum de reſurrectione & vitæ reſtitutione locutum) *non aufertur.* Toties vero fatum excipit, ut non opus ſit loca citare,

quic-

quicquid enim per fatum intellexit, concedit tamen hoc ipſum impedire & obſtare, quo minus morbi curentur interdum.

Aliquoties etiam monuit, hominis propriam naturam tam eſſe aliquando imbecillam, ut bonum fundamentum aut radicem à nativitate non habeat, ac talem conſervari non poſſe. Vere hoc dicitur, eſt tamen contra θέσιν ipſius omnes morbos eſſe curabiles, & exemplum cum regula pugnat.

Alius ex diſcipulis, qui inter primos voluit haberi, ita decrevit, morbum qui non ſit ex cœlo, ſed ex ſupercœleſti cauſa, non ſubjacere lapidi iſti famoſo: Item, ſi unum ex principalibus membris ſeptem (ut numerare ſolent) putredinem vel corruptionem patiatur in ſubſtantia, nullam ſpem ſanitatis ſupereſſe.

Tandem poſtquam omnia tentarunt, & lapidem ſuum (aliaque arcana inferiora) vel inefficacem experiuntur, vel in lucem producere nequeunt, ad incantamenta & impoſturas characteriſticas confugiunt, quæ ego media neque naturalia eſſe, & à re medica alieniſſima, ſupra oſtendi. Neque de his refutationem longiorem inſtituam, videntur enim profecto id genus homines communi quoque interdum ſenſu deſtitui, nec minore τυφωμανία infatuati eſſe, quam inter Anabaptiſtas quidam deliro enthuſiaſmo correpti fuerunt, ut infinito quaſi labore, quo ad ſanam mentem redeant, opus eſſe videatur. Ne-

que ego nunc eam ob causam hæc scripsi, ut illi sectæ ex professo contradicerem, sed scopum operis hujus hac ex parte indefensum & quasi nudum non putavi esse derelinquendum. Demonstravi igitur figmentum hoc de uno vel pluribus certissimis remediis, contra omnes morbos pugnare cum expresso verbo Dei, cum ratione, cum experientia, & vanitate sermonum, quibus fulcitur, seipsum evertere, nec arbitror fore, ut quisquam eruditior in hac parte à me dissentiat. In hac ergo sententia, quam hoc libro proposui, una cum veneranda antiquitate & perpetuæ expereintiæ testimoniis, acquiesco.

FINIS.




FABRI-

FABRITIUS DE PADVANIS

De

# MORBIS,

IN QUIBUS

*Præsentaneis uti convenit remediis.*





FABRITIVS DE PADVANIS

De

# MORBIS, IN QUIBUS *Præſentaneis uti convenit remediis.*

ILlud mihi ſemper à natura inſitum fuit excellentiſſime Bernardine, ut ſi cuipiam aliquid pollicitus fuerim, quieſcere nunquam poſſit animus meus, donec promiſſis ſatisfecerim, idcirco quamprimum Forolivium me recepi, accepto calamo, quod tibi promiſeram, in hunc ordinem digeſſi. Rogaſti enim dum Bononiæ eſſem, inſtanterque à me petiiſti, ut in his ægritudinibus, in quibus præſentaneis uti convenit auxiliis, aliqua remedia paratu facilia in prima viſitatione ægrotantibus offerenda colligerem; tibique per litteras traderem: Et quamvis hoc mihi perdifficile viſum ſit admodum, nihilominus ut tibi amicorum ſummo, affiniumque meorum gratiſſimo morem gererem, hoc nogotium ſuſcipere non

ſum gravatus, ut tua ſit non cauſas, non ſigna, ne perfectam curationem noſſe; ſed tantum ea quæ in prima viſitatione unicuique ægrotanti pro ratione morbi adhibenda ſint; ideo omiſſis iis omnibus, dico quod ſi vocatus fueris ad aliquem ægrotantem, tunc prima intentio tua ſit in morbi cognitione, ſiquidem impoſſibile eſt ægritudinem curare, niſi cognoſcatur: ut habetur à principe 1. 4. in de cura febricitant. in general. & à Gal. 1. Acut. com. 3. dum inquit: oportet ut prius cognoſcas ægritudines, demum intendas ad ejus curationem, curationem aggredi non valet, niſi per cognitionem cauſæ, ſiquidem rectitudo curationis eſt abſciſſio cauſæ, ut voluit Meſues in ſuis regulis univerſalibus, & Gal. ad Glauc. 1. Erit itaque ſecunda intentio ad morbi cauſam, quibus optimis viſis, ac cognitis ad curationem accedendum erit, quæ per contraria fit actualium vel victualium. 11. Meth. & 3. artis Medicinal. Quare tua erit intentio tertia videre qualia ſint appellanda contraria, ut remota cauſa removeatur ægritudo. At quũ in genere tria ſint inſtrumenta, quibus Medicus ipſe pro introducenda ſanitate utetur, Diæta, Potio, & Chirurgia, authore principe 4. 1. cap. 1. Ideo in quacunque ægritudine inſtituenda eſt debita victus ratio, in ſex rebus non naturalibus, mox deveniendum ad medicinalia, & ad manualem operationem, in quibus opus ſit. Verũ cum multæ ſint ægritudines, in quibus non ita regulariter procedere

dere valent Medici, ideo tunc excuſandi veniunt, quoniam cöacti ſunt pervertere ordinem, & cauſam morbi aliquo modo negligere, & ad ſymptomata accedere, illiſque ſuccurrere, nulla fere habita morbi, & ejus cauſæ ratione, ut in forti dolore, animi deliquio, & ſimilibus, id quod etiam mihi continget in hoc ſermone meo, ut tibi practicandi modum oſtendam. Sed cum plane mihi non conſtet, quinam ſint morbi, in quibus te maxime verſari, exerceriq; deſideras, idcirco quæ mihi videntur magis ſollicitum ac citum Medicum expoſtulare, hæc per ordinem deſcribam, ab ægritudinibus Capitis initium ſumens, mox ad infernas deſcendens.

## *De Phrenitide.*

PHrenitis cum ſit cerebri vel membranarum ejus phlegmone, non indiget imperito, ac negligenti Medico, quin imo diligenti, ac exercitatiſſimo, quocirca omni ingenio cavendum ne dum confirmetur, ſenefiat ſi poſſibile ſit, nam ea confirmata impoſſibilis eſt cura. Si quem igitur Phrenitide laborantem præ manibus habueris, ſtude ut ſtatim mittatur ſanguis, præmiſſa ventris lenitione ex clyſtere leniente ac refrigerante, quale eſt quod ℞. caſſiæ pro clyſtere ℥j. mellis violat. ℥ij. ol. viol. ℥iij. decoct. com. pro clyſtere ℥xv. cum ſalis modico, & ovi luteo fiat clyſter, & ſanguis prima vice extrahatur ex cephalica manus, hinc ad duas horas ex cephalica

brachii, ſi adſit copia ſanguinis, demum ponantur ſedi hirudines, vel poſt aures, vel vena frontis incidatur, vel ſcapulis & naribus cucurbitulæ applicentur ſecundum exigentiam, & hæc omnia urgente neceſſitate unica die adminiſtrentur, ſiquidem ægritudo hæc eſt ex peracutis, & ſævorum accidentium, quare ſervetur dictum Hipp. in 4. Aphor. In acutis eodem die, &c. nec in hoc audiendus eſt Gentilis, qui voluit in phrenitide pendente à ſola bile non eſſe extrahendum ſanguinem, ſed medicamento cholagogo utendum, quia ego firmiter teneo, ſicut & omnes practici boni tenent, duce experimento, in phrenitide pendente à quacunque materia ſemper mittendum eſſe ſanguinem, licet plus in ſanguinea, minus in biliosa. Verũ tamen eſt, quod in quacunq; ſpecie ante quartam medicamento bilem purgante uti convenit. Interim fiant diverſiones cum ligaturis, frictionibus, lotionibus ſomniferis, repercutiatur etiam materia, oxyrrhodino ex oleo roſato, aceto roſat. & aqu. roſar. addendo etiam modicum opii, ſi urgeat neceſſitas. In reliquis practicantes conſule, & imprimis patruum meum & ſocerum tuum Alidæum virum in arte Medica doctiſſimum pariter ac expertiſſimum, qui te non ſolum in hac ægritudine, ſed & in quacunque alia à nobis dicenda digeret, ac auxiliabitur.

## De Apoplexia.

INtromittendo te curationi Apoplexiæ, primo considerare debes, an vivat æger vel non, siquidem in Apoplexia aufertur sensus & motus, dignosces autem ex hujusmodi experimentis, primo ponendo speculum chalybeum juxta os & nares inferius, & considerare an anhelitu madetur, vel ponere etiam ad nares vel os cotum optime carminatum, & videre numquid moveatur, vel candelam accensam loco coti, vel ponere cyathum aqua plenum super pectus ægrotantis, & motum aquæ considerare. Nam si speculum inficiatur, cotum, flamma candelæ, vel aqua moveatur, vivit: sin minus nequaquam. Itaque vivente ægrotante cum protestatione curæ te intromittas, primo mittendo sanguinem ex vena jecoraria, hinc ad duas horas ex cephalica, mox apponendo ventosas cum sacrificatione, demum deveniendum ad venas post aures, eis apponendo hirudines, vel secando venam frontis, & hoc intelligas velim in Apoplexia pendente à multitudine sanguinis. Quod si pendeat à materia phlegmatica, fiant clysteria fortia absque eo quod mittatur sanguis, qualia sunt quæ recipiunt centaurium minus, colocynthidis interiora & agaricum in decoctionibus capitalibus, additis postmodum electuariis fortioribus, ut hiera picra, hiera Lagodii, diaphænicon, & hujusmodi, quod si administrari non possunt clysteria, fiant suppo-

sitoria

ſitoria fortia, ut ℞. Spec. hieræ ſimpl. pulp. colocynthid. ſalis gemmæ. an. ℈j. mellis q. ſ. & fiant duo vel tria ſuppoſitoria longa, quæ antequam imponantur, mergantur in felle vaccino, poſtea ſupponatur. Fiant frictiones, ligaturæ doloroſę, fricentur pedes, ſale & aceto acerrimo, adminiſtrentur lotiones calidiſſimæ ex decocto rerum capitalium, fiat ſternutatorium, ex elleboro albo, & pipere. Ultimo ſi non excitetur ex hujuſmodi ingeniis, fiant unum, vel duo cauteria actualia in capite. In reliquis optimos practicantes lege ac perlege, & D. Patruum meum Alidæum conſule, nam hæc eſt ægritudinum peſſima.

## *De Paralyſi.*

PAralyſis eſt levis Apoplexia tantum in altera parte proveniens, & in hac à principio cum lenioribus medicamentis procedendum, aſcendendo ad fortiora, & ideo in prima viſitatione ordinandum eſt clyſtere tale. ℞. betonicinæ, camomill. origani, ſalviæ, majoran. puleg. aniſorum, an. mj. miſc. & bulliant in ſ. q. aq. ad ſufficientiam, deinde colentur, & de colatura accipe ℥xv. hieræ picræ, ʒvj. ol. rutæ, ℥iij. mellis roſ. colat. ℥ij. ſalis triti, ʒij. miſc. & fiat Clyſter, fiatque inunctio ex ol. coſtino & anethino nuchæ & toti parti affectæ, incipieſque humoris peccantis coctionem cum ſyrup. de betonic. ſtœchad. & melle roſ. colat. cum ſuis aquis appropriatis, ut ſalviæ,

lviæ, betonic. &c. in aliis procedendo ut mo-
ent practicantes. Pro quo etiam poteris videre
). Patruum in Cap. proprio. Verum cum fere
emper huic morbo complicetur linguæ paraly-
is, prima visitatione ordinabis mithridatium
ori tenendum, & nucis myristicæ moscatæ dictæ
rustulum, vel caryophyllos, salviam, &c. Oris
ortura eodem modo curatur.

## *De Epilepsia.*

IN morbo Comitiali duo sunt tempora, & paroxysmi & quietis: de tempore quietis nihil est præsentis negotii, cum nostra tantum sit intenio, quid prima vice agendum sit, ideo noster sit ermo de eo tempore in quo concidunt, ut eos ab actu paroxysmi relevemus, pro qua intentione exequenda conveniunt ligaturæ fortes supra genua & cubitos per 4. digitos in capitibus musculorum, frictiones extremitatum, præsertim plantæ pedum cum sale & aceto. Valent etiam cucurbitulæ in scapulis & natibus cum incisione appositæ, & ut omnia uno verbo complectar, omne genus diversionis convenit, ut clysteria fortia si administrari possunt, vel saltem suppositoria. Naribus vero apponendum est suffimigium factum ex semine pæoniæ cum ruta vel castoreo, vel linire nares ex succo rutæ cum castoreo, fumus rutæ viridis combustæ etiam per se excitat. Item castoreum & assa fœtida idem præstant, sed in quantum possumus præsertim in debilibus

bilibus cavere debemus ab iis, quia vires dejiciunt, etiam per os exhibere, vel saltem in eo ponere cochleare unum oxymelitis cum castoreo & semine pæoniæ facit ad excitationem. ut ℞ Oxymel. simp. ℥ij. castor. pulv. rad. vel semin. pæoniæ, an. ℈j. &c. Item collo appendendam jubebis corollam ex rad. pæoniæ virid. vel sacculum ex pulvere earundem, sæpeque odorent.

## *De Lethargo.*

CUra à principio in Lethargo tota est in evigilatione, quare ordinanda sunt divertentia omnia, ligaturæ, frictiones, lotiones ex rebus calidis, etiam naribus apponere acetum acerrimum, per se vel decoct. origani, majoranæ, serpylli, thymi, satureiæ, vel herbas hujusmodi odorare, castoreum etiam hoc facit, & oxyrrhodino immissum, frontique & suturæ coronali applicatum, clysteria acuta probantur, clamores magni, & evulsio pilorum etiam subeticos levant; quod si à sopore non leventur, fiat emplastrum ex capillis combustis, aceto exceptis, apponaturque suturæ coronali, abrasis prius capillis. De cætero fac ut jubent Doctores, non omittendo cauteria actualia in sutura coronali ubi necessitas expostulaverit. Eandem curationem recipiunt, quæ hauserint opium, & cætera narcotica.

De

## *De Congelatione.*

CONgelatum calidis fovere convenit, & ideo perfundatur caput ejus cum ol. lilior. in quo dissolutum sit castoreum & euphorbium calidisque pannis foveatur & aqua vitæ trium coctarum balneetur nucha & spina dorsi & fiant clystera fortia, &c.

## *De Spasmo.*

IN cura Spasmi primo procedendum est cum divertentibus, de quibus supra pluries meminimus, mox incipies digerere materiam, si accidentia non sint adeo sæva ut curam ad se trahant, nam stante sævitia accidentium & plethoria in corpore, mittendus esset sanguis: Sin autem à principio evacuandum esset, cum pill. cochiis, fœtidis, agarico trochiscat. & similibus vel cum electuariis ad id facientibus, ut diaphœnic. Indo, &c. dissolutis cum aliqua decoctione capitali & nervos respiciente, & scias in hoc casu nihil melius esse, quam ponere patientem in oleo com. calido, vel ol. decoct. lumbricor. terrestr. & ibi moretur patiens quantum potest virtus tolerare. In punctura nervi cæca ex spina, phlebotomo & similibus, mirabiliter valet linimentum descriptum à D. Patruo, & à me pluries expertum. ℞. Terebinth. claræ, ol. rosar. decoct. lumbricor. terrestr. lotor. cum vino, an. ℥j salis triti, ʒij. sulphur. triti ʒj. misc. & bul-

liant ad ſufficientiam , deinde continuo applicentur affecto loco petiæ in dicto liquore intinctæ.

In punctura ſcorpionum, valet oleum ſcorpionum linitum, & omne oleum in quo ſcorpiones ingrediuntur, ut eſt oleum hypericonis compoſitum, oleum Clementis, etiam linire locum punctum ex theriaca magna, hancq; per os aſſumere, vel terram ſigillatam, vel eam ex Malta inſula advectam, quam D. Pauli Gratiam nuncupant, valet; etiam ſcorpio ſuppoſitus ſibi ipſi eſt remedio. In punctura viperarum vel aſpidis vel alterius cujuſvis animalis venenoſi, valet apponere ventoſa ſuper puncturam cũ ſcarificatione, ipſamq; reiterare multoties, ut virus extrahatur, vel capiant gallinam vel gallum, & anus ejus ponatur ſuper loco puncto, & reiteretur, extrahit enim virus hoc: ultimo ſuper puncturam ponatur Emplaſtrum factum ex ſcabioſa cum vitello ovi, etiam hoc emplaſtrum valet in bubone peſtifero, ligetur fortiter membrum læſum ſuper puncturam, & circumcirca liniatur oleis prædictis, & per os aſſumant theriacam, vel terras prædictas.

De ſpaſmo ex ſiccitate cum raro accidat, hoc unum dicam, quod ſi contingat, curandus eſt cum rebus humectantibus, & ideo balneum olei convenit, conſimiliter balneum impinguarium ex dococt. capitis caſtrati & inteſtinorum cum rebus emollientibus. De ſpaſmo ex ventoſitate, quem

quem Gramfum appellant, cum valde molestus sit quandoque, ideo caclefac locum cum decoctione camomill. in vino albo subtili, & postea madefac locum cum aqua vitæ trium coctarum.

## *De Catarrho Præfocativo.*

MAteria à capite destillans adeo impetuose ad fauces quandoque repit, ut videantur patientes suffocari, quare in isto casu solitus sum exhibere syrupum de papaver. & jujubinum statim cum aq. hordei, & quod etiam iisdem syrupis lambendo continuo utantur prius misso sanguine, vel spatulis appositis ventosis si necessitas urget, quo casu etiam narcotica multum præstant, qualia sunt gr. vij. pill. de cynogloss. vel ℈j. phylon. rom. & continuo habeant in ore pillulas bechicas vel Savoneam, quod si salsus fuerit, nil melius exhibere quam notabilem lactis quantitatem, si febris non adsit. In pueris fiat cauterium in nucha vel ponatur pulvis capitalis in bregmate cum cætera ipsis minime possint administrari. Cætera ex libris & Patruo addisces.

## *De Mania.*

IN Mania properandum est ne confirmetur, quia in vanum post esset labor, quare præmisso lenitivo, ex manna vel cassia cum epithymo vel saltem aliquo clystere, mittatur sanguis

ſecundum oportunitatem & in talibus procuretur ſomnus cum hujuſmodi lotionibus.

℞. Flor. violar. nenuphar. anethi, cort. rad. mandragor. ſem. lactuc. vel folior. ejuſdem, ſem. hyoſciam. alb. an. mj. capitum papaver. alb. cum ſuis ſeminib. n. xiij. miſc. & bulliant in ſ. q aq. fluvialis ad ſufficientiam & uſui ſervetur, exhibendo etiam ſyrupum de papavere cum aq. lactucæ hora ſomni, nec non naribus & temporibus talem adminiſtrando inunctionem. ℞. ung. populeonis ol. de nenuphare, an. ℥ß. opii, croci, an. gr. vj. Miſc. & fiat linimentum, & ſic dormient, nam cum dormiunt ſanantur, in reliquis D. Patruum conſule, quia multos ab eo ſanatos vidimus.

## *De Ophthalmia.*

IN cura Ophthalmiæ primo removenda eſt inflammatio cum divertentibus, & ideo phlebotomia ex cephalica manus convenit, præmiſſo clyſtere lenitivo, poſtea ponantur ventoſæ in ſcapulis cum ſcarificatione, fiant lotiones divertentes, & ordinentur aliquæ pullulæ, ut aureæ, aggregativæ, vel modicum elect. de ſucco roſar. à cœna ſumendum, & ſemper mente teneas dictum Hipp. cum dixit, Lippientem alvi profluvio capi, bonum. In oculum ponatur aq. roſar. infuſionis ſumach, vel lac cum aq. albuminis ovi conquaſſati, vel panis medulla in lacte infuſa, & ſuppoſita. Si vero in oculo aliquid inciderit, tunc opor-

oportet primo illud removere, infundendo & agitando oculum apertum in aqua frigidiſſima, vel aliquis intrudat aquam cum vehementi impetu in oculum apertum, vel tenaculis extrahatur, mox curetur cum prohibentibus inflammationem ut ſupra, imponendo petias in ol. roſar. infuſas ſi adfuerit dolor.

Ad oculi contuſionem valet abſinthium pulverizatum, vel optime contuſum cum albumine ovi permixtum & appoſitum, applicato fronti defenſivo communi exterius circa palpebras, inungendo cum unguento de alabaſtro, vel de ceruſſa, &c.

## *De Dolore Aurium.*

IN vehementiſſimo Aurium dolore procedendum eſt, quemadmodum fit in omni inflammatione, nempe ipſam prohibendo, & ad hoc omne genus diverſionum valet, ut ſupra. Et infundere ol. roſat. in aurem ſedat dolorem, ſed magis efficax eſt, & expertum ol. roſar. decoctionis ſem. hyoſciami albi auribus immiſſum, vel ol. roſat. decoctionis lumbricorum terreſtrium, & ſcarabæorum.

## *De Dentium Dolore.*

SI dentium dolor proveniat ex dente corroſo, extrahatur, vel ſaltem cum ferro ignito cauterizetur vel intus ponatur de oleo ſulphuris, vel de aqua forti, ſi vero ex alia proveniat cauſa, fiat

decoctio ex vino decoct. pyrethri & ſalis, vel fiat ſacculum ex ſale aſſo maxillæ appoſito.

## *De Angina.*

INtentio Medici in principio curationis eſt, ut reſolvatur, & ideo præmiſſo clyſtere lenitivo fiat ſanguinis miſſio ex cephalica manus, demum ex cephalica brachii, poſtea ex cucurbitulis ſi urgeat neceſſitas: Ultimo veniendum eſt ad inciſionem venarum ſub lingua, & hæc omnia uno eodemque die fiant, parentur etiam gargariſmata repercutientia ex diamorone, ſyrup. myrtino cum aqua plantag. & roſarum, vel cum aqua & aceto, vel cum lacte vaccino. Et in quacunque angina etiam pendente à ſola bile mittendus eſt ſanguis primo, dicant quicquid velint Meſues, & alii.

## *De Fluxu Sanguinis Narium.*

IN fluxu ſanguinis narium, divertatur ſanguis ad contraria, extrahendo ſanguinem vel ex cephalica, vel ex talo in pede, hauriendo paucam quantitatem pro vice, fiant frictiones & ligaturæ, ponantur etiam cucurbitulæ in hypochondriis, ita ut ſi ſanguis fluat ex nare dextra, ponatur ventoſa in loco jecoris, ſin ex ſiniſtra in loco lienis. Naribus inſuffletur pulvis trochiſcor. de carabe, & ponatur defenſivum in fronte, vel ex gypſo albumine ovi excepto, vel ex ſanguine draconis, bolo armeno, & ovi albumine. In impetuoſe inſcie patiente, aquam in faciem perjicito,

cito, ſiſtit enim ſanguinem. Fiat ſtriellum ex bombace intincto in ſucco plantaginis cum ovi albumine, & pulvere trochiſcor. de carabe, vel gypſo, & naribus intus adaptetur, & iis non conferentibus detur per os phylonii perſici ℈ij. cum aq. portulacæ. Ne obliviſcaris teſtes aq. gelida perfundere.

## *De Infixis Gutturi, & Gulæ.*

SI ſpina vel os, vel alterius rei fruſtulũ, gutturi vel gulæ figatur, tenaculis extrahatur ſi poſſibile eſt, ſin minus provocetur vomitus vel ligetur fruſtulũ carnis bovinæ aſſatæ filo, & deglutiatur, poſtea arrepto filo, diligenter illud fruſtulum extrahatur, & exibunt omnia gutturi, & gulæ infixa.

## *De Relaxatione Vvulæ.*

AD uvulæ mollificationem, valet piper per ſe cum ſpatula impoſitum elevando ipſam, vel ℞. Cort. granator. balauſtior. myrtillor. an ʒj. alumin. rochæ, piperis, an. ℈j. miſc. F. pulvis. Fac ut ſupra.

## *De Aſthmate.*

IN paroxyſmo Aſthmatis exhibe ʒj. theriacæ opt. vel fluente catarrho phylonium paulatim deglutiendo. Oleum amygd. dulc. recens potatum, & inunctum anhelitus difficultatem compeſcit. Paretur aqua mulſa decoct. hyſſopi, ſcabioſæ, capillor. vener. &c.

## *De Dolore Ventriculi.*

STante dolore in ventriculo exhibeatur vomitivum ex aq. camomill. cum oxymelite ſimp. & fiat clyſter ſaltem ad divertendum, & per os exhibeatur hiera, vel electuarium de dactylis, & ſi nimis fortis eſſet dolor da phylonium per ſe vel cum electuario de dactylis, augendo doſin ſolutivi, nam virtute narcotici hebetatur, ac tardatur virtus ſolutivi, & loco ipſorum poteris exhibere ℥ß. diacymini cum vino vel brodio decoct. camomill. extrinſecus foveatur cum cineribus calidis vino aſperſis, vel abſinthio ſuper tegula calefacto vino cretico aſperſo, vel ol. de ſpica, in quo infundatur lana ſuccida & ſuperponatur.

## *De Cholerica Paſſione.*

IN paſſione Cholerica ſtatim exhibenda ſunt pharmaca bilem educentia, & in hoc præſtat, & à me pluries expertum rabarbar. ℈iiij. propinare cum aq. acetoſæ vel endiv. in die minoris afflictionis vel quietis, ſolet enim motus tertianarios inſequi.

## *De vomitu laborioſo.*

SI vomitus à materia cholerica exhibeãtur quę habent bilis fervorem compeſcere, ut acetoſa omnia, ut ſuccus arantiorum, limonum, granatorum, cydoniorum, & eorundem ſyrupi, Syrupus de

de ribes orientalis, & de acetoſitate citri multum præſtant in vomitu prægnantium. Vomitum phlegmaticum ſedat ſuccus menthæ ſylveſtris potatus, & ego certa experientia didici valere ſal uſtum appoſitum.

Si ex ventriculi debilitate vomitus accidat, valet fotus ex mentha, abſinthio, & roſis rubris decoctis in vino, vel inunctio facta ex oleis abſinthii, maſtichis, menthæ, nardi, cydoniorum & ſimilibus, vel apponere emplaſtrum de cruſta panis, per os exhibendo mivam aromaticam & ſimplicem, cum ſyrupo de mentha.

## *De Fungis Nocivis.*

PRimo omni celeritate properandum eſt ad vomitum, ideo exhibeatur oleum cum lixivio dulci & modico ſalis, & poſt vomitum detur theriaca magna cum oxymelite ad potandum, vel uti ruſticano remedio, allio crudo.

## *De venenis Aſſumptis.*

PRimo fac vomitivum ex oleo cum lixivio, imponendo ℥j. terræ ſigillatæ, exhibe multam lactis quantitatem, poſt da decoctionem gallinæ, fac clyſteria ex lacte, & da theriacam cum decocto gentianæ, myrrhæ, & baccar. lauri; quod ſi poteris venenum aſſumptum cognoſcere ad Dioſcor. ad Conciliator. & ad Ticinenſem Guainerium, & proprium exhibeas bæzohar.

## De Syncopi.

IN Syncope fiant frictiones, ligaturæ, irroretur facies aq. rosat. & aceto rosar. vel aq. rosar. cum malvatico. Fiat Cordi Epithema ex melissa calefacta cum vino optimo, vel tale quod ℞. Aq. meliss. rosar. bugloss. violar. borag. an. ℥iiij. specier. cordial. pro Epithemate cordis ℥ß. croci, ʒj. aceti opt. ℥ij. vini cretici, ℥v. Misc. & fiat Epithema calidum regioni cordis cum holoserico de Kermes vel panno de purpura, si adesset timor de casu virtutis. ℞. 4. Cordialium conservarum, pulv. cordialis pro cibo, manus Christi perlati. an. ℥ß. cum syrup. de pomis, vel de corticibus citri fiat Electuarium, de quo exhibe ℥ß. cum brodio, in quo tertia pars aquæ carnis sit dissoluta.

## De Sputo Sanguinis.

DIvertatur sanguis ad contrariam partem extrahendo de ipso per interposita spatia, ut melior fiat diversio, fiant frictiones & ligaturę dolorosæ, per os detur de electuario mirabili D. Patrui ʒj. pro vice exhibendo immediatè ℥iiij. aq. portulacę, vel si ad manum non esset tale electuarium, detur ʒj. phylonii persici cum tantundem sacchar. violati, vel rosat. antiqui, cum aq. antedicta. Vtatur diatragacanth. cum bolo.

## De Dolore Laterali.

FIat phlebotomia ex latere affecto, extrahendo notabilem ſanguinis quantitatem, ſunt qui etiam ex oppoſita parte ſanguinem mittant. Pro quo notandum, quod ſi vocatus fueris in principio principii, ſtante ſanguinis multitudine, mane ex latere oppoſito, veſperi ex affecto ſanguinem detrahes; verum ſi non fueris vocatus in principio principiante, ſed 3. vel 4. die ut plurimum fit. Vel non adfuerit tanta ſanguinis copia, tunc ſemper ex affecto latere ſanguinem mittes, ſemper præmittendo clyſterem lenitivum, fiat etiam à principio inunctio ex oleo violato, oleo amygd. dulc. & butyro, & ut materia incraſſetur, & facilis reddatur ſputus, diapenidion, diatragacanth. frigid. ſacchar. violatum exhibe.

Pro dolore mitigando parietariam frixam cum butyro apponito, vel veſica aq. tepida, vel oleo communi, vel ſem. lini ſemiplena locum foveto.

## De Dolore Colico & Iliaco.

IN Colica primo fiat clyſter, ex ol. rutaceo vel camomill. provocetur vomitus cum aq. camomill. ex oxymelite ſimp. & reiteretur tale clyſtere. ℞. Camomill. aniſor. fœnicul. rutæ, puleg. calament. an. mj. Miſc. & bulliant in ſ. q. aq. & vini ad ſufficientiam: deinde colentur, & de colatura ℞. q. ſ. pro Clyſtere, cui adde mellis roſat.

rosat. coll. ℥ij. Benedict. Electuar. de dactylis, an. ℥ß. ol. rutac. ℥iiij. salis triti ʒij. cum ovi luteo. f. clyster; per os exhibe diacyminum, vel elect. de dactylis, addendo si vehementia doloris adfuerit ℈ij. Phylonii Romani, nec credas dicentibus non esse admiscenda narcotica solutivis, quia experientia est contra eos. Per exterius applica ventosas, fac fomentationes & sacculos prout scis. In dolore Iliaco procedendum est ut in dolore colico, verum exhibe ol. amygd. dulcium, vel oleum amygdalar. amararum.

## *De Dolore Nephritico, ex Lapide.*

EXhibe cassiam cum terebinthina, vel benedictam cum terebinth. addendo Justini ʒj. vel tantundem lapid. Iudaici. Fiat clyster ex ol. amygd. dulcium, vel amarar. ol. scorpion. cum terebinth. & succo parietariæ faciendo ex iisdem fomentationes, sed in his adde croci ʒj. Clysteria ex succo parietariæ & urina, vel ex ol. rutaceo decoctionis alliorum. Ad extra ponantur ventosæ magnæ, vel ponatur parietaria cum butyro frixa; verum stante dolore propina ol. amygd. dulc. vel amarar. ℥vj. quia mirabiliter lapidem ejiciunt.

## *De Difficultate Vrinæ.*

FIat clyster ex decoct. malvæ, altheæ, sem. lini, parietariæ, petroselini, granor. alkekeng. saxifrag. milii solis in aqua, de quo ℞. ℔j. olei amygd.

nygd. dulc. ℥iiij. mellis violat. ℥ij. benedictæ ℥j. um sale & ovi luteo fiat clyster, per os exhibe ol. mygd. dulcium, vel amarar. vel hoc decoctum. ℞. Granor. alkekeng. n. xxx. bulliant in aqua ıxifragiæ, vel crescionum, & cum ℥ij. oxyme-ıt. simp. exhibe, vel loco horum, succi parietar. lepurat. ℥iiij. Fac fomenta in capitulo præcedenti descripta, vel ex radicib. usualibus tritis, & in ol. scorpion. bullitis, pectini fac cataplasma, vel propina vinum alb. subtile infusion. rad. ısualium tritarum & express. quia statim facit mingere.

### *Ad Mictum Involuntarium.*

DA bibere vinum vetus, in quo decocta sit ruta, & utere unguento Comitissæ, & singulo mane exhibe ℥j. pulver. ericini terrestris usti.

### *De vermibus.*

FIat clyster ex lacte asinæ cum melle vel saccharo, exhibe per os rabarb. elect. ʒß. corallinæ, diptamni albi, seminis xanthi an. ℈ß. plus minus secundum ætatem, misce & fiat pulvis, & detur cum vino dulci. Vel detur de Electuario della campana Bononiæ quod ℞. Sementinæ ʒiij. dictamni ℥ij. croci ʒj. mellis q. s. & fiat Electuarium, dosis est ʒß. vel fiant bellaria vel Zaldones cum rabarbaro, & saccharo. Ungantur pulsus & tempora ex theriaca vel mithridato, cum aloë, myrrha, & croco, aceto & succo

ſucco arantii acetoſi, vel ſtatim exhibe ſuccum arantii acetoſi cum oleo.

## *De Dyſenteria.*

SI proveniat à multitudine bilis, fiat ejuſdem evacuatio, cum rhabarb. in aq. plantag. diſſoluto, fiant ſingulis diebus lotiva clyſteria ex decoct. hordei toſti cum foliis plantag. vel ex lacte vaccino chalybeato cum ol. roſat. vel exhibeatur ſuccus plantag. depuratus ad ℥iij. illineatur venter ol. roſato omphacino, & ol. de cydoniis vel ſevo hircino. Pro remotione doloris ventris facit rete caſtrati in oleo roſato calido infuſum, & ventri appoſitum. Per os utatur diacydonite, cum ſaccharo, diaſorbo, diacornu.

## *De Teneſmo.*

FEre ſemper cum dyſenteria, complicatur Teneſmus, cui præſtat verbaſcus in vino nigro decoctus & ſuppoſitus. Item ſedere ſuper aſſerem cupreſſi inuncto ſevo hircino prodeſt, vel ſuffumigare anum cum pice græca. Hoc idem præſtant ſacculi ex ſem. lini, ex furfure, ex melica, in vino decoctis & ſuppoſitis.

## *De Teſtium Contuſione, & Inflammatione.*

EXhibe caſſiam ut ʒx, & mitte ſanguinem ex vena jecoraria lateris affecti, poſt fac emplaſtrum ex faba freſa decocta, & cum oleo roſato permixta appone.

De Do-

## De Dolore Vteri.

PRimo fiant clysteres ex ol. rutaceo, camomill. vel de sem. lini, cum butyro capiendo ℥xij. olei, & ℥iiij. butyri recent. vel exhibeantur ℥vj. olei amygd. amarar. præsertim si materia fuerit flatuosa, vel ℥ß. diacymini. Ad extra artemisiam cum pinguedine anseris dococtam ut emplastrum vel inungas ex ol. de Keiri citrina, de camomill. ruta, vel ex ol. de petroleo, (vulgo de sasso) præsertim in materia frigida. Fiant sacculi ex semine lini cum artemisia & camonill. & bulliant in vino, & expressi applicentur. Ultimo ponantur in ol. tepido, & trypheram magnam exhibe ad quantitatem ʒj. cum aq. camomill.

Si dolor sit post partum ut plurimum contingit propter menstrua retenta, cum enim non expurgantur, materia in utero retinetur, quæ est causa doloris, & ideo singulis diebus fiant frictiones in coxis, in iisque ad intus ponantur cucurbitulæ sine scarificatione, vel sanguis ex talo mittatur, fiant clysteria supradicta, mane exhibeatur patera brodii decoctionis artemisiæ, scænanth. capill. vener. cum modico cinamomi;in reliquis ut supra faciendo, si erit opus frutatum ex luteis ovorum cum succo artemisiæ in sartagine, & ante & retro applica. Si vero dolor sit ratione inflammationis mittatur sanguis ex jecoraria in brachio, mox ex talo in pede, & petias in ol. rosato infusas regioni matricis apponito.

De Pro-

## *De Profluvio Sanguinis ex Matrice.*

FAc phlebotomiam reiteratam ex ambabus jecorariis, ligentur brachia ſuper cubitum fortiter, ponantur ventoſæ magnæ in radicibus mammillarum, exhibe de Electuario D. Patrui, vel de phylon. perſico ad ʒj. cum aq. portulac. ℥vj. mox procede ut in tractatu D. Patrui de morb. mulierum.

## *De Suffocatione Vteri.*

SUffocatæ mulieres, adeo ſenſibus, motu & calore privantur, ut Apoplecticæ ac mortuæ appareant, ideo procedendum ut in cura Apoplexiæ quantum ad excitationem. Quare à principio vinciantur artus fortiter, fiant frictiones, alta voce vocentur, & apponantur femori, & in poplite magnæ ventoſæ ſine ſcarificatione, fricentur pedes ſale & aceto, fiant clyſteria vel ſuppoſitoria flatum diſcutientia, naribus fœtida apponantur, ut lychnium extinctum, capilli uſti, pennæ perdicis uſtæ, ſottularia uſta, caſtoreum, aſſa fœtida, & ſimilia, inferius vero odorata, quale eſt hoc linimentum. ℞. ol. lilior. ℥j. croci, muſchi fini, an. gr. iij. ſi fuerit dives adde tantundem galliæ moſcat. cum bombice fiat peſſarium, & intinctum in prædicto liquore vulvę intromitte, vel obſtetrix intingat digitum in dicto liquore & vulvæ imponat titillationem faciendo. Exterius è regione uteri apponatur filum in aq.

cum

cum cineribus coctum & expressum, vel ponatur emplastrum ex galbano, & per os exhibeatur ʒß. castor. formando pilulam, vel cum oxymelite dissolvatur & detur in ore ut transglutiat.

*De Vteri descensu vel præcipitatione.*

IN isto casu contrario modo procedendum est, naribus odorata, subtus ad vulvam fœtida administrentur, & ideo quæ dicta sunt in præcedenti capitulo, contrario modo adaptentur. Sed præter dicta præstat in hoc casu fumus subtus receptus per embrotum ex stercore bubulo exiccato, & super prunas projecto, vel ovum putridum lana exceptum & impositum, ponantur cucurbitulæ sub umbilico, & detur ʒj. ipsius galbani per os, nam hoc reducit uterum in propriam sedem. Si vero nimis descenderit, procede ut in cura exitus intestini recti, infra.

*De Partu Difficili.*

ADeo periclitantur mulieres in partu vel doloribus detinentur, ut quandoq; utrorumque obitu, nempe matris, & filii sit timendum, ideo licet tunc Medico partum facilem reddere, accelerare, ac provocare. Quare si tibi afferatur mulier quæ multum laboret in partu, debes te taliter gerere, ut quam celerrime partum in lucem edat, & ad hoc singulare est remedium quo ego utor, & à D. Patruo expertum habeo. ℞. Boracis orientalis. ʒj. croci, cinamom. an. ℈j.

pulverisentur subtiliter, & in vino dulci, vel decocto artemisię calido exhibeatur si dolores partus adfuerint; Sin minus cum hydromelle quia dolores provocat, nam sine doloribus non fit partus. Et hic pulvis etiam educit secundinam sine noxa. Ad idem etiam valent, & ad fœtum mortuum educendum trochisci de gallia moscata descriptione Rhazis in 9. ad Almansorem in cap. de Tremore Cordis, quorum dosis est ʒj. in vino albo subtili calido, si enim certa experientia ac vera non fallant. Quod si minus tardaret, adhibe sternutamenta, & fac ut valido nixu flatum retinendo inferius fœtum protrudat, & pro vulva inungenda fiat hoc linimentum. ℞. ol. lilior. amygd. dulc. butyri recent. pingued. anser. anatis, gallinæ, muccilag. sem. lini & sem. altheæ, an. ℥ ß. misc.

## *De Dolore Hæmorrhoïdarum.*

SI dolor fuerit fortis & vehemens, una cum hæmorrhoïdarum inflammatione ac tumore fiat phlebotomia ex basilica dextra in satis notabili quantitate, postea ponantur duæ hirudines venis hæmorroïdalibus extrahendo ℥iiij. sanguinis, fiatque postmodum hoc unguentum, ℞. ung. populeon. ol. violat. an. ℥j. vitell. ovor. n. ij. Misc. & continuo pecias hoc liquore perfusas applica, & si opus fuerit, adde opii gr. iij. croci, gr. v. quod si adhuc persistat dolor, fiat tale balneum. ℞. Flor. & fol. tapsi barbati, sem.

lini,

lini, fœni græci, hypericonis, anethi, ſem. malvæ, altheæ, cynogloſſ. fol. hyoſciami, rad. altheæ, an. mj. Miſc, & bulliant in ſ. q. aq. fluvialis ad ſufficientiam, & fiat balneum in quo ſedeat patiens umbilicotenus per horam, vel fiat fomentum cum ſpongiis, & poſt fomentationes inungatur tali linimento: ℞. ol. cydonior. roſat. ol. violar. ſevi hircini an. ℥ß. ceruſæ, ʒij. caphuræ ℈j. opii. gr. v. croci, ℈ß. Miſc. vel fiat talis inunctio quæ eſt optima. ℞. ol. roſat. decoct. lumbricor. terreſt. porceleorum ac ſcarabeorum, ol. vitellor. ovor. an. ʒj. Miſc. & inungatur locus affectus.

## *De Profluvio ſanguinis ex Hæmorrhoïdibus.*

FIant quotidie clyſteria ex lacte chalybeato, vel ex ſucco plantagin. & fiat phlebotomia diverſiva, & ſingulo mane accipiat ʒjß. Trypheræ minores ex arte Phenonis, cum ℈j. phylonii Perſici, ſuperbibendo ℥iij. aq. portulacæ, & per clyſteres injiciantur pulveres adſtrictivi; ſi extra non appareant venæ quales ſunt trochiſci de carabe, de terra ſigillata, bolus Armenus, ſanguis draconis, &c. vel ſi extra appareant, ſuperponatur tale Emplaſtrum. ℞. Boli armeni, ſang. dracon. terræ ſigillat. thuris, maſtich. aloës, pilorum leporis, troch. de carabe, an. ʒj. Miſc. & cum ovi albumin. fiat Emplaſtrum, etiam fuligo camini albo ovi excepta, & impoſita ſanguinem hæmorrhoïdalem ſiſtit.

## *De Exitu Inteſtini recti.*

IN cura exitus inteſtini recti conſiderare oportet, primo an inteſtinum inflammatione laboret vel non, quod ſi fuerit inflammatum, & in adultis fiat phlebotomia diverſiva, niſi aliud quippiam obſtet ex baſilica dextra, poſtea lavetur inteſtinum ex aqua hordei decoct. rerum adſtringentium, ut myrtillor. cort. granator. ſem. plantag. balauſt. ſumach, roſar. rubrar. &c. poſtmodum inungatur ol. roſato omphacino, & ex pulvere prædictorum adſtringentium aſpergatur, & intromittatur. Si vero non fuerit inflammatum, lavetur cũ vino nigro ſtyptico decoctionis ſcoriæ ferri, poſtea inungatur ex oleo roſato, cydonior. myrtino, & tali pulvere adſpergatur. ℞. Sandaracæ ſcriptorum, thuris maſcul. cort. granat. myrtillor. gallæ, cupullarum glandium, roſar. rub. an. ℥ß. pulveriſentur ſubtiliter, & miſce, & facta pulveris adſperſione intromittatur & patientem ſtare jube coxis altis, & elevatis. Iis etiam modis præter ſuperius dicta, curatur exitus Matricis, ſi nimis deſcenderet.

## *De Doloribus Arthriticis.*

STante plethoria in corpore, in doloribus articulorum mittendus ſanguis eſt, ſecundum tenorem virtutis & morbi magnitudinem exhibenda ſunt catapotia ex hermodactylis ad ℨj. cum aq. ivæ. Et juncturæ ol. roſar. ſunt perfundendæ,

dendæ, ſi vero materia ſit multa & phlegmatica exhibe pillulas de hermodactylis majores, & ol. camomill. decoctionis lumbricor. terreſtrium juncturas illine. demum procede ſecundum intentiones curativas, de quibus apud Authores.

## De Dolore Coxendico.

IN dolore Coxendico ſi materia ſit ſanguinea, vel ſanguini mixta, manè fac phlebotomiam ex baſilica lateris affecti, veſperi ex vena ſchiæ in talo in parte ſylveſtri præmiſſo clyſteri, quale eſt quod ℞. camomill. parietariæ, fol. malv. violar. rutæ, betonic. ivæ, hypericon. aniſor. fœniculi, ana mj. fiat decoct. de qua ℞. q. ſ. pro clyſteri, cui adde hieræ picræ, ol. camomill. ℥iij. mell. roſ. colat. ℥ij. ſalis ʒij. miſc. & f. clyſter. cum ovi luteo, imponendo loco dolenti ivam & camomillam in vino bullitam, vel faciendo ſacculum ex milio, & ſale, & furfure.

Si vero materia fuerit phlegmatica, exhibe pillulas de hermodactyl. ʒj. & utere clyſteriis acrioribus, imponendo in decoctione colocynthidem, agaricum, centaurium, &c. nec non & electuaria fortiora, exterius fovendo locum cum ol. vulpinor. lumbricor. terreſt. rutaceo, camomill. anethino, & ſimilib. præmiſſis fomentis ut ſuprà.

## *De Dolore Podagrico.*

IN principio doloris podagrici vel chyragrici, nihil melius reperiri poſſe crediderim, quam perfundere locum dolentem ol. roſato completo, & hoc expertus ſum, & optimè ſucceſſit, & mittere ſanguinem in doloris vehementia eſt ex melioribus remediis in tantum quod dixit Celſus, ſi inter initia ſtatim fiat, ſæpè annuam, nonnunquam perpetuam præſtat valetudinem, in aſſuetis autem pati hujuſmodi dolores, non ſemper mittendus eſt ſanguis, nam plus eſſet nocumentum quam juvamentum, ut voluit Ægineta, verum ſemel aut bis ad plus in anno iis mittere ſanguinem non ſolum præſervat, ſed & quandoque curat. Linire etiam locum in cauſa calida cum linimento facto ex caſſia, muccilag. pſyllii, & ol. roſat. valet, vel emplaſtrum ex pane trito, lacte, & ol. roſato, addendo modicum opii ſi urgeat neceſſitas. In podagra vero pendente à materia pituitoſa pro majore parte etiam mittendus ſanguis eſt, licet non in tam magna quantitate, ut fit in ſanguinea, fiant clyſteria, provocetur vomitus, adhibe loco doloroſo, ol. camomill. cum roſaceo, vel emplaſtrum ex furfure & ſuba cum modico aceti, etiam ol. de ranis præſtat, mox accinge te ad humoris peccantis coctionem ad ulteriora procedendo prout erit opus: ſemper memoriæ tenendo, quod jejunium,

nium, vomitus, & abſtinere à vino ſint ea in quibus maximè ſperatur ſanitas in hoc caſu.

## *De Ambuſtis, & Syderatis.*

SI qua remedia in promptu habere Medicum oportet, ea ſunt quę ambuſtis, ſyderatis, id eſt, fulmine ictis, & ex alto prolapſis conveniunt, ſiquidē nullo interpoſito tempore remedia adminiſtranda ſunt. Idcirco in ambuſtis partibus initio calorem reſtringere oportet, ne inflammatio superveniat, nevè puſtulæ oriantur, & ideo poſt combuſtionem valet linitio facta ex ol. roſato cum ovi albumine, vel ℞. Calcis lotæ ℥ij. ol. hypericon. q.ſ. & fiat linimentum, de quo à principio uſque ad finem uti convenit, & mirabiliter operatur in quacunque combuſtione, ſive ſit ex aqua fervente, vel oleo, vel igne, vel pulvere bombardico, ad quem valet etiam ol. ſambucinum, & ſis memor, ubi ſit opus, ſanguinem mittere, & alia moliri. Ad Syderatos vero valet adſperſio ex lotio aſini ex Galeno. vel utere una ex tribus inunctionibus deſumptis à Valeriano lib. 3. de re Medica, cap. 16.

## *De Prolapſis ex Alto.*

HIs qui ex alto cecidere, facta alvi lenitione per clyſterem, mittatur ſanguis ex oppoſita parte, vel apponantur cucurbitulæ, vel ſimul & & ſemel hoc & illud fiat. Sequenti mane hanc potionem exhibe. ℞. Rhabarb. elect. & pulveriſat.

risat. ℈iiij. mumiæ, rubiæ tinct. ana ʒß. diaprun. lenit. ʒvj. cum aq. plantag. f. potus, vel cum decoct. pulli nigri non depilati, quod decoctum debet continuari ad 7. dies, alternis diebus exhibendo prædictum pulverem sine diapruno.

Ad extra emplastretur cum stercore bovino & ol. rosato, vel involvantur in pelle arietina adhuc calente, vel accipiatur diathæa cum ol. myrtino vel rosato, & inungatur & adspergatur pulvere cumini, & fol. myrti, & rosarum rubrarum. *Laus Deo.*

*Hæc sunt Amantissime Bernardine, quæ mihi in gratiam scribenda proposueram, quæ si tibi placuisse cognovero, scias id mihi fore tam gratum, quam quod gratissimum. Fruere itaque ac boni consule, & me ut soles dilige. vale. Forolivii xv. Iulii M. D. LXVIII.*

Idem FABRITIVS DE PADVANIS,

Med. ac Philosophus Physicus.




IN-

# INDEX RERUM IN LIBRUM BRUNONIS SEIDELII De Morbis Incurabilibus.

Deus

D.



E.

F.



G.



H.



Helio-

I.

L.



M.



*Medi-*

N.

O.

Q.



R.



S.

FINIS.

# ELENCHVS CAPITVM
Quæ in Tractatu
# FABR. DE PADUANIS
# OCCURRUNT.

FINIS.

